

1520



DICTIONARIVM

PAVPERVM, VEL ETIAM ΑΜΑΛΘΕΙΑΣ ΚΕΡΑΣ,

id est, Cornucopiæ Concionatorum Verbi Dei.

Ordine alphabetico, de virtutibus & vitiis, continuens exercitamenta quædam, ad leuiorem doctrinam viam munientia, cum studiosis omnibus, tum præcipuè sacris concionatoribus necessaria.

A. F. P. Rodulphio à Tossignano Conuentuali Franciscano, in Gymnasio D. Francisci Bononiæ Regente, locupletata.

Triplex quoque copiosissimus Index additus est, multò locupletior (vt cætera omnia, summa cum diligentia, maturóque iudicio, repurgata) ac certior quàm antea.

In quorum primo, continentur materiæ:
In secundò, res insigniores:
In tertio (eodémque auctiore) praxis accommodanda concionatoribus.

VT PVLVIS,



LVGDVNI,
Apud Ioan. Ant. Huguetan: Sub interfignio Sphæræ, via Mercuriali.

M. D. XCIX.

13896

9 a 1985

REVERENDISSIMO IN CHRISTO P. D. STEPHANO BARGAEO, ABB. S. ANDREAE, *Comiti primariæ Lugd. Eccl. ac eiusdem Diœcesis magno Archid. & sedis Archepiscopalis Vicario generali, Iudicique supremo Primaciatus totius Galliæ, ac Eleemosynario Regio ordinario.*

Ioan. Ant. Huguetan Bibliopola Lugd. S. P. D.

NÆ, illos leuitatis & inconstantiæ (ne quid grauius dicam) esse meritò insimulandos semper duxi: qui, cum quos ingenij fœtus suos, aut labores

viris (vt fieri ſolet) quibuſdam dedicaſſent, denuóque eoſdem ſub incudē reuocarent, poſthabitis prioribus patronis, nouos ſibi aſciſcerent: quod noſtra ætate graueis viros interdum factitaſſe conſtat. Illorum tamen exemplum tantùm abeſt vt probem ac ſequar: vt cum liber hic, qui nomine. *Dictionarij Pauperum* circunfertur, abhinc aliquot annis tibi dicatus fuiſſet: idem nunc iterum infinitis prope mendis, quæ incuria typographorum, vel operarum irrepſerant, meis ſumptibus, hac poſtrema editione repurgatior, & (quoad eius fieri potuit) locupletior in lucem emittendus foret, nefas putaui cuipiam alio (vt mihi integrum erat) quàm tibi conſecrare, ſub cuius vmbra, tanquā ſub Aiacis clypeo,

non

non quidem lateret, sed in publicum exiret. Cui enim potius offerri debent progymnasmata, vel etiã cathecheses concionatorum, quàm tibi? qui vt omnia illorum munera perfectè, cum lubet, obire potes, ita à te, ordinis ecclesiastici ornamento, prouinciæ Lugdunensis cõcionatores facultatem prædicandi, & missionem postulare tenentur? Cui iustius debetur de virtutibus & vitijs commentariolus, doctus sanè, pius & perutilis, licet minus elegans, quàm tibi Presuli, integritate vitæ, virtutibusq; omnibus perpolito, tum etiam vitiorum rigidissimo Censore? Quàm tibi, inquam, qui vt eximias naturæ, fortunæq; dotes tuas taceam, à pueritia optimarum scientiarum cognitione, præsertim Iuris ciuilis, & canonici

liberaliter educatus & instituitus fuisti? Nec frustrà Ioan. Pisseuinius Aruernus, tui obseruantissimus, sponte currenti calcar addidit, vt hoc facerem: qui multa de generis tui antiquissima nobilitate, de morum comitate, affabilitate, lenitate in adeundo, & æquitate in decernendo, (duo laudum summa elogia) prædicabat. Ille enim typographiam fortè adiens, ignarus me manum postremã huic libello iam iam impositurum, non solùm sententiam meam probauit, sed & auctor mihi fuit, vt hęc pauca raptim, è re nata, exararem. Non me latet, stylum huiusce auctoris de virtutibus & vitijs inelegantem, & (temporũ fortassis iniuria) alicubi barbarum videri, necnon in similitudinum triuialium repetitione nimium

mium esse: sed relinquendus fuit genio suo & ingenio: cæteroqui, puritatis Latinæ linguæ defectus, vel etiam ignoratio, abunde pensatur profundissima Catholicæ doctrinæ professione, viuidis ad veram pietatem adhortationibus, & exemplis ad peccatorum emendationem aptissimis: vt non immeritò, prouinciæ Flaminiæ Bononienses, summi Pontificis diploma impetrare contenderint, quod tamen propter obreptionem, aliásque legitimas causas, nusquam fuit obseruatum. Reliquum est igitur, Antistes venerandissime, vt me, libellúmque hunc in clientelam tuam suscipere digneris, cum, quia ab omnibus, qui concionandi munus subire volunt, in Italia, Hispania, Gallia. quinetiam Germania, expe-

titur & flagitatur: tum etiam, quia pro tua ſumma auctoritate (vt qui præter cætera honorifica, munia, Archiepiſcopatus Lugdunenſis, & ſedis Primaciatus totius Galliæ, Vicarius ſis generalis) illum ſarctum tectum aſſerere potes: & concionatoribus à te miſſis, mittẽdíſque, quibus præes, aliíſque omnibus Eccleſiaſtici ordinis viris auctorem eundem commendare, & ad terendum nocturna diurnáque manu, adhortari. Lugduni VI. Kal. Febr. M. D. XCIX.

ILLV

ILLVSTRISSIMO DOMINO D. FABRICIO DE GVIDIS, A BALNEO MONTIS belli Marchioni dignissimi, Domino, & patrono suo colendissimo.

F. Petrus Rodulphius à Tossignano

S. D.

CVM annis elapsis, Marchio Illustrissime, Florentiæ sacras haberem conciones, tot in me officiosè contulisti beneficia: vt, cum multùm tibi à me deberi sentiam, nec in me sit vlla facultas, quò, singulari tuæ humanitati parem referam gratiam, saltem apud creditorem, quantum debeam, profiteri cogar: rationi enim & bonis moribus conuenit, vt, quibus plurimùm debemus, eisdem plurimùm debere nos confiteamur. Verùm capta ex tempore occasione, occurrit mihi libellus iste, quem in gratiam studiosorum omnium sermone perquam familiari impri-

mendum curaui: atque præclaro tuo nomini dicare constitui: non sanè quòd eum esse putem, qui tanto viro debeatur. Minimum fateor ad plurima, & maxima summæ erga me humanitatis tuæ officia: quæ quidem singula, ita erunt semper fixa in animo, vt mihi viuo eripi, aboleriqúe non possint: sed potius, vt libellus iste ex te ipso auctoritatem, & dignitatem capiens, famæ tui nominis commendetur. Tu enim inter omnes prouinciæ nostræ Æmiliæ heroës ita omnibus fortunæ corporis, animiqúe dotibus cumulatissimus cæteris præstas, vt alios potius illustrare queas, quàm quis sperer, tuæ dignitati aliquid splendoris addere. Præter naturalem tuam benignitatem, qua, & virtutem ipsam, & virtutis cultores omnibus liberalitatis tuæ cumulis amplexus es, vt alter Fabricius, de quo Pyrrhus dixisse fertur: eum difficilius ab honestate, quàm solem à cursu suo auerti posse, qui neglectis opibus, continentiæ suæ beneficio prædiues erat. Accedit Ioannis Franciſci clarissimi tui parentis digna recordatio, qui omnium sibi concitauit applausum, omnium expectationi ita satisfecit, vt semper infractus permanserit: nec in secundis elatus, nec in aduersis deiectus vnquàm fuit. Cuius egregia facta, & domi, & foris, maxima semper in rebus agendis fides, & obseruantia apud mortales nunquam sunt intermoritura. Cuius laudes si narrare tentarem, longam nimis

texerem

texerem orationem, atque mei præscriptis finibus institutis eggrederer. Interim propensionem animi erga te mei satis habe. mequè (vt soles) ama. Vale
Bononiæ Calen. Aug.
M. D. LXXX.

AD

AD AVCTORIS L. I-BRVM DE VIRTVTIBVS ET vitiis extemporales Iambici.

PRodite in auras, auspiciis fœlicibus,
Non iam rudimenta, sed catecheses verius
Doctæ, piæq3, Concionatoribus
Tyronibus perutiles, & commodæ,
Prouectioribus quod quibusdam: sint licet
Minus elegantes, fortè culpa temporum,
Styloque scriptæ simplici. Sed in sacris
Non ponderanda verba sunt auctoribus,
Sed religio sincera, fidésque candida.
Prodite in auras ergo, Bargeo auspice
Antistite magno, Ecclesiastici ordinis
Primario, & decore nobilissimo.

SPES EIVS VNA IN SION.

AD LECTOREM.

CARMEN.

QVi sacrum CHRISTI *celebrare verbum*
Expetis, mundi varias per oras
Impias necnon pietate gentes
condecorare.
Hunc tibi librum comitem fidelem
Iunge, securus peragrabis orbem,
Et vias multas dubias docebit,
Et loca multa.
Hic tibi normam tribuet decoram,
Sancta vulgandi monumenta summi
Regis, & claues, quibus alta Cœli
Ostia pandet.

PIO, AC CANDIDO LECTORI.

NESCIO quo euentu (Candide Lector) cum in oratorio Ecclesiæ D. Petri Bononiæ, anno præterito nutu Illustrissimi & Reuerendissimi Cardinalis Palæoti lectiones circa casus, & negotia conscientiæ haberem, inciderim in quendam libellum: quem cùm (vt mei moris est) primùm tumultuario, ac perfunctoria quadam lectione percurrerem, visus mihi fuit perutilis esse, & breuem, ac dilucidam viam aperire his, qui sacrum in Christi Ecclesia concionandi munus sunt amplexuri: Plerique enim sunt, qui propositis sententiæ finibus egressi alieniora quandoque colligunt, verborum tantùm copiam, & elegantiam spectantes: hinc fit, vt à recto tramite desistant, & medio viæ cursu in tanta sententiarum (quanta vultuum varietate) inextricabili rerum confusione pauefacti: susceptam prouinciam deserant. Ego autem, qui diuinarum literarum studio ita oblector, vt in me ipso habitans, quicquam extra me nec suspirem, nec ambiam, iuuandi potius, quàm aliquid laudis, aut vanæ ostentationis acquirendi consilio, imprimendum curaui (suadente me quoque ad hoc Antonio Rodulphio, viro quidem ingenuo, meo consanguineo, mihique familiarissimo, atque omnibus in rebus coniunctissimo.)

mo.) Cuius suasu statui (si Deus annuerit) duas alias partes addere, vt quilibet Christianæ pietatis concionator, & diuinus humilista facilè in animum inducat suum, & vanitatem negligere, & diuinam veritatem, & sinceritatem sectari. Agè, si iuuenibus meis hunc tenuem cibum secreui, quid noter? & si ad antiquorum metam nouum facio compendium, quid offendo? si eandem cano cantilenam, nunquid vox multis superaddita, tollit symphoniam? Alumni mei sunt, in quorum gratiam hæc scriptito, libentius matrum vbera sugunt infantes, quàm aliena. Tu interim noli improbè in alieno labore nimis esse morosus: sed si quid boni à me dictum est, percipe, & meam operam æqui, bonique consule. Vale.

F. PETRI

F. PETRI

RODOLPHII E

THAVSIGNANO

Conuentualis Franciſcani Præludia,

Siue rudimenta quædam, ad pleniorem cognitionem, ſtudioſis omnibus, tum præcipuè concionatoribus, quorum partes explicantur, maximo vſui futura.

De excellentia prædicationis diuini verbi.

CAPVT I.

INTER cætera Catholicæ Eccleſiæ munera, quæ diuini verbi miniſtris obeunda committuntur, primas (vt ego ſentio) obtinet ſanctiſſimum, atque grauiſſimum Euangelicæ prædicationis officium (cuius frequentiſſimus, & maximè ſalutaris vſus ſemper fuit) quod Chriſtus Deus, & Dominus noſter (veluti Spirituſſancti fidele depoſitum) ſuamet diuina conſecrauit præſentia. Nam ſi à mortalibus tanti fit, patriam ab hoſtium obſidione liberare, inimicorum exercitum profligare, regni fines longè latéque

lateque propagare, tranquilli, ac pacati ſtatus optata fœlicitate frui : quantò vtilius eſt animas vitiorum iugo oppreſſas, in libertatem vendicare, & hominum mentes obſcuris ignorantiæ tenebris obuolutas illuſtrare, diuiniſque præceptis, & ſanctis informationibus imbuere : vt caro ſubiiciatur ſpiritui, & ſenſus rationi, & (quod multò glorioſius eſt) vt ſibi ipſi imperet homo, ac dominetur. *Non enim in multitudine exercitus victoria belli, ſed è cœlo fortitudo eſt.* Hoc proinde efficit in nobis diuinum verbum, cum primùm menti inhæſerit, eam illuſtrat, intellectum purgat, cuius efficacia tanta eſt, vt ne modò cordis cogitationes latere permittat : eſt enim veluti radius ſolis : ex cuius reflexione maxima ignis flamma generatur in nobis. Itaque concionandi facultas præcipua eſt in Dei Eccleſia, cùm verſetur circa Deum, atque hominum ſalutem : tum etiam, quia concionator dicturus ad populum, eodem fungitur munere, quo & Prophetæ, & Apoſtoli vſi ſunt: immo verò quod ipſemet Chriſtus, Æterna Dei ſapientia edocuit. Quid enim dignius, aut optatius haberi poteſt, quàm æternæ vitæ promiſſa denuntiare ? conſilia diuinæ prouidentiæ detegere ? animæ langoribus ſuccurrere? vitia extirpare ? profanum viuendi modum ad Chriſtianam formam reducere? certiſſimam, & conſtantiſſimam fidem patefacere? tenebras à mundo depellere? & denique veritatis lumen introducere? Quamobrem Iſaias clamat. *Quàm pulchri ſunt pedes euangelizantium.* B. Ambroſius maieſtatem officij huius Euangelicæ prædicationis contemplans, pro rei dignitate fatetur ſe indignum eſſe, qui tantæ maieſtatis negocio calamum adhibeat. Hanc excellentiam vt oſtenderet Deus, prædixit ſe daturum in lucem gentium doctorem, qui voce è cœlo delapſa, & magnifica gloria veritatis aditum omnibus patefaceret, vt firmo fidei fundamento adhærentes, coædificemur in habitaculum Dei, in Spiritu ſancto. Deinde verò alios dedit Apoſtolos, alios Euangeliſtas: qui diuino afflati ſpiritu ſtrenuè, ac ſtudioſè negocium Chriſti obirent, rebelles animos peccato immerſos deuincerent, ad ſacras agni nuptias inuitarent, ac demum totum mundum proſternerent, Apoſtolicáque doctrina imbuerent.

1. *Mach. 3.*

Prima parte officiorum li. 1.

Quo

Quorum magisterio tantam auctoritatem tribuendam esse statuit, vt diceret: *Qui vos audit, me audit: Qui vos spernit, me spernit.* Quod quidem non de his tantùm, quibus cum sermo habebatur, voluit intelligi (dicant quicquid velint hæretici, quorum mos semper fuit ab orbe condito sacras scripturas corrumpere, atque pro sua libidine violare) sed de omnibus etiam, qui legitima successione docendi munus obirent, quos patres, & duces omnis sapientiæ constituit, quique de aure in aurem Apostolicas traditiones ad nos vsque transmitterent. Quare, cùm Doctorum ordo sit quasi perpetuus in Ecclesia, non deberent omnes indiscriminatim prædicationis munus vsurpare: quod libenter dico: quia videmus passim, rudes homines se incautè disputationibus sactis ingerere (quod minimè fit citra temeritatem) id enim solùm facere debent, qui ad hoc dicendi munus edocti sunt, cùm dicat Apost. *Nec quisquam sumit sibi honorem* (si, supple, velit piè & religiosè agere) quæ definitio vsque adeo clara est, vt obloquentium ora præcludat, si nullam patiatur controuersiam: exemplo sunt Chore, Dathan, & Abiron, cum assectis, & ambitiosorum turba, quos terra viuos absorbsit. Oza, qui arcam tenuit, calcitrantibus bobus percussus, & occisus est, Ozias percussus lepra, Iosaphat Hierosolymæ rex misit Leuitas, & Sacerdotes in omnes ciuitates Iudeæ, vt verbum *Domini annunciarent*: eosque à cætera populi turba seiunxit, quos ad ministerium templi, studiumque diuinarum legum (relictis omnibus humanæ vitæ negocijs) adhibuit, vt huic studio semper intenti, discerent, quod pnstea rudi populo, & imperitæ plebi traderent; eosque ad diuinarum sacros latices litterarum adducerent. Habuit semper hæc nostra Christiana respubl. alios auditores, alios verò doctores à Deo missos. Nonne Samuel docuit Dauidem? Nathan Salomonem? Micheas Iosaphatum? Esaias Ezechiam? Ieremias Iosiam? Esdras populum? qui tamen ne verbum quidem proferre ausi sunt, nisi prius Deo vocante, atque iubente mitterentur: quomodo enim prædicabunt (teste Apostolo) nisi mittantur? quod tamen hodie præposterè fit à multis (vtinam respiscerent) qui vltrò se ad prædicandum exhibent

Heb.

Nume. 16. 2. Reg. 6. 2. Par. 26.

& priuata auctoritate in grauissimam hanc concionandi prouinciam irruunt: qui si animarum zelo id facerent, laudarem, sed nouit Deus qui in Ezech. grauissimè quidem comminatur his, qui se priuata auctoritate huic ministerio ingerunt. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant*: Duæ itaque erant Apostolorum partes, apud quos religionis mysteria deposita erant, altera diuini verbi promulgatio: altera charitatis, & pietatis opera exercere, ac destitutis officium præstare. *Nō est æquum* (dicebat Apostolorum princeps) *relinquere verbum, & ministrare mensis.* B. quoque Paul. Timotheo iungit, vt sacris litteris vacet. *Attende enim tibi & doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.* Et alibi. *Non misit me Deus baptizare, sed euangelizare.* Quæ sententia (si paulisper eius verba expendamus) non absolutè negatiua est, sed magis per collationem annunciata non improbat baptismum (absit,) sed id (quod præclarius est) Euangelij verbum expressius præfert: quia Euangelij prædicatio onus grauius est, quàm qui Baptistæ solo fungitur munere. Nam qui docet, videtur aliqua ratione dominari, impellere, & trahere animos, quò mauult B. *Anselmus* (est enim prædicator nomen auctoritatis, & dignitatis) *in expositione prioris Epistolæ ad Timot. cap. 1.* Ioas rex Iudæ, donec Ioadæ sacerdotis consuetudine, consiliisque vsus est, piè probéque vixit: illo morte sublato, ad vitia declinauit: ita B. Apostolus his verbis præmonstrare voluit, quàm necessarium, & opportunum sit Christiano viro diuini verbi salutare pabulum, ad bene beateque viuendum, & ad æternam salutem promerēdam. quot quæso hæreses exortæ? quid dico hæreses? quot monstra aluntur? quæ Dei Ecclesiam ita infestarunt, vexarunt, ac penè oppresserunt variis, peregrinisque doctrinis Christianorum animos deprauantes. quæ impietas, & effrænis admodum in omnia vitia licētia, & regnandi fœda libido omnibus Sathanæ artibus instructa, tam longè lateque in hoc scopuloso, & infesto pelago, in hoc tàm perturbato, & infœlici seculo progressa est, vt nullis ferè certis finibus contineri posse videatur. Nonne perditissimus ille Arrius presbyter, negans Filij æqualitatem cum Patre, maximam turbam secum in suam traxit opinionem, & clientelam? quid

Ezech. 23.

1. Tim. 4.

1. Cor. 2.

4. Reg. 12.

quid intentatum reliquit Iulianus apostata, omnium nequissimus? qui, relaxatis frænis, decretum edidit nefarium: nec cingulum militiæ cuiquam daretur, nisi prius immolaret. Sed vt eos consulta opera omittamus: quot hac nostra tempestate temeratiæ opiniones circunferuntur, & mordicus defenduntur? præcipua inter multas, quæ in hoc negocio assignari possunt, causa (nisi fallor) est: quia omnes pro suo arbitratu, quantumuis rudes, & plumbei homines, sacros & arcanos libros legunt: cùm deberent potius verbi Dei prædicationi, & frequentationi incumbere. non damno propterea quorundam sacrorum librorum vsum, qui ædificationi morum sunt accomodi, si sic tamen ab ipsis legantur sobriè, & piè citra supercilium, & arrogantiam, vt non inde à crebra verbi Dei auditione retrahantur: cuius vis tanta esse debet, vt hæreses supprimantur, tollantur abusus, extirpentur vitia, virtutes sculpantur in animo: sublato enim doctore, atque Catholica & salutari doctrina, neque fides, neque religio, neque iustitia, neque vllum in ciuitate præsidium: nullum subsidium siue humanum, siue diuinum reliquum est, *Multitudo sapientiam, sanitas orbis.* vnde stultè sibi admodum consulit Christianus, si veritatem sibi prædicandam ab hæreticis expectauerit, cùm id solùm facere possit Catholicus concionator, & præceptor Euangelicus: in cuius manu est ventilabrum ad emundandam aream Ecclesiæ, qui in acie Christi, instar Petri, gladium verbi Dei potest educere, & percutere autem peccatoris, vt in viam salutis adducatur: quod sanè præstabit concionator, si quibus viam munit, anteat doctrina, eruditione, iudicio, & vitæ probitate: de qua in sequenti capite, qua potero breuitate, aliquid dicere tentabo. *Prerb. 10.*

De vitæ, & morum Euangelici præceptoris excellentia. Cap. II.

SIcut in orbium motu conspicimus ad motum primi orbis rapi cæteros orbes: si enim primus à consueto suo cursu aberraret, necessariò cuncta sublunaria perturbarentur: vt potè quæ ab illo primo motu pendent. Et quemadmodum in exercitu si maiores se con-

uerunt in fugam, offenduntur minores, & fugiunt: Ita concionator Euangelicus, cuius vita omnium oculis obiecta est, esse debet, vt cœlũ Altus per vitæ eminentiam, sicut aquila, quæ in altum volans prouocat pullos suos ad volandum. Nam vitæ, & morum probitas est veluti sigillum, quo sana doctrina confirmatur, atque auditorum animis hæret. quemadmodum litteræ nullam vim habent, nisi authentico sigillo fuerint obsignatæ. Vnde Isa. *Super montem excelsum ascende tu, qui Euangelizas Sion*, id est super eminentiam vitæ exponit Gregorius magnus: nam præcipitur ei clamare. clama ne cesses: quia debet clamare fama, doctrina, vestitu, vt ipse totus sit clamor, veluti Seraphin, qui non cessant quotidie clamare. Nam qua necessitate compellitur summa dicere, eadem necessitate compellitur summa monstrare. & qui secus facit, censura graui dignus est, neque officij sui (vt aiunt) pulsum attingit. Clarus esse debet per bonam opinionem: quia concionatoris vitæ & bonæ famæ splendor solet mirandum in modum audientes afficere. & quò maiuult trahere. Clarus esse debet, vt imbecilles erigat, & afflictos consoletur. Calidus per charitatis feruorem. *Qui enim*, (vt Gregorius sanctus scribit) *charitatem ad proximum non habet, officium prædicationis assumere non debet.* Mundus, per bonam intentionem. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* quamuis enim nos miseros peccata circumstent, quæ mentes nostras velut domesticæ quædam furiæ aggrediuntur: & vt facet Hieronymus scriptum reliquit. *Affectus, & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circundamur, moderate regere possumus, amputare non possumus: quia nemo vitiis sine nascitur* Ille beatus est, qui minimis vrgetur: cauere tamen debet, ne illis sit scãdalo, quibus præsidio esse debet: alioqui esset veluti mola aquaria, quę dum acuendo alteri seruit, se paulatim consumit. Sicut candela, quæ lumen aliis præbet, & seipsam destruit: veluti milites, qui seipsos ensibus, & lanceis exponunt, vt duci victoriã exhibeant. Hoc accidit ædificatoribus arcę Noe: qui, dũ arcam ad aliorum salutem ædificarent, aquarum colluuione

De morib. & vita op. concionatoris egregiè scrib. B. Aug. lib. 2. de doct. Christiana cap. 41. & 42. in. 4. 6. 15. B. Ambro. 2. de officijs c. 11. & 13. B. Gregor. lib. 23. mer. ca. 4. Chrysost. in Matt. cap. 5. hom. 10. Basil. Magn. ad Greg. Naxia. Greg. Naziã. 1. lib. suæ Theol. 6. Diony. de Eccle. Ierar. prima parte cap. 2. Tho. san. part. 3. q. 41. ar. 3. L.

altus, clarus, calidus, mundus, ordinatus, volubilis, rotundus

Epist. 88.

uione submersi sunt. Claudus pulcher quidem esse videtur in sedendo, qui est deformis in ambulando. Sic multi placent, dum sedent in cathedra, & docent, qui tamen in operibus claudi sunt: qui etiam prohibebantur in lege ab ingressu tabernaculi, & ab officio. Sicut lapides, qui aquis continuè rigantur, nec tamen inde mollescunt: sed duriores plerunque euadunt, vt gallus qui sæpe crocitat, & nunquam ouа parit. Ita faciunt tubicines, qui alios exhortantur ad prælium, contra quos non pugnant, immo primi succumbunt. Quisquis ergo alios sanctos efficere debet, sanctus sit, necesse est. Nemo enim dat, quod ipse non habet. Quid iuuat, si lingua est aurea, & cor ferreum? bona loqui & contraria operari? loquentis auctoritas perditur, quando vox opere non iuuatur. non auditur obedienter sait D. Augusti. qui seipsum non audit, Ioannes Baptista prædicabat pœnitentiam quidem in deserto: sed ibidem etiam habitabat. *Loquimini, & sic facite, clamat Apostolus.* Natura comparatum est, vt omne agens agat sibi simile. Homo generat hominẽ: equus equum: ignis ignem. *Iac. Apost.* pictor esse debet, qui alium pictorem faciat: & philosophus, philosophum: & musicus, musicum. iustum est, vt non habeat linguam, qui non habet vitam. Ita ad Roma. intonat Apostolus. *Si tu confidis esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium habentem formam*, id est, informandi, instituendive rationem, quam aliis præscribas Ducem cęcorum, ait Apostolus: quia cæcus, dum in ingressu ciuitatis sedet, aliis viam ostendit, quam ipse nunquam percurrit. Gregorius Nazianzenus, vir non minus pius, quam eruditus, vitam, & mores optimi cõcionatoris graphicè describit, cum ait. *Mundari prius oportet, & sic alios mundare: sapientem prius fieri, & sic facere alios sapientes: lumen fieri, & sic alios illuminare: ad Deum accedere, & alios ad Deum adducere: sanctificari, & ita alios sanctificare: manus habere rectas, & sic cadentibus porrigere manum.* Igitur doctrina concionatoris (quatumuis fulgeat splendore sermonis) si fuerit maculis vitæ insperſa ab impuro pectore, & ore procedens, quid proficiet? neque vulgari sanctitate opus est: sẽper enim effectu causa sua eminentior est, atque viuacior, vt fulgor ipse sydetum, qui à

sole emanat, longè splendidior in ipso sole quàm in astris est. Vnde cum in lege veteri Dominus aquas expiationis, & cineres vaccæ ruffæ ad purificationem hominum designasset, mundis hominibus commisit, vt sic mundus lustraret immundum: ab immundo enim quis mundabitur? oculus plenus puluere, maculam non considerat. ita mundus esse debet, qui aliena vult cortigere. Vides ergo, qualis esse debeat, qui aliorũ sordes vult expiare. Cum enim Dominus Ieremiam prædicatorem creare vellet, prius illum in vtero matris ab omni peccati labe purgauit, vt singulari quadã puritate & sanctitate esset insignis: quippe cum alios ad sanctitatem, puritatémque vocate deberet. Quod egregiè docuit Seneca vir grauissimus, cum ait. *Eum elige doctorem, quem magis admireris, cum videris, quàm cum audieris.* cuius videlicet quamuis sit admirabilis eloquentia, mirabilior tamen sit ipsa vita, atque ita potentius trahat homines, cum videtur, quàm cum auditur. Ita aut philosophus, actiones hominum esse sermonibus credibiliores: plus enim homines oculis, quàm auribus credunt. Columnam, quæ Israëliticum populum in deserto ducebat, præeuntem populus sequebatur: ea verò quiescente, *Iud.9.* ipse quiescebat. Abimelech subditos nõ tam dictis, quàm factis ad sui imitationem incitabat: hoc vos facite, quod me vidistis facere. Virtutis species pulcherrima est, quæ suapte vi homines non modò ad amorem, sed etiam ad sui imitationem trahit. Cæsar (vt auctor est Cicero) nunquam militibus dixisse fertur, ite illũc, sed venite hũc. id *Fid.1.* fecisse legitur Esdras sacerdos, cum ad reparandam Hierosolymam accederet, parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini, & faceret, & doceret. Quid per Deum immortalem confert lingua eloquens, si desit vitæ disciplina? si verbis dicit, & moribus contradicit? monstruosum est valde vitam moribus non concordare. vt qui aliorum mores componere tentat, suos semper dissolutos habeat: & culpam, quam in aliis redarguit, in seipsum retorqueat. Quia quò alterũ accusat, seipsum damnat. Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. Laxa nimis, & remissa est doctrina, nisi vitæ, & morum probitati fuerit cõiuncta, vt audacter dicere possit. *Verba, quæ loquor,*

testi

testimonium perhibent de me. Si mihi non creditis, operibus credite. Nihil est (vt vno verbo dicam) ad perniciem Ecclesiæ nocentius, vel ad decorem monstruosius, vel ad publicam salutem infensius, quàm si is, qui aliis ministerio verbi Dei præsit, moribus, & vita subsit. Quia morum, & vitæ probitas fugat omnium vitiorum monstra, atque omnia Dæmonis repagula destruit. Quemadmodum matutinus lucis splendor nocturnas tenebras fugat, ab eo cæci lumen, paruuli doctrinam, dubij consilium, inopes subsidium, medicinam pariter, & auxilium quærere debent. Ordinatus esse debet, vt cœlum per discretionem. In omni sacrificio sal apponebatur. optima enim concionatoris vita est sal, quo doctrina conditur, & dulcis panis conficitur. Volubilis, per discursum ad prædicationem. Rotundus, per simplicitatem. Velox, per bonum exemplum: quia magis mouent exempla, quàm verba. Nam loqui facilè est, præstare verò perdifficile. quantóque alterum altero difficilius, tantò vtilius, atque præstantius. In omnibus ergo, qui futurus est Ecclesiasticus præceptor, se præbeat ducem salutis, & verum patientiæ magistrum, ne vituperetur ministerium Christi. Sit mitis, & sublimis, qui humilitatem docet. Nihil improbè agat, qui docet iustitiam: & cum Samarita relinquat hydriam mundanæ vanitatis. Qui paratus est populo euangelizare Iesum, & membris eius vires præstare, quæ paulò ante laxa, & disiuncta erãt, connectere contendat. Itaque prius Ecclesiastes se his clarissimis exornet conditionibus. Sed de hoc satis: cum viri præclarissimi, & principes nostræ militiæ de re hac egregiè, & cumulatè scripserint, quorum nonnullos breuitatis caussa superius adnotauimus. ad vlteriora itaque transeamus. Ioan. 10. Leuit. 11.

Quod concionator ante concionem se præmuniat.

Cap. III.

SIcut qui alieno ære oppressus nimis fuerit, & prægrauatus, nec habet vnde satis possit facere, creditorem humili prece interpellat, vt debitum sibi amicè dimittat: ita in cõcione debet modis omnibus Euangelicus præceptor feruenti se præmunire oratione, supplicé se Deo exhibere, cuius causa agitur, indignitatem suã profiteri, omnem

à se sui fiduciam depellere,& totâ mentis aciem in Deum dirigere: in cuius arbitrium totius negotij huius summa referri debet: vt ad tam validam, & constructam inimicorum aciem debellandam, & prorsus expugnandam, virtute induatur ex alto: Nam hominis est quidem præparare animam, sed Dei est linguam,& cor dirigere: frustra laboras (mihi crede) nec ad calcem probè decurret oratio, nisi cœlestis vox interiori aure personet. Vnde Moysi ad populum concionaturo, dixit Dominus. *Ego ero in ore tuo, téque docebo, quid loquaris:* & Ezechielem admonet. *Fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecum.* Tria itaque sunt præ aliis pio concionatori necessaria, quæ omni studio, & contentione obseruare debet: nimirum oratio, meditatio, & contemplatio: oratio petit, meditatio consilium præstat, contemplatio inuenit, & inuentis fruitur. oratio, velut fidissimus nuncius ad Deum præmittimur, cuius vis (vt B. Augu. docet) tanta est, quòd illuc intrat, quò caro peruenire non potest: in oratione verò totus se conuertat ad Deum, à quo omnis vis, incrementum, consilium & animarum salus dimanat: vt hoc perpetuò fixum animo suo insideat, animas Christo lucrari, in quo solùm præclatum docendi munus sustinet: alioquin retia quidem reficiet, sed non capiet pisces: non piscabitur, sed expiscabitur: nihil capiet præter lutum, & lapillos. nec in Domini vinea proficiet vnquam, sed omnibus erit ludibrio, & despectui, & (quod multò periculosius est) vltricem aduersùs semetipsum iram Dei excitabit. Qui ergo non præmiserit diuinam, & feruentem precem ad Deum, existimet se esse sine pulsu & interno spiritu, qui timorem omnem amouet, quo nonnunquam tota ferè dicendi vis exhauriri solet: vel potius mens eripi, quæ formidinis magnitudine oppressa, nec quid cogitet, nec quibus, nec quomodo satis prouidet: Nam *qui formidolosus est* (ait Dominus) *& corde pauido reuertatur in domum suam.* At vbi Spiritus sancti gratiam (sinè cuius ope tota mentis intentio rueret) implorauerit, oculis in altum defixis meditetur aliquantisper, breui tamen & expedita meditatione, ne auditores nimis suspensos detineat, vel potius tædium eis, & molestiam afferat: Hoc sanè obser-uauerunt semper, (& nos religiosè quidem in nostris concioni

Exod. 4.

B. Augu. sua per illud in hac oratione mea in conspec. tuo.

Deut. 23.

B. August. con. aduers.

cionibus obseruamus) antiqui patres, quorum nomen, & memoria non satis celebratur (vt testantur B. Augustinus, D. Chrysost. & sacer Hieronymus) Hinc Dauid Spiritus sancti vates eximius. *Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.* ac si diceret, tunc preces meæ erunt tibi gratæ, quando à peccatis mundatus fuero, propter illud quod dicitur peccatori. *Quare tu enarras iustitias meas?* nisi enim didiscat cor meũ turpia cogitare, tua certè, & ea quibus tu delectaris, nunquam meditabitur. Sed quæ est meditatio cordis, quæ potest ad Dominum peruenire, nisi spes, charitas, & fides? quæ vtique digna sunt Deo, illa enim merentur in conspectu eius ascendere, quæ ipse cognoscitur approbare. Hæc sunt holocausta medullata, quæ Deo offerri debent. Completa tandem meditatione, consueta contemplatione saluteur beatissima Virgo iuxta morem, & approbatam consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est mater, nutrix, & interpres omnis veritatis: tum vt hæretici confundantur, quorum mos, & inueterata consuetudo ab orbe condito semper fuit, Sanctorum laudes, & præsertim sacratissimæ huius Virginis, truculenta rabie abhorrere: tùm etiam, quia nominis huius inuocatione, & patrocinio, omnis frigiditas, & concionis languor abscedet, & omnino tolletur: Quare secundis successibus se vsurum concionator ille confidat: cui ea, quæ modò dicta sunt, menti, & cordi fixa erunt.

legat. & prophe. D. chrysosto. in ser. de Pacien. & contra huius seculi sacer. Hieronym. in exp. 1. cap. Mich.

Dauid Psal. 18.

Psalm. 49.

Casiod. in expositione.

Psalm. 18.

Quæ concionatori perorandi audaciam præbent. Cap. IV.

QVinque sunt, quæ concionatori perorandi audaciam tribuũt, scientia, eloquentia, potentia, libertas, & benignus auditus. Scientia admodum necessaria est: quia vanum est velle prius docere, quàm discere. Danieli dedit Deus scientiam, & disciplinam. Hæc est dura comminatoi, in Osea. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Vnde etiam grauiter conqueritur B. Bernardus, cum ait. *Multos canales habemus in Ecclesia, conchas autem perpaucas: quia multi effundere potius, quàm infundi student.* qui sine velis nauim impellere tentant, dummodo se

Os. 4.

D. Bernar.

esse magistros falsa existimatione, vel potius tumultuaria quadam verborum congerie ostentent: cùm tamen nunquam fuerint discipuli, quibus citra temeritatem illud possemus obiicere. Quomodo litteras scis, cùm non didiceris? quare plerunque accidit, vt dum alta petere nituntur, præcipites cum sui, & aliorum detrimento ad ima ruant. Nam si doctrina desit, quæ solet linguam disertã reddere, & ambigua quæque illustrare: necesse est, vt vniuersa prædicationis machina destruatur & (quod pernicioſius est) maneat sine medicamine intercuraneus morbus, nec vllo modo supprimi, aut extirpari possit hæresis (quo nullũ est nocentius in Dei Ecclesia malum) scientia itaque ratio illuminatur, vt discernat bonum à malo, verum à falso: quid agendum, quid dimittendum, quid credendum, quid denique prosequendum sit. Vnde illud. *Ad dandam scientiã salutis plebi eius: in remissionem peccatorum, &c.* Hæc proinde est vera scientia, qua principia, media, & conclusiones dignoscuntur. Principia, vt Deus, & quæ de Deo credenda sunt. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.* Media sunt, bona facienda, & mala vitanda. *Sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Conclusiones, vt bonorum præmia, & malorum supplicia. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam.* Eloquentia quoque necessaria est, si tamẽ ad salutem, & non ad perniciem vtatur Ecclesiastes, vt de oratore etiã docuit Cicero, cùm ait. *Inhumanum est eloquentiam ad hominum salutem, & conseruationem datam, ad bonorum pestem, perniciemq; conuertere.* Vnde B. Augustinus loquens de se ipso ait. *Placuit mihi subtrahere beneficium linguæ meæ nundinis loquacitatis, ne vlterius pueri mendicantes non legem tuam, non pacem tuam: sed insanias mendaces, & bella forensia mercarentur ex ore meo, arma furori suo:* Et idem August. *Quid valet eloquentia Paganis, quæ tanquam pocula preciosa mortiferos promit errores: & facit linguam famam & gladium bis acutum?* de quibus illud (nec temerè dici potest) lingua eorum gladius acutus: omnis enim nostra locutio esse debet vel pro Dei laude, vel pro nostri, & aliorum commodorum spe. Vnde de B. Paulo legitur: *Feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter, quæ sunt Iesu.* Nihil tam facit ad auditorum perniciem, quàm fucata eloquentia, qui cum audiunt disertè

Lucæ 1. *Psal.* *Esa.* 7. *1. Ioan. can. cap. 3.* *1. de offic. lib. & lib. 3. c. 18.* *B. Aug. 3. conf.* *B. Aug. in lib. serm.* *Act. 18.*

diserte loquentes, etiam vera dicere arbitrantur: cum tamen & improba & turpia eloquenter aliis persuadeant. Non ab re præcepit Dominus fieri labrum æneum ad lauandum. Labrum æneum eloquentia est, quæ veluti æs sonans, à peccatorum sordibus abluit. Potentia quoque, seu dicendi vis, quæ à natura est, non modicam præbet ad dicendum audaciam, si fuerit tamen ratione, & non furiis ducta: quicquid enim effrænato fit animo, ac turbata ratione, id confusè & ineptè fieri oportet: plumbum siquidem in igne positum, liquescit, & splendet: si tamen diu persistat, facilè dissoluetur: amara plusquam dulcia competunt medicinæ, si modum non excedant: nam asperitas, & sæua bella, & odium lethale excitare solet. vnde quidam non inepte canit. *Exod.* 4.

Exigua est virtus, præstare silentia rebus.
Et contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Caueat tamen concionator, ne pro suo libito linguam soluat: nec rigidè, vel rauco (vt dici solet) gutture in magna populi frequentia, & sacro hominum cœtu principem aliquem, aut prælatum carpat, ne auditorum palpatione delinitus, seditionem mouere videatur: neve canis rabidi lattabilem, & mordacem naturâ sapiat: vel potius populi auram vana ostentatione aucupari præ se ferat. Verùm quid prodest dicendi potentia, nisi fuerit cum libertate coniuncta est autem Libertas (quam Græci παῤῥησίαν appellant) loquendi, admonendi, increpandiq; fiducia, cum quicquid vis, quod sentimus, libere loquimur, nullius respectu, gratia, aut potentia commoti. Adulatio enim, quæ libertati opponitur, aut retricentia in præceptore Euangelico culpabilis est, quando præsertim (conniuentibus oculis) ea dissimulat peccata, quæ præ cæteris insignem, & manifestam improbitatem habere dignoscuntur: cum B. Paulus Apostolus diuini verbi præclarissima tuba, admoneat Timothæum, vt arguat, increpet, obsecret: & vt constans, & intrepidus in omnes se vertat figuras, vt Christo (cuius causam agit) lucretur animas, omnesq; dicendi machinas auditorum mentibus admoueat, vt ad prioris vitæ detestationem traducere possit: ita tamen sit importunus, vt opportunitatem non dimittat: Quemadmodum Ioannes 2. Tim. 4.

non

non timuit arguere Herodem Antippam regem. Apostoli etiam, qui in hoc mortali corpore nondum exuerant ruditatem, atque ignorantiam carnis, dum Christum prædicarunt, nec minis principum ab eius cultu deterreri, nec vllis tormentis inhiberi potuerunt: sicut mons Syon, qui non commouebitur in æternum. Dolet quoq; Isaias, Oziam impium, & nefarium regem non corripuisse, cum ait, *Vel*
Es. 6. *mihi, quia tacui.* Corinthios etiam duriores effectos increpat B. Paulus. *Quid vultis? (inquit) in virga veniam ad vos, an*
1. Cor. 4. *in charitate, & spiritu mansuetudinis?* Hoc itaque consilium perpetuò tibi fixum sit, si in redarguendis auditorum conscientiis negocium haberes cum aliquo magnate, aut Prælato, vel principe, vtere meo consilio, & tua prudentia, ne lacessere præsumas: quia regium, & ingenuum animum, exulceras potius, quàm ad pœnitentiam adduceres. ô infœlix, & lugēda præsumptio! succurrat tibi egregium illud, & penè diuinum paradigma diuitis, & pauperis: quod Nathan Dei nuncius Dauidi Regi post eius prolapsionē (perpetrato iam adulterio, proditione, & homicidio) in sui, & aliorum adduxit exemplum: qua industria ita regius animus fuit commotus, vt, regalibus insigniis, & tantæ maiestatis solio posthabitis, seueriſſimam (plusquàm dici potest) aduersus semetipsum protulerit sententiam. Tutius itaque erit probatæ tuæ vitæ exemplo magnates instruere, quàm comminationibus deterrere: formicæ instar, quæ, cùm aliquod pondus ore trahit (ne oneri succumbat) solet
1. Tim. 4. ipsum præcedere. Hoc est, quod B. Paulus admonet Tim. *Exemplum esto fidelium in verbo, vt (supple) sit veritas, in conuersatione: vt sit vitæ probitas, in charitate: vt sit amicitiæ firmitas, in fide: vt sit sapientiæ charitas, in castitate: vt sit continētiæ puritas.* Erat denique vltima conditio, quæ perorandi audaciam conferre solet, benignus Auditus. Quamuis enim priuata, & familiaris collocutio efficacius nonnunquam informare possit, quàm publica prædicatio, vel lectio, quæ
B. Greg. super euang. lib. 1. in frequenti hominum congressu habetur, vt B. Gregorius docet.) *Collocutionis* (inquit) *vox corda torpentia excitat,*
Tim. 2. *plusquam lectionis, & quasi quadam manu solicitudinis, vt euigilent* (supple audientes) *pulsat*: auditorium tamen frequens, & benignus auditus solet exercitato oratori maxi-

mam

mam vim suppeditare: sicut equus, dum per viridem campum solutus spatiatur, nouam quidem videtur induere ferocitatem. Hoc nimirum & D. Chrysost. euenisse legimus: qui, cum semel dicturus esset ad populum, visa populi frequentia, tanta fuit voluptate perfusus: vt & maiores vires assumpserit, & ad dicendum efficacius animum parauerit: Verùm, vt populus sine tædio ad sacros cœtus conueniat, dilucida, & explanata oratione vtatur Ecclesiastes, vt auditores audita memoriæ facilius commendare queant: sunt enim auditores veluti os in corpore: nam sicuti os omnes cibos recipit, bonos autem, & sapidos in ventriculum transmittit, noxios verò, & insipidos reiicit: ita auditores omnia admittunt, ea tamen memorię commendant, quæ dilucidè, & breuiter fuerint explicata, hoc docet B. Augustinus. *Nihil tam necessarium, tamque pertinens poterit vtrisq; contingere, quam vt quod religiosè dicitur, & deuotè auditur, obsequiis competentibus teneatur.* quamobrem non discentes modò, sed & docentes dispositione, & ordine opus habent, vt hi & liberè, & syncerè doceant: illi verò rectè cuncta percipiant, & ad spiritualis vitæ (donante Deo) institutionem conuertant.

B. Augustin. lib. 1. de verb. Domini.

De præcipuo concionatoris munere. Cap. V.

PRæcipuum concionatoris munus est, piè, innocenter, & eruditè docere, prauas consuetudines è medio tollere, regnum Dei augere, & veluti spiritualis dux, & antesignanus animas ad beatitudinem promerendam excitare: cuius partes potissimæ (vel ipso Augustin. teste) tres sunt, docere, delectare, & flectere. Docere necessitatis est, delectatio auditoris animum allicit, flectere victoriæ. Doctrina est veluti basis, & fundamentum spiritualis huius structuræ. *Intelligens gubernacula,* (vt Salomon ait) *possidebit.* quæ vberrimos fructus in nos deriuandos producit, si qui docet (vt Augustin. ait) vitauerit omnia verba, quæ non docent: & si inter docendum occurrat aliqua ambiguitas, tollatur omnino, ne ignotæ, vel dubiæ rei conniuentia auditoris animum remoretur. Delectabit, si ea quæ dicit, elaboratè, & continuè insetet, si debitam soni reddit melodiam,

B. Aug. lib. 4. de Eccl. dict. c. 11. & 12.

Prouerb. 1.

lodiam, si veritates Euangelicas, quas ipse adduxerit, doctrina, & gratia ornauerit, si verborum lepore suspendat, sententiarum grauitate, & orationis impetu flectat, & misteriis altius repetitis paret animos, vt in auditorum animis libenter admittatur. Vim habent delectandi maximam exempla, non trita, & passim obuia, quæ potius adrisum mouent: sed grauia, & accommoda, vt siquis rudi, & imperitæ plebi verba facturus sit de regno cœlorum, adducat exemplum agriculturæ, quæ est quædam expressa imago regni Dei. verùm quemadmodum in agro frequenter infelix lolium, & steriles dominantur auenæ: ita in Christi Ecclesia mali bonis permiscentur. Hæc, & his cognata adducantur exempla: in quibus tamen certa regula dari non potest, cùm id potius vsu, & dicendi consuetudine acquiratur. Flectere etiam oratoris est. B. Augustinus flectere, substantiam, & cor orationis appellat. Cicero quoque contulit palmam oratori, non qui bene orauerat, sed qui mouebat affectus, & flectebat corda. Quid verò est mouere bellum, & non consequi victoriam. Nec mirum est, si semper non flectat: quia nec medicus semper sanat ægrotum: medici tamen nomen retinebit, si modò ad sanandum opportuna adhibuerit me-

B. Augusti. lib. 1. con. Cresc. gram. dicamenta, in quem sensum B. Augustinus ait. *Sicubi diligentia medicinæ huius impensa nõ prodest, sufficit ad rationẽ Deo reddendã, quòd non cessauit impendi. Sicut enim malignus suasor peccati, etiã si non persuaserit, meritò pœnam deceptoris incurret: ita fidelis iustitiæ prædicator, etiã si ab hominibus respuatur (absit vt apud Deum sui officij mercede fraudetur.)* Ita sanè concionator (& si non semper flectat) si tamen poterit parua submisse, modica temperatè, magna grauiter dicere, eloquens dicetur. Huc ergo tẽdit omnis industria, & labor cõcionatoris, vt aliquem fructum laboribus partum recipiat, sicut belli dux gaudet, & triumphat cõsecuta hostium victoria: mouebit, si induat personam conquerentis, hortantis, irascentis, si pedibus consistens (capta ex tempore occasione) lamentetur, terreat, minetur: quia pedis supplosio in contentione, aut incipienda, aut finienda, maximam habet vim mouendi, & excitandi auditores, vt cùm (gratia verbi) concionator pedibus terræ illisis, sonitum

faciens

faciens ad auditores se conuertit, ac si ab ipsis videatur petere consilium: hoc modo, dicite quæso peccatores, quomodo excitatis Deum ad vindictam, & ad iracundiam prouocatis? quo nam modo redimentur peccata vestra, quæ in immensum tendunt? Vnde nautam imitari debet, qui nunc est in portu, nunc est in alto, nunc ridet, nunc plorat: ac velut ædificator egregius, qui ædificat, diruit mutat quadrata rotundis: ita si tu in conciliandis, aut commouendis auditorum animis gnauiter, & dexterè id effeceris (quod modo dictum est) confidas, non mediocrem fructum ex his consequi posse.

Quid concionator si debet alios mouere, debet in seipso esse commotus. Cap. VI.

SIcut stomachi frigiditas humano corpori noxia est, & mortem inducit, ita orationis frigiditas, quæ est malus rerum interpres, neque audientium sitim extinguit, nec afflictis animis (id quod exigitur) refrigerium aliquod præstat. Omnium enim affectionum fons est amor: & affectus est veluti sanguis orationis: nam qui frigidus est, vel tepidus, quonam modo alios calefaciet? humentia ligna non facilè ignem concipiunt: quemadmodum etiam si extinctis carbonibus alios adiungas similes, nunquam accendentur: accendentur autem facilè, si iam igni hæreant. Petrus Apostolorum princeps, quando frigidus erat, haud potuit vnquam voce sua mulierculam vnam in Dei amore accendere: quin potius mulierculæ vox, tanquam ventus aquilo ad aures Petri perueniens, mentem illius vsque adeo gelidam fecit, vt dicere posset,

Gelidúsque coit formidine sanguis. Virg.

Verùm vbi cœlestis ille ignis è cœlo delapsus, cor eius & linguam inflammauit, tria ferè hominum millia ad Deum sua prædicatione conuerti. B. quoque Pauli pectus tanto Christi amore flagrabat, vt æstum, ac diuinum ardorem vix animo continere posset: cupiebat enim nedum Euangelium, sed Deo animam tradere: Helisæus propheta ita diuino æstuabat amore, vt insanus diceretur. & Dauid

rex,

4. Reg. rex, & propheta eximius insanire visus est, quando arcam reduxit à Gabaa in Hierusalem, vbi Michol eius coniunx videns eum per fenestram nudum subsilientem, irrisit. Summa ergo ad commouendos animos in hoc posita est, vt moueamur & ipsi: & eos affectus in te ipso habeas, quibus velis auditorem affici. quòd si eo destitutus fueris, ad dicendum minimè eris idoneus: ille viatum anfractus, & diuerticula optimè intelligit, qui, vt cursor assiduus viam teritita ille, qui in seipso commotus est, aptè alios mouebit, non ad commiserationem modò, vel indignationem (vt oratores passim faciunt) sed ad odium peccatorum, & ad detestationem malè actæ vitæ. huc spectat Horatianũ illud præceptum.

Horatius in Arte Poëtica.

Vt ridentibus arridentibus, ita flentibus adsunt
Humani vultus, si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lædent.

D. Grego.

D. Bern. super cant. Serm. 59.

Non enim inflammare verba possunt (vt docet Gregorius magnus) *quæ frigido pectore proferuntur.* nec res, quæ in seipsa non ardet, aliud accendit. Vnde D. Bernardus: *Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum: sed mihi planctum moueat.* Quod si ita est, quid quæso ad inflammandos, & concitandos animos perfecta charitate præstantius? nam charitas est ignis non semisepultus, sed qui iam flamma existit; non à silice, sed è cœlo delapsus. Si ignis in nube inclusus violenter tandem cum sonitu emicat, quid mirum si cœlestis hic ignis in pectore clausus, verborum emittat fulmina, & tonitrua, quibus hominum mentes excitet, & terrore concutiat? O verè mirandа charitas, quæ tam multa potes, tam magna præstas! concionandi artifex, dicendi perita, quę ferrum suaptè natura frigidum non modò calefacit, sed & ita ignit, vt veluti scintillas quasdam emittere videatur. Quidam Sanctus interrogatus, vnde nam miranda, quæ dicebat, hausisset, in libello (respondit) charitatis: vtinam ergo charitatis igniculus vigeret in concionatoris pectore: vt auditorum corda emolliret, qui mansuetudinis spiritu, & leni, ac suaui flatu ducendi sunt potius, quàm loris, & comminationibus.

Qualis futura sit diuini verbi prædicatio. cap. VII.

Natura

NAtura comparatum est, vt quicquid sublime,& magnificum est, id quoque arduum sit, & perdifficile: quamobrem, cum diuini verbi proclamatio eminentissimæ sit dignitatis: ita mirandum in modum perardua, & difficilis est. Nam cùm partes Christiani oratoris sint corruptæ vitia naturæ extirpare, atque virtutes inserere: huc maximè incumbet concionator, atque omne studium, & operam suam adhibebit, vt hominum affectus excitet (& fieri potest) ad nouas cogitationes, ad noua studia, ad nouam denique vitam reformandam, & instituendam inducat. Quod vt facilè assequi possit, debet concionator esse fortis in præceptis, compatiens in infirmis, in commination terribilis, in exhortatione blandus, in oratione feruens, in gratiarum actione solicitus: ac proinde diuini verbi prædicatio erit

{vera / vtilis / suauis / perseuerãs / prudens.} Vera esse debet: quia melius est, & tutius veris offendere, quàm adulando placere. Veritatem meditabitur guttur meum, ne sit noctuæ instar, quæ pulchros quidem aspectu habet oculos, nunquam lumen solis contemplatur: veritas namque & si nullum in causis patronum, aut defensorem obtineat, se ipsa tamen defenditur: cuius vis tanta est, vt nullo aut hominis ingenio, aut arte subuerti possit. Apostoli, licèt in his corporis compagibus inclusi. *Cum fiducia tamen loquebantur verbum Dei.* Vtilis quoque erit, cum rudi populo, & imperitæ plebi vtilia, & popularia proponuntur potius, quàm subtilia, & curiosa, vtpotè diuina mandata, articuli Fidei, præmia cælestia parata bonis, Inferni supplicia malis comminata, mortis & extremi iudicij terror & formido, Dei, & proximi dilectio: hæc rudi populo & simplici plebi declaranda sunt, annunciando si quidem (iuxta præscriptam B. patris nostri Francisci regulam) vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam cum breuitate sermonis. His quatuor totis voluitur tota concionis machina: sicut agricola non iacit semen corruptum, sed purum, nec sine spe vberioris fructus: quamobrem non sinè calumnia sunt illi, qui ea docent, & iactant, quæ ab auditoribus minime possunt intelligi, quæ potius intra scho- Act. 4.

larum anguſtos parietes edoceri deberent, quàm in Eccleſia, vbi imbecilles, & rudes quàm plures exiſtunt: Nimirum ſi hos Deus ex induſtria plerunque permittit cadere, vt ſeipſos colligant, & vires proprias agnoſcentes, diſcant aliorum ruditati compati: Vnde B. Auguſt. *Audeo* (inquit) *dicere ſuperbis, vtile eſſe cadere in aliquod apertum, manifeſtúmque peccatum, vt ſibi diſpliceant, qui ſibi placendo præſumebant.* hos quoque redarguit Apoſtolus in priori, quæ eſt ad Corinth. epiſtola. *Loquimur non indoctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus.* Vnde B. Auguſti. *Ad fidem, ſpem, & charitatem, tota militat diuina ſapientia, quæ principaliter ordinatur ad Dei honorem.* Quare ſi in docendo præferas honorem tuum honori diuino, non eris ſine mortali crimine, cùm fructuoſa potius, quàm curioſa pro veritate inueſtiganda tractanda ſint. Vnde libet exemplum intexere, quod habes in Hiſt. trip. In Concilio Nicæno: adfuit hæreticus quidam, quem cum diſertiſſimi viri leuitatis ſuæ conuincere non poſſent, mox inſurrexit quidam vir alioqui idiota, ſed probus: qui ita hæreticum illum aggreſſus eſt. In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. ô philoſophe, audi dogma ſacræ veritatis, nulla hîc ſpondet fortuna ſalutem. vnus eſt Deus cœli, & terræ, creator omnium viſibilium, & inuiſibilium virtute verbi ſui: fruſtra laboras, ſi tentas ea demoliri, quæ fide tenenda ſunt. deſine ea inueſtigare, quæ captum tranſcendunt humanum: cùm ea, quæ ante oculos obuerſantur, ſint nobis ignora: quibus præpoſitis interrogauit philoſophum, an ita crederet: cui ait, credo. At ille, ſi ita credis, ſequere me, & ſignaculum fidei ſuſcipe, id eſt baptiſmum: tunc philoſophus ad diſcipulos ſeſe conuertens, inquit: audite viri eruditi, donec mecum verbis actum eſt, verba verbis oppoſui At virtuti verba reſiſtere nequeunt: ex quibus facilè conſtat, quàm vtilis ſit prædicatio, quæ à puro pectore dimanans, frequenti meſſe Domini horrea complet: Suauis eſſe debet, quia fauus mellis verba compoſita, ait Salomon ſapientiæ antiſtes. *Dulcedo animæ, ſanitas oſſium, vena vitæ, os iuſti.* Vena vitæ dicitur, quia impius à prædicatore inſtructus, relicto errore, ad viam ſeſe confert veritatis. Apes (vt Plinius ait) quæ ſunt animalia valde fœcunda,

Aug. de ciuit. Dei li. 4. cap. 13. 1. cor. 2.

Aug. lib. 1. de doctr. Chriſtiana.

Henricus Gãd. Quol. 1. q. 34.

Her. quol. 2. q. 16.

Hiſt. trip. lib. 2. ca. 3.

Prouerb. 16.

caſtra

castra sua nimia prole replent, & mel solent ex floribus conficere: sicut musica cor hominis demulcet, & intra os ipsum defluere facit, & liquefieri, ita vt plerunque cor peccatoris in lachrymas conuertatur : ita dicendi suauitas auditoris cor emollit, & spiritum eius in Deum leuat. Prophetæ futura prædicentes aliquo musico instrumento ad Deum ducebantur, vt de Helisæo legitur : cuius spiritus melodia psalterij totius belli euentum tribus regibus prædixit. De Dauid quoque eximio vate legitur, qui in templi ministerium tres segregauit musicos, immò ipsemet cithara sua spiritum immundum à Saule depulit ita facere debet concionator (prudentis medici instar) qui dum vult amaram medicinam ægroto propinare, dulce quid immiscet, vt sub dulcis specie gustet amarum : Vnde quidam non ineptè. *4. Reg. 3.* *1. Paral. 25.* *1. Reg. 16.*

Excitat & nutrit facundia dulcis amorem.
Difficiles aditus impetus omnis habet.

De Orpheo filio Solis narrant fabulæ, quòd ita dulciter canebat cithara, vt arbores, & saxa ad se traheret. quòd, iuxta. S. Isidori sententiam, dulcedine verborum suorum homines agrestes ad communem hominum, cohabitationem attraheret : ita prædicator lapides. & saxa, id est corda lapidea, per compunctionem emollire poterit: est enim veluti pictor egregius, qui arte naturam imitando, colores coloribus permiscens, visibiles corporum depingit imagines: & facit homines, & animalia, & arbores. Sed non de ea metamorphosi loquor, quam Pythagorici iactant, & Virgilius antiquitatis amantissimus describit, cum ait. *Virgilius.*

His ego sæpe lupum fieri, & se condere siluis.
Marin sæpe animas imis excire sepulchris,
Atque satas alio vidi traducere messes.

Verùm de ea transformatione intelligo. Cum homo diserta ratione in tanta omnium scelerum colluuione irrationalem sumit appetitum, vt dixerit Plato.

Non est homo id, quod videtur.

Perseuerans quoque esse debet, & continua.

Psal. *Annunciate de die in diem salutare eius.*

Mandatum erat in lege, ne deficeret ignis in altari, id est

doctrina inflammans, & illuminans. Ita B. Paulus adiurat
2.Tim.4. Timotheum, vtmodis omnibus Dei verbum prædicet, vtiliter doceat, suauiter moneat, seuerè vrgeat, & pergat exequi quæ sunt sui muneris, & verbum Dei prædicet: non intercisa, sed continua oratione: nam, vt quidam ait.

Intercisa perit, continuata viget. Et re vera dicendi continuatio, & assidua in auditorum aures proclamatio est veluti rationalis anima, quæ (vt nouit Philosophus) adueniat enti completo: cum enim verbum Dei sit pabulum animæ, debet perpetuò reficere. Hæc fœliciter & fortunatè consequeris, si ea, quæ modo sunt prudentiæ
Ecc. 21. sale condiantur. *Qui verba prudentiæ statera ponderantur.* Nihil est tam cognatum prudentiæ humanæ, quàm locis, & temporibus aptare sermones, vt modò ad vnum, modò ad alium conuertas sermonem, vt prouidus explorator: & sicut scriba doctus, qui profert de thesauro suo noua, & vetera: ac véluti fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram. Fidelis, ecce quis esse debeat. Prudens, ecce qualis. der in tempore, ecce temporis opportunitas. tritici mensuram (supple) electæ do-
Eph.5. ctrinæ, ecce quantum. Hoc fecisse visus est Paulus Apostolus. *Viri diligite vxores vestras. Filij obedite parentibus. Serui obedite Dominis. Mulieres subditæ sint viris suis.* Ita quoquè Beatus Ioannes. *Scribo vobis adolescentes. scribo vobis patres. scribo vobis infantes:* Quare diuersum in concionibus stylum, optimum quidem, & præstantissimum dicendi magistrum sancti omnes obseruauerunt, nullam maiorem opportunitatem, quàm populi necessitatem expectantes: singula singulis (vt erat captus hominum) co-
D. Hiero. aptabant. Nam vt ait D. Hiero. ad Fabiolam. *Pro varietate gustus, variorum condimentorum alimenta delectant, alijs dulcia placent, nonnullis amara.* Quæ alijs obsunt, cateris prosunt. Leuis sibilus, qui fit ore compressis dentibus, & parum diductis labris, equos mitigat, & canes instigat. &
Ezech.12. Gregorius magnus. (vt ait Salomon) sermo opportunus optimus. Hoc in Ezechiele significatum est, cum ait. *Ecce manus missa est ad me, in qua erat liber inuolutus, & expandit illum coram me.* Manus est prædicator. liber est sacra scriptura, quam debet exponere,

ponere,iuxta auditorum ingenium. Quia ſicut corporale alimentum non omnibus prodeſt: infantulis enim panis eſt noxius, qui adultos roborat: mel ſenibus vim confert nutritiuã, quod tamen pueris obeſt, & corporis (vt aiunt) tormina inducit,quibus inteſtina exulcerantur. Sic in Eccleſia Dei alij ſunt, quibus lacte opus eſt, id eſt humiliori doctrina (vt vſitato ſacræ ſcripturæ tropo docet B. Ambroſius.) alij in Chriſto adoleſcere incipiunt qui ſolidiori cibo indigent,& ad altiora nituntur. Nónne agricola qualitatem terrę prius contemplatur,quàm ſemen iaciat?hinc quidam ait, *Prou.15.* *B. Amb. lib. de Inſt. Virg.*

Nec tellus eadem parit omnia,vitibus illa
Conuenit,hæc oleis,hîc bene farra virent.

Non ergo exiſtimet concionator vnius tantùm generis homines fidei ſuæ eſſe commiſſos, vt vnum omnibus ſit indumentum:& præſcripta quadam dicendi formula erudire, atque eadem exhortatione ad veram pietatem inſtituere æquè omnes fideles poſſit,ne proprio fine(citra omnem ſpem futuri cõmodi)fruſtretur: ſed intelligat ſe eſſe perfectum muſicum, qui eodem plectro, ſed non eodem pulſu neruos ferit extenſos. ſi ergo citharœdus tanta diligentia contulit, vt obtantis chordæ cõpeſcat vitium, & eandem aliis concordem reddat:vt modò tenſis,modò remiſſis chordis perfectam faciat melodiam:quantò magis concionator debet auditores nunc rigore iuſtitiæ, nunc remiſſione clementiæ inducere, vt quaſi vnanimes ſint in domo Dei? Et ſicut piſcator ſolet inueſtigare ſinus, flexus,curuitates,ſcopulos,vada,littus,altum mare, nec vno ſolùm vtitur retium genere, neque venatur retiaculo in medio mari, vbi piſces magni retia conſcinderent:neque in littore diſtendit magna retia, ad capiendos piſciculos, qui per lata foramina (quæ nimis patent) quam primùm euaderent:ita periret omnis eius labor,& induſtria: & (vt dici ſolet) piſcaretur in aëre. Hæc.quæ modò dixi.piſcatoris ſunt Euangelici,vt facilè comprobare poſſem auctoritate Gregorij Nazianzeni, quæ tanta eſt (vt teſtatur D. Gregorius, Hieronymus, & Rufinus) vt nullus vnquam eius dictis calumniam inferre præſumpſerit, immo potius putaretur hæreticus,qui ei auſus fuiſſet in aliquo contrai- *D. Gregor. in Paſt. & 30. Moral. Sacer. Hieron. Rufinus.*

re, tanræ ergo auctoritati malo acquiescere, quàm vlterius progredi. hoc solùm adducam, quòd Dominus docturus discipulos, montem conscendit, vt ostenderet eos sublimioris disciplinæ iam capaces: descendens verò de monte, cum turba loquebatur: quo exẽplo voluit instruere præceptorem Euangelicum, vt rerum, quas proponit, & hominum, apud quos dicturus est, habeat rationem.

De tribus actibus Hierarchicis, à quibus vniuersæ concionis summa hauritur.
Cap. VIII.

IN cælesti Hierarchia (vt B. Dionysius Areopagita, fidelis Apostoli Pauli discipulus docet) tres sunt actus Hierarchici, purgare, illuminare, & perficere: qui concionatori magnopere (veluti concionandi claues) accommodari possunt: ex quibus (quasi ex promptuario quodam) haurire potest omnem dicendi facultatem, vt facilius assequi possit quicquid de vnaquaque re proponit. Purgare, est purum agere, & sordibus liberare: sicut medicus purgat corpus, vt sanetur. cuius scopus est, vt præter naturam affectos (quoad eius fieri potest) ad naturalem statum sciat reducere: vel saltèm dignoscat, qui sanabiles sint: & qui deplorati: Ad hunc sanè modum debet
Malach. 3. prædicator Euangelicus purgare (ait Malachias) *Sedebit conflans, & emundans argentum.* duo dicit, conflans, & emundans: quæ ad hoc præclarissimum munus spectant. Nam conflare est liquefacere, & in massam redigere, hoc quidem facit concionator, quando auditorem afficit vel supplicij terrore, vel præmij desiderio, vt mens peccato-
D. Chrysost. in epist. D. Paul. ad Ph. Hom. 6. ris timore inferni mollita, & expergefacta, quæ Dei regno digna sunt, exequatur. Solet medicus morbos, quos leuioribus curare nequit, ignem vel ferrum adhibere: nec vnquam vtitur grauioribus, nisi, cùm leuium beneficio desiderata sanitas desperatur. exẽplum adducit D. Chrysost. *Malleus quidem est grauis. verùm parat vasa vtilia, & distorta dirigit. ita verba dura, & grauia, quæ in auditores à prædicatore proferuntur, non frangunt, nec conterunt pium animum, sed potius corrigunt.* Verùm inter ea, quæ vim purgatiuam

tiuam habent, est cordis cõpunctio, quæ vt flamma ignis, ex violentia sui motus cõcitata, materiam, in quam agit, euertit, & quendam sonitum reddit : ita cor diuini verbi potentia concussum, voce in altum sublata, eiulatum quendam emittit. Vnde Ioël Propheta, *Exilient sicut sonitus flammæ ignis* : & in libro Numeri habet Moyses. *Quicquid potest sustinere ignem, igne purgabitur.* Hoc proinde est conflare, & emundare cor, vt purum, ac tersum sit, ac omni virtutum candore nitens, veluti fragrantia aromata, quæ suo odore circunfusa aërem complent. Secundus actus Hierarchicus est Illuminare, id est piè, innocenter, & eruditè docere, nam (iuxta B. Dionysij probatam sententiam) Angeli superiores illuminant inferiores, sicut in templo erant vasa maiora, & minora. *Sicut dulce lumen est, & delectabile, videre solem.* (ait sapiens) ita verbum Dei interiores animæ oculos lætificat, nisi ponatur obex. Corpus quidem luminosum, quod sua sponte lucet, non emicat suis radiis, vbi non est dispositio : solétque lumen lippis oculis molestiam afferre; ita verbum Dei. Vnde Petrus Apostolus. *Mihi data est gratia illuminare*, id est clarè docere. Tanta est huius actus præstantia, quòd nulla ars, vel disciplina sine magistro docente haberi potest : est enim doctor in Dei Ecclesia veluti os, quod intra suam concauitatem cibos recipit, & ad corpus nutriendum transmittit : & sicut radix, quæ terræ fugit humorem, quo arboris rami quoque alimentum trahunt, & nutriuntur, ad hunc modum concionator nutrit fideles animas salutari pabulo verbi, quo pinguescit anima, cum salutaris doctrinæ lumen mentem illustrat, sensim irrepit, & in auditorum aures influit. Vtilitatem huius actus docet Paulus Apostolus. *Omnis doctrina diuinitùs inspirata, vtilis est ad docendum.* Quibus verbis perspicuè demõstrat, quæ ad doctrinam, & quæ ad mores formandos conducunt. Vnde qui docet, & docendo illuminat (ait D. Chrys.) & si opus amitteret, nõ caret mercede sua, iuxta Dan. Prophetæ traditionem. *Qui ad iustitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et Iacobus Apostolus. *Qui conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam suam à morte.* Quisquis ergo assumit hoc dicendi egregium

Ioël. 2.
Num. 32.
Ad Ephes.
Dan. 12.
Iacobi 5.
Exod. 25.

munus, vt animalis lucretur Deo, nedum aureolam assequitur, quæ est singularis quædam excellentia præmij, sed etiam auream, quod est præmium essentiale. dixit Dominus Moysi. *Facias super coronam auream alteram aureolam.* hinc de B. Patre nostro FRANCISCO canit Ecclesia. *Auream victor meruit, aureolam dū docuit.* Postremus actus erat, quando ad perfectionis cumulum deducitur peccator. Nam, cum inualescentibus peccatorum tenebris, rationis vires paulatim deficiunt: & graui, ac periculoso casu miserabilis homo præruptus fertur in præceps: tunc diuini verbi prædicatione maximè contendere debet Euāgelicus præceptor, vt eum purget, illustret, & (si fieri potest) ad perfectionis exitum perducat: huc quidem tendit omnis actus eius hierarchicus. Nam si fortè quæras, quare Deus voluit homines per homines doceri? respondet quęstioni B. Augustin. ne humana natura vilescat. *Poterat* (ait) *Angelum docere: sed abiecta esset humana conditio: secundò vt daret responsa de humano templo: verum enim Dei templum est humana mens* (*vt testatur Apostolus*) *templum Dei sanctum est, quod estis vos: Deinde vt charitas aditum haberet refundendorum, & commiscendorum sibimet animorum.* Sed quam doctrinam habere debet? dico triplicem esse actum docendi. Simplex exhortatio, cui sufficit scire mandata, & credenda. Secundus prædicandi: & tunc scire tenetur exponere mandata, & credenda, vt docet B. Petrus Apostolorum princeps. *Parati omni poscenti vos reddere rationem.* Tertius actus est cathedram tenendi: & tunc scire tenetur omnia, quæ ad cathedram spectāt. his sanè præceptis absoluetur tota actuum summa, quam superius commonstrauimus.

D. Tho. quolib. 5. art. 25.

B. Aug. lib. de doctr. christiana.

1. Corinth. 3.

Alexand. de Ales. 3. parte Summæ q. 68. memb. 3.

1. Petr. 3.

De differentia inter oratorem, & præceptorem Euangelicum. Cap. IX.

DIscrimen est, & non vulgare, inter oratorem, & concionatorem. Nam orator ille est, qui aptè, distinctè, & ornatè ex tempore dicere potest de quacunque re sibi proposita, & præsertim de rebus, quæ pertinent ad Reipublicæ vtilitatem (auctor est Cicer.) ex quo

ex quo colligimus, in omni oratione tria adhiberi, eum, qui dicit, eam rem, de qua dicitur, & eum, apud quem habetur oratio. Duo autem sunt oratoris officia, vnum supremum, quod modò dictũ est, scilicet de quolibet compositè, cumulatissimè, & cum quadam actionis dignitate dicere, & cum iudicio humanarum actionum: quod est condimentum orationis. Vel (vt Cato dicebat) Orator est vir bonus, dicendi peritus: quæ finitio, & si nimis vaga, & lata sit: aptari tamen potest, ac si diceret, eloquentiam sine vitæ probitate minimè conferre posse. vir bonus consistit natura, moribus, vita, artibus: dicendi peritus consistit artificiosa eloquentia, quæ constat partibus quinque, de quibus paulò infra sigillatim disseremus. Alterum est intermedium, quod est docere, mouere, & delectare: quæ Arist. appellat munera intermedia: Orator itaque ille est, qui ea attingit, quæ rei, aut personæ (de quibus dicit) arbitratur inesse: vt si rem iustam velit defendere, ea tantùm eliget, quæ ad eius rei confirmationem pertinent, in quibus oratoris prudentia locum habet. Nedum autem aptè dicit orator, sed ornatè, quod auditorum vitio comparatum est: quorum studia, & voluntates artificio quodam, & illecebris verborum, voluptatibúsque orationis elegantia, verbísque lectissimis, vel potius oratoris impetu impelluntur. Hoc quidẽ est aptè dicere, vti plena, & perfecta eloquentia (quod oratoris proprium est) vt docuerunt viri eloquentissimi, nimirum Gorgias, Aristoteles, & Hermachora apud Græcos. Alpharabius apud Arabes. Cicero, & Quintilianus apud Latinos. At concionator semper vera dicit, mentísq; aciem in Deum figit, vt eum precibus flectat: sicut videmus Dauidem oratorem à Spiritusancto edoctum, nonnunquam summi iudicis captare benevolentiam, explicare nequitiam aduersantis, orationis defectum, vt exoret iudicem, & ad misericordiam flectat. Debet itaque concionator esse in sermone verax, in iudicio iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis, & constãs, pius in affectu, virtutibus insignis, bonitate laudabilis. Hęc sunt, quæ expectantur à præceptore Euangelico, vt aliquid efficiat in auditorum animis. Sed turpe esset, si cùm vita pugnaret oratio, sicut si grammaticus barbarè loque-

Cic. in 1. ad Herenn.

Quint. lib. 9. cap. 4.

Cato.

Arist. c. 1. Rheth.

& Cic. 2. de Orat.

retur. At longè turpius erit, si concionator in arte, quã profitetur, labatur: indecorũ enim est doctori, quãdo culpa redarguit ipsum. si vas fuerit corruptũ, corrũpet aquam. Non sufficit habere scientiã, nisi adsit conscientia, & si ipse non est vir probus, & dicendi peritus, quonã modo poterit inseruire loco, tempori, & personæ? lites dissoluere? oblatrantes retundere? obloquentes reprimere? proteruientes castigare? auditores, ad quos omnis ratio dicendi est conferenda, flectere? Adde, si in peccato vel occulto, vel manifesto docet, si nõ studet dolere de peccato, contemnit, & peccat iuxta illud. *Propterea Deus destruet.* Hæc dicendi peritia in tribus potissimũ cõsistit, natura, doctrina, & vsu: naturæ ius est immutabile. Quis docuit elephantẽ dentes suos frangere? ceruum dictamũ comedere, vt sagittã infixam extrahat? canem pro vomitu excitando, gramen comedere? hæc à natura (quæ est vis insita rebus) nobis data sunt. Vnde ait B. Aug. *Nullum est adeò magnũ vitium, quod possit delere extrema naturæ vestigia.* Parricidij species est, impugnare iura naturæ, quæ hoc habet præcipuè, vt cognoscat quid faciendum, quidve omittendũ sit: quamuis difficilè sit definire (vt Tullius ait.) Deinde est doctrina, quę vera esse debet. *Principium verborum tuorum veritas.* non discrepans à vitæ probitate. *omnes viæ tuæ veritas,* vt verba ad vitam ducant æternam, vt sit constans: quia constantia est mater virtutum, vitiorũ nouerca. Postremò est vsus, qui est magister egregius, & optimus dicẽdi interpres, qui si frequens sit, omniũ magistrorum præcepta superabit. vsus enim, & ars docuit, quod sapit omnis homo. & (vt Victorinus ait) vsus est actus de potentia frequẽter elicitus. Vnde Cicero eloquentiæ parens. *Assiduus vsus vni rei deditus & ingeniũ, & artem sæpe vincit.* Sed à doctis viris moueri solet quæstiuncula. An teneatur concionator facere, quæ dicit? Cui breuibus satisfaciẽs dico, eum teneri ad faciendum quicquid asserit de necessitate salutis: non autem quod prædicat de perfectione religionis, ad quam omnes de necessitate nõ tenentur. His ergo præceptis paranda erit peritia omnis, si adsit natura, id est ingenium: doctrina, id est scientia: & vsus, id est assiduitas. In his tribus non modica adhibenda est diligentia, quibus vniuersæ concionis structura innititur.

Psalm.

B. Augusti.

Cic. sentent. de natura.

Psalm.

Cic. pro Corn. Bald.

Alex. par. 39. 68.

Quibus

Quibus nominibus concionator in sacris literis recenseri consueuit.

Cap. X.

CVm ea, quæ hîc à nobis adducuntur, sacrarum testimonio scripturatum comprobari debeant, operæ me facturum pretium arbitror, si ea breuibus recensuero nomina, quibus in sacris literis concionator appellari consueuit: liquet sanè primùm Tubam nominari. Nam sicuti tuba est instrumentum, à tubo, hoc est canalis concauitate nomen habens: cuius sonitu milites, equíque ad prælium inflammantur. ita concionatoris vox excitare debet ad certamen. hoc præcepit Dominus Moysi. *Fac tibi duas tubas argenteas, quibus conuocare posis multitudinem.* Et *Esa. Clama ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam.* Solebant enim Iudæi tubis canere: nunc autem non est illis permissum (vt notat D. Chrys.) in tuba tria sunt, compositio, terror, & sonus. Compositio: quia in parte, quæ ori admouetur, angustior est, in parte verò extrema, & finiente ampliori: quia prædicator debet sibi assumere arctiora præcepta, aliis verò laxiora præcipere, vt cuncti videant eum magna facientem, & parua (& hæc quidem facilia) præcipientem, ne (pharisæorum more) grauiora aliis imponat, quibus digitum, (nec minimum quidem) admouere velit. Tuba etiam terrorem incutere solet, cuius clangore castra Israël excitata, veteris quoque Hierico mœnia destructa sunt. Ita, sanè prædicatio auditorum animos rebelles, & penè peccato obfirmatos, terret. Aquila, quæ à Cicerone Iouis satelles appellatur, (si Plinio creditur) clangorem ita vastum fundit, vt cæteræ aues insidiis, & strepitu eius pertertitæ, minimè prodire audeant. Sed (proh dolor) quot terrores, quot tonitrua emittere debet concionator aduersùs nefarios, fœneratores, adulteros, molles? Sonus postremò ad tubam pertinet: quæ tantisper sonat, quandiu tubicem flatu suo implet: sic verus prædicator ea dicit, quæ Spiritussanctus buccinator ea & cordi, & ori ingerit. Qui dixit in Ieremia. *Ecce dedi verba mea in ore tuo,* quibus postea vrbis euersionem lamentabili carmine defleuit. Verùm duo erãt turbarum genera, ductiles

Num. 9.

Esa. 58.

D. Chrys. ad uers. Iudæos, Orat. 1.

Cic. in Tusc.

Plin.

Ierem. 1.

les,& corneæ,vt intelligat concionator se ad quæcunque flexibilem,vt omnibus (D.Pauli exemplo) omnia fiat: vt omnes lucretur, & animarum lucrum vndique aucupetur.

B. Isid. lib.12. cap. 1. Dicuntur etiam Boues nam boues (vt B. Isid. scribit) in signum generositatis habent sub gutture quandam pellem (quæ vulgo palearium dicitur) insignem inter se pietatem seruant: alter enim alterum inquirit, cum quo ducere aratrum consueuit, ipsum lambit, & frequenti mugitu pium testatur affectum. Hoc quidem aptè conuenit concionatori,qui pellem flexibilem in gutture,id est verba dulcia habere debet, vt alios ad Christi iugum trahat, & eos frequenti mugitu,piis sermonibus,amoris & pietatis affectu demulceat: vt cum Apostolo dicat. *Alligatus spiritu vado in Hierusalem.* Vel quia vt boues ruminent: qui postquam herbam in stomacum traiecerint, inde paulatim in buccam reuocant, & dentibus ruminant: vel propter vngularum scissuram, id est discretionem in agendis,& discernendis. Ita vitæ spiritualis institutor sciat aperire sensus verborum, ambage velatos,& in medium proferre:tunc vngulam diuidit, cum mysticum sensum à litterali intelligentia separat,& discernit. Vel demum dicuntur boues,'ob incessus maturitatem: & multi laboris, quo homines pascunt, tolerantiam: quia vbi non sunt boues, *Sap. 9.* præsepe vacuum est: *Et vbi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo bouis* (ait sapiens.) Sed quid dico vacuum præsepe? immo immundum: quia tunc vitiis fræna laxantur, gulæ,ventríq; indulgentur: tunc odia concipiuntur, exardescunt iræ,& rixæ sæuiunt Columbas appellat Esaias. *Ite columbæ ad fenestras.* Nam quemadmodum Columbæ,quæ puro grano delectantur, & felle carent, quibus Dominus *Matth.10.* voluit significare apud Matthæum Euangelistam candorem Christianum,& vitæ innocentiam,cum ait: *Estote simplices, sicut columbæ.* vbi aliquando rauco gutture antè cancellos suos triste quid meditando ingemuerint, in patulos campos auolant: vnde nedum saciatæ, sed comitatæ redeuntes, magnam secum siluestrium columbarum cateruam domum deducunt, non sine fænore illius, apud quem hospitantur. quæ cùm semel imbiberint mel,solent alias columbas melis dulcedine ad se trahere, & mirabili

Isa.

Luc. 20.

delecta

delectatione eas efficeret has imitari debet concionator pius, Sic dulcedine verbi Dei siluestres, & ferinos homines ad Christum adducere queat (& vt ait Petrus Rauenas) *Dulcedine verbi, debitæ nutritionis obsequia præbere debet, non quadrare, sed liquare sermones.* Canes appellãtur, quorum natura est in ædibus domini excubias agere, nec sinere furibus patere domum: ita diuini verbi præcones non debent somnolentia, vel incuria quadam pati, vt impij in Ecclesiam Christi, pro qua sanguinem effundere debent, sine vllo fræno irruant. Quamobrem Isaias Euangelicos doctores appellauit canes, ob latratum prædicationis, olfatum sagacitatis, famem continuam, luporum odium, linguam medicinalem, & ob custodiam, qui suo latratu lupos ab Ecclesiæ grege arcere debent, & ab abditissimis speluncis, & peccatorum latrebris, in latos campos insequi. Ægyptij propheram describere volentes, canem hieroglphicè pingebant: quia propheta multa meditati debet, omnes adlatrare, & quodãmodo agrestẽ esse, & nemini gratificari: quemadmodum nec canes. Hinc Isaias canes mutos appellat, non valentes latrare: acsi Ecclesiæ oculi defecerint in eloquium Dei, cum deberent potius domum Domini suo latratu custodire. Nubibus eos comparabit, tum propter celerem eorum obedientiam: tum etiam ob abfluentem verbi Dei prædicandi prærogatiuam, qua, *Spiritussancti gratia, corda ipsorum intus illustrante*, documenta cœlestia verius fundunt, quàm dispensant: & veluti nubes supra terram eleuati, in suaues prædicationis pluuias semetipsos resoluunt. Iob. *Qui ligat aquam in nubibus.* vbi Gregorius magnus exponens ait. *Vt scilicet non inundatione scientiæ, sed moderata distillatione foueantur eruditores.* Qua ratione placuit Spiritui sancto, modò par nubes, modò per fluuios, modò per quadrigas, & sacra illa animalia, quæ in spiritu vidit Ezechiel, designare. Si sunt nubes, ex infimis terræ vaporibus congelatæ, debent supra terram fieri: & eò peruolare, quocunque voluntas gubernantis circunduxerit. Si fluuij, ab Ecclesiæ paradiso profluentes, debent varias terrarum oras salutaribus vndis irrigare: vt æternæ fructum vitæ referant. Si Animalia sunt sacri rhedã Euangelij trahentia, non vno in loco consistere debent: sed

Petr. Rauen.

Iob. 26.

S. Greg. in suis Mora.

sed terram omnem circuite: & cœlestes, quas ferunt, opes omnibus exhibere. In deserto Dominus noster aluit turbã, vt ostenderet, eos in via vitæ deficere, qui non habent ducem, à quo perduci possint ad vitã. Legis doctores nuncupantur, vt iugi scripturæ sacræ meditatione reparare possint continuos humanæ cõuersationis defectus: & assiduę, ac frequenti auditorũ corruptioni obuiare, vt pulpiri officium dignè exercere queant: & veritates noui testamenti, veteris, à quo (veluti à radice flores oriuntur) comprobare sciat: & non modò in suggestu prædicatione declamatoria, sed in congressu familiari, & mutuo, vel quouis peculiari loco (exẽplo Christi Saluatoris nostri, qui nedum in ciuitatibus, sed in mẽsis quoq; proponebat, parabolas) ita B. Paulus de seipso dicit. *Prædicatio mea, & sermo meus.* prædicatio publica (supple) & sermo priuatus. Dicuntur seminatores. Nam seminator iuxta qualitatẽ terræ vel densius, vel rarius semina: ita concionator secũdũ dispositionem, & auditorũ indigentiã facere debet. *Quasi terra pinguis est anima deuota.* in qua exhortationis semen auidius recipitur: sed heu semen istud perit! vel quia ager incultus est. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam stulti viri, & ecce totum repleuerunt vrticæ.* Vel potius, quia terra cordis nostri, quæ suapte vi est grauis, opaca, & dura, non recipit semen diuini verbi. B. Anselmus appellat concionatorem Fullonem animarum, & mundatorem eximium. Est enim fullo, qui purganda vestimenta accipit, ita dictus à fouendis aqua calida vestibus. Vnde Christus Dominus nostermundauit Ecclesiam suam ab omni inquinamento mentis & corporis: non aqua solùm, quæ á latere eius defluxit: sed pretiosissimo eius sanguine, æterna carnis, & spiritus beatitudine, ac luce reficiens: sed laborant incassum isti Fullones Euangelici, vetuti Magi Pharaonis, qui defecerunt in tertio signo. Cùm enim Euangelico præceptori tria sint admodum necessaria, scientia, eloquentia, & vitæ probitas, nónne frustrà contendit iste Euangelicus Fullo, si immundus alios mundare tentauerit? Dicuntur errorũ Debellatores, ab opere pugnandi contra hæreticos, peruersósque Christianos. Dei ministri, internuncij domini, Angeli, non naturæ commercio, sed officij dignitate, vt Christi legati,

S. Gregor.

Proverb. 34.

B. Ansel. in exp. Epist. ad Gal.

legati, quippè qui in Apostolico munere versantur, Angeli dicuntur. *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei*: quia vt Angeli esse debent humiles, & contemplatiui, præcones verbi diuini, milites, vinitores, pastores, Architecti templi, sacrarum scripturarum negociatores. Plaudant ergo sibi, qui aurum, & argentum lucrantur, qui magnum pecuniarum lucrum faciunt, qui vrbes expugnant, & suo subdunt imperio: isti animas Deo lucrantur, quo nihil est in natura humana excellentius. Est itaque pius Ecclesiastes (vt vno verbo dicam) venter, de quo fluunt flumina aquæ viuæ, aurum ignitum, & probatum, quo quisque locuples fieri potest: ex malo bonus euadere: ex bono melior: ex meliore perfectus: ex perfecto beatus: & (si fas est dicere) ex homine Deus. Sed paulisper hîc sistere decreui, ne liber in immensum serpat. Verum de re hac vide Ioannem Getsonem, virum alioqui eruditissimum in suis operibus, quæ tibi legenda relinquo, dum ad alia me conuerto. *Apoc. 8.*

Ioannes Gerson in suis operibus doctè & piè docet, quæ concionatori sunt necessaria.

De his, quæ habent vim attrahendi auditores. Cap. XI.

CVm diuersa admodum sit concionatoris actio in templo, ab actione rhetoris (vt paulò superius commonstrauimus) frustra mihi videtur, velle omnia hic adducere, quæ *oratori in foro inseruire solent*. quare tantùm ea recensebo, quæ *huic doctrinæ*, atque instituti mei rationi accommodari possunt: quæ si forte alicui videbuntur per se leuiora, aut infirmiora: plurima tamen adiumenta, atque ornamenta subministrabunt: ego enim pro viribus meis prodesse cupio studiosæ iuuentuti, neque alia ratione negocium hoc suscepi. Quatuor itaque sunt (ne longius à re nostra discedamus) quæ vim habent attrahendi auditores.

Dicendi vis.
Verborum delectus.
Materia grauis.
Docendi methodus.

Dicendi vis (vt auctor est Cicero) quinque partibus constat, inuentione, dispositione, elocutione, memoria, & pronunciatione. *Cic. 1. de inuēt.*

Inuentio, est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ causam probabilem reddunt (nam

inueni

inuenire est excogitare, quasi in aliquid venire Inuentio quidem subministrat oratori totam materiam fabricandi orationem: est namque inuentio argumentorum materex cuius visceribus hauriuntur omnia argumenta. Primùm itaque operæpretium est, inuenire quid dicas,& inuenta disponere: deinde ornare verbis, & memoriæ mandare: cùm verò dies fuerit intellectus, & varia lectione refertus, audacter proferet veritatem, quam animo iam conceptam habet. At sine copia verborum, & sententiarum,tautologiam, persæpe incurret: quæ est eiusdem sermonis iteratio, atque eiusdem sententiæ per alia, atque alia verba vitiosa repetitio, inopiæ causa facta: quod aridis,& inexercitatis euenire solet. Dispositio, est rerum inuẽtarum in ordinem distributio.Facit dispositio,vt vnumquodque suam habeat sedem,vt dispositè, atque ordinatè dicatur. Parum quidem esset, si faber cæmentarius haberet lapides,& reliqua, quæ ad construendam domum pertinent,nisi omnia disponeret,& ordinaret:sine quo parum ei prodesset,lapides congerere, cum nihil pulchrius sit in omni ratione vitæ, dispositione atque ordine.Sic nisi concio ordine,& dispositione constaret, minimè sibi cohæreret: sed incertis sedibus casu potius, quàm consilio ducta,erraret.Dispositio itaque requirit, vt aliquid ante rem dicas:deinde vt rem exponas,expositam vel præsidiis confirmandis,vel contrariis refutandis probes: deinceps concludere, atque ita pororare oportet. Elocutio est idoneorum verborum, & sententiarum ad inuentionem accommodatio. Nam eloqui est dicere. quòd proprium est oratoris,compositè,ornatè,& copiosè eloqui,vt docet Cicer. Memoria est firma animi rerum, ac verborum ad inuentionem dispositionis perceptio, quæ oratori pernecessaria est,nam frustra docemur(vt Quintilianus ait) si quicquid audiuimus, præterfluat. Est enim memoria vt venter, & nutrimenti totius corporis receptaculum:ac veluti thesaurus omnium rerum,& custos:quæ, nisi inuenta custodiat, cuncta in mente oratoris perirent. Plato memoriam,vt testatur Afranius apud Gellium his versibus.

Cic. 1. de orat.

Quintilianus de mem.

Vsus me genuit,mater peperit memoria,
Sophiam vocant me Graij,vos sapientiam.

Verùm

Verùm memoria est duplex, prima à natura est, altera verò ante comparatur: quæ à natura est, non cadit sub præcepto, vti erat illa Cyri apud Romanos, qui (vt Plinius ait) omnes sui exercitus milites nominatim recensebat: altera est arte comparata. hanc memoriam quatuor adiuuant (vt docet Arist.) primùm, vt illa, quorum vult recordari, aliquo ordine disponat: sunt qui facilè apprehendunt, difficulter tamen retinent: quorum enim prompta est adeptio, eorum possessio est adeò despicata, vt omnis recordatio elabatur, & lapsu fugiat: Iuuat memoriam, si inter legendum diuersos libros, virgulis quibusdam, vel characteribus aliquid adnotaueris memoriæ vegetandæ gratia, vt horum admonitu (cum relegeris) memoriæ & imitationi comendes. Erit hoc sanè quàm vtile exercitium ad conciliandas nobis, vbi vsus venerit, verborum, sententiarumque recordationes. Deinde, vt eorum (quæ memoriæ commisit) affectum exhibeat. Tertiò, vt ad quasdam similitudines non omnino consueras, illa reducat. Quartò, vt illa per frequentem meditationem repetat, vt sit lectionis frequentia, lectorum intelligentia, intellectorum retinentia, retentorum ordo, ordinatarum rerum executio. *Pronunciatio est ex rerum, & verborum dignitate, vocis, & corporis moderatio*, Nam (vt Gel. ait) *ratio in pronunciatu manet*. quia ne quid dicas tantùm, quàm quo vultu dicas, attendere homines solent. Quidam actionem sermonem corporis appellare non timuerunt. Omittendæ sunt tamen multæ corporis concitationes, quæ tædium potius, & molestiam afferre solent, quàm voluptatem: nam actio, quæ irrequieto corporis motu fit, digladiatio potius dici potest, quàm actio: cuius vis tanta est, vt Demosthenes summus orator (ex cuius ludo, tanquàm ex equo Troiano eloquētiæ principes exierunt innumeri) interrogatus, quid primum esset in oratore, dixisse fertur, pronunciatio. Hic, cùm primam litteram artis rhetoricæ (natura prorsus reluctante) proferre non valeret, oris vitium tanto expugnauit studio, vt nullus expressius, quod volebat, proferret, quippè qui per maximos labores ad eloquentiæ culmen conscendit. Scribit de eo Plutarchus, vir eruditissimus, quòd subterraneū locum construxit, in quem per dies singulos descendens,

Plinius de Cyro rege.

Arist.

Aul. Gel. li. 17. c. 2.

Cic. 1. de inuen.

Gel. lib. 4. cap. 17.

Plutar. de Demosthe. summo orat.

corpus, & ingenium exercitabat: sæpe etiam per duos vel tres menses domi inclusus non cessabat, abrasa parte capitis, vt exeundi facultatem sibi ipsi præriperet. hic idem vadosis littoribus declamationes, fluctuum fragoribus obluctantibus, edebat, vt ad fremitus concitatarum concionum patientia (obstructis auribus) in actionibus vteretur: fertur quoque ore insertis calculis multùm & diu loqui solitus, quò promptior esset ac solutior. Quo exemplo instruuntur iuuenes, vt se assiduo vsu, & dicendi consuetudine exerceant: nam exercitatione ad dicendum promptiores reddentur: incalescet animus, & præcipuè memoria aletur, & firmabitur. Aristo. quoque testatur in-
Aristo. 1. Reth. structiores ad operandum eos esse, qui periculis, & rerum experientia, quàm qui artis solùm præceptis edocti sunt. Ars enim est rerum vniuersalium, experientia verò singularium.

De duplici vi dicendi. *cap.* XII.

DVplex dicendi vis assignari solet, vna naturæ, altera verò artis. Quæ à natura est, à multis Pytho dea appellari consueuit, quæ est dicendi præses. hanc Periclem Athenienſem habuisse ferunt: qui tanta eloquentia pollebat, quòd tonare in concionibus, & fulmen ciere videretur: hanc Fabius persuadendi Deam appellauit, Horatius suadelam, alij leporem, Aristophanes vim à natura homini datam: quam tanti faciebat, vt nullum esse poëtam existimaret, nisi eum, qui sine inflammatione animi, & sine afflatu, quasi furoris esset: & nisi quæ ab eo excogitata erant, scriberet. Hanc dicendi vim egregiè habuit nostra hac tempestate Cornelius Mussus, Franciscanus. Episcopus Bitontinus (vt eius monumenta laude digna testantur) cui in dicendo tanta vis erat, vt ab ipsa natura, ad exercendas eloquentiæ vires videretur esse progenitus. quod facilè comprobari potest, cum à xij. ætatis suæ anno publicum sacrarum concionum munus fuerit aggressus, tanta omnium admiratione, vt ad eum (veluti ad bonarum artium mercaturam) certatim confluerent omnes. Hæc dicendi vis, si fuerit cum grauitate (quam

Græci

Græci dinosim appellant) coniuncta, plurimum afferet adiumenti, atque auditorum intellectum facilè expugnabit, in quo concionatoris labor, & industria præcipuè sita est: Nam, debellato intellectu, cætera consequetur. peccati fœditatem, & supplicij grauitatem obijcere, atque torpentium animos salutari, & necessario metu concutere poterit, & auditorum animis affectus ingenerare: qui pro rei dignitate nunquam, nisi hac dicendi vi vehementer excitati, mouerentur: quæ enim lenta & languida voce proferuntur, languidè ab auditoribus concipiuntur. Quosdam ego audiui, quibus hæc dicendi vis ita naturaliter insita est, vt quicquid ab eis, vel iocò, vel seriò dicitur, tanta efficacia & naturæ impetu imprimunt, vt nedum eruditos exæquare: sed eloquentissimos viros superare sibi arrogent. hi (vt Isaias ait) *spiritum habent in naribus.* Quamobrem iuuenes: meos consulerem, qui arduam hanc prouinciam susceptur sunt, vt prius suum explorarent ingenium quanta in dicendo facultate valeant: quàm si negatam sibi viderint, aliis defungendam permittant. At quia in natura non sunt omnia posita: quòd dicendi vis, quæ à natura est, nisi esset diligentiæ lumine, & studiorum assiduitate adiura, dubio procul obscurissimis in tenebris iaceret: terra enim vario seminum genere fœta, fruges sua sponte ad hominum victum necessarias fundit: multò tamen plures, & meliores, si aliqua colendi disciplina accesserit, producit. hoc docet Ioannes Cassianus, cum ait. *Quisquis hominũ artis peritiam assequi concupiscit nisi omni cura, & vigilia eius se disciplinæ studijs mancipauerit, ac perfectorum magistrorum illius præcepta, & instituta seruauerit, frustrà in omnibus laborat.* Verùm animi exercitatio imitari debet naturam, quæ exercitium amat: dum tamen non fuerit nimis velox, vel tardum: nimis intensum, vel remissum, sed temperatum: ad hunc sanè modum esse debet animi exercitatio, nè sit nimis velox, vt credant iuuenes breui, summi, & perfecti esse Vnde B. Bernardus ait. *Nolo repètefieri summus, sed paulatim proficere volo.* Non sit nimis intensa, ne naturam prosternat: nec nimis remissa, ne torpedo, quæ latenter, & gressu tacito aduenire solet, ita mentem illudat, vt turpiter ab incœpto desistat.

Is. cap. 2.

Io. Cassianus lib. 7. coll.

Exemplum pro concitandis auditoribus. Cap. XIII.

D Hiero. NOn possunt verba corde concipi, nisi ex corde trahantur (ait sacer Hieronymus) ideo vim maximã habebunt verba, si auditorum animo infixeris, veluti Echo, quæ verba repulsat: vt si concionator cum peccatore, præpropera quadam celeritate (vt eius, qui audit, expectationi quàm celerrimè occurratur, contendere videatur, hoc modo. Dic mihi peccator, nonne tuis periuriis vendidisti Christum? ego toties inclamaui, & tu obdormis? an ignoras, quòd qui facit peccatum, seruus est peccati? Tu es libet, & vincula quæris? nunquid auis quærit laqueum? & piscis hamum? Passer captus odit granum, quo capitur: & vno capto, fugiunt cæteri. & tu in peccato deprehensus, non effugies illud? illic laberis spontè, vbi vidisti. plures prolapsos? taceo peccata tua, quæ & multa sunt, & magna. Non ego te condemno, condemnant te opera tua: sed vtinam, ô pectus æneum, resipiscere: audi quæso, qui stat, videat, ne cadat: qui stat in fide, videat cum timore, ne cadat à Dei amore. Hæc si aptè fiant, habent maximam vim: sed rei, loci, & personæ non parua habenda est ratio: nam quid dicas, & quo quidque loco, & quomodo, considerare oportet.

De verborum delectu. Cap. XIIII.

VErborum proprietas, & delectus in concionibus claritatem maximam, distinctionemque inducit. Nam propriè dicere, est præcipua oratoris pars (vt auctor est Cic. & B. August.) nec minor est virtus propriè, apertè, & populariter loqui, quàm doctè, argutè, & grauiter. Quamobrem verba esse debent lecta, deflexa, suauia, patrum sententiis grauida, in quibus plenum quid, & sonans inesse videatur, vt veritates ipsas cuiscerent: & grauitatis, atque prudentiæ specimen præclarè contineant. nam loquendi temeritas, non tantùm cordis custodia, & vigilia cohibetur: sed quibusdam quasi excubiis in ore positis sopitur, vt lingua non promat verba, quæ optimè non sonant, aut rem maximè non explanant: ac si cum rebus ipsis nata esset.

Cic.
B. Augu. 4. de doct. Esc. à cap. 6. vsque ad 12.

essent. Verborum itaque delectus, est eloquentiæ origo: non ita tamen vt sint à communi loquendi vsu remota, vel affectata, aut dura & abiecta: quæ tanquàm scopuli fugiẽda sunt, & frigidam, ac nimis exanguem orationem reddunt: sicut etiam verba lapsantia, & (vt ira dicam) tertiata, vel cum pauore nutabunda. Quidam sunt, qui propriæ linguæ obliti, verborum potius, quàm rerum solicíti, tantum studium in aliena, mutatis vocibus, & accentibus ponunt, vt à communi sermone recedentes, magnam affectationem præse ferant. Theophrastus, dum nimis atticè loqueretur, à simplici vetula ignotus habitus fuit. Tutius est (meo consilio) chordas remitti, quàm nimis protendi: quia plerique nimiam eloquentiam, & ventosa verba sectantes, vanitatis & malè actæ vitæ suspicionem cõtra se incurrunt: quorum leuitatem arguens B. Aug. ait. *Malo, vt me reprehendant grammatici, quàm non intelligant populi, eligens magis in barbarismi (damnantibus grammaticis) intelligi, quàm in mea disertitudine auditores deserere.* Non ob id intelligit Ecclesiastem barbarè loqui: cum ipse doceat, atque forti ratione hortetur concionatorem, Ciceronis rhetoricam in suis obseruare cõcionibus. Seneca fœlicem appellat, qui in aliqua parte rhetoricæ receptus est, cùm ipsa sit ornamentum aliarum scientiarum, cuius summa vis est, & ingens laus (vt ait Hugo) Vnde Cassiodorus: *Quicquid in alia doctrina concipitur, ab ista sub decoro proferatur.* Et sapieus. *In verbis suis monstra placuit.* Sed vtinam tantus esset hominum labor, ad rectè, beatéq; viuendum, quantum ad ornatum. Fauorinus philosophus apud Gell. reprehendit quendam iuuenem veterum verborum cupidissimum, cum ait. *Viue moribus præteritis, & vtere verbis præsentibus.* Et re vera, dum verborum suauitas quæritur, vera rerum sapientia amittitur. Adde, quia plerique ad perniciem potius, quàm ad salutem verbis vtuntur: quòd sapientia fingere nescit: & cùm ornatur, suspecta est (vt Quintilianus scriptum reliquit) ipsa ornata locutio plus proferre, quàm conferre solet. *Et garrulosa dicendi festiuitas (vt quidam sapiens dixit) plus sonat, quàm valet, multúmque habet inanitatis, & vacui. Rarò coëunt* (testes Seneca) *vox dulcis, & solida.* Fateor erga hominum mentem hodie esse

B. Augusti. *B. Aug. in 4. de doct. Christ. c. 2. 11. & 12.* *Seneca.* *Hugo de san. vict. Cassiod.* *Gell.* *Firmianus.* *Quintil.* *Seneca.*

ita deprauatam, quinimò obcæcatam, vt fumo pascantur potius homines, dum se igni appropinquare arbitrantur: quia vero eloquentia non iudicatur solo verborum splendore, & anfractu: sed si grauissimis sententiis fuerit referta. *Quid* (ait B. Augustin.) *prodest clauis aurea, si aperire non potest? aut quid obest lignea, si potest?* agam igitur huic capiti finem, si illud vnum dixerim, quòd propriis verbis quisq; vtatur, vt ostentationis suspicionem effugiat, ne interpres interprete egeat. Verùm, quæ propria verba dicantur, in sequenti aperire tentabo.

Quæ verba propria dicantur. *cap. XV.*

PRopria verba illa dicuntur, quæ omnium veram significationem seruant, ab optimorum, probatorúmq; auctorum consuetudine, & communi loquendi vsu recepta, atque protrita: penes quem arbitrium est, modus, & forma loquendi, vt quisque puer (etiam semiliteratus) citra fastidium verba ipsa percipere facilè possit. Nam ambiguitas obscuritatis mater est: huc tendit Paulina illa
1. Cor. 2. sententia: *Cùm venissem ad vos, non veni in sublimitate sermonis*: id est, non veni iuxta eminentiam eloquentiæ aut Sapientiæ humanæ. Sicut quidam faciunt, qui adducunt poëmata, recitant historias, & fabulas aniles, ineptas, ac parum pudicas: vnde auditoribus ridendi potius, quàm lugendi ansam præbent. Hi nimirum non sunt prædicatores, sed præuaricatores: qui (dimisso Euangelio) superflua, & non profutura docent, quæstionibus nihil ad rem pertinentibus occupantur, & (Scribarum more) omnia faciunt, vt videantur ab hominibus: hi dum fabulas narrant,
D. Bern. fabulæ fiunt: quia, vt D Bernardus scriptum reliquit: *In secularibus nugæ: nugæ: in sacerdotis ore, blasphemiæ.* Vnde est, quòd manent veritates indigestæ, & (vt sic dixerim) quasi opilatæ: prima siquidem digestio fit in ore (vt medici dicunt.) Hoc inter triticum, & paleam interest: nam triticum vtile est, & in horreis reponitur: sed palea à vento dispergitur: ita somnia, quæ narrantur, euanescunt quidem, sed Domini verba spiritus & vita sunt, ita ait Domi-
Ierem. c. 3. nus in Ieremia. *Qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem meum, loquetur sermonem meum verè. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus?* Non itaque attendat concionator,

cionator, quid auditores delectet audire: sed quid deceat loqui: nec se putet in theatro esse, vt astantium plausu expiatur: sed se intra cancellos temperantiæ contineat: ne illis noceat, quibus præsidio esse debet, & saluti. audeo dicere (citra vllum periculum) quòd fœdissima hæreticorum pestis: (quæ ita conualuit in hoc nostro miserabili æuo, & tam sæuè vbique grassatur) nullam certiorem habet originem, quàm sui ipsius vanam, & temeratiam ostentationem. *Sola enim ambitio, & superbia* (vt B. Augustinus ait) *est mater hæreticorum*, quamobrem B. Paulus loquens de fidelitate, & grauitate, quam ipse in Euangelica prædicatione seruauerat, ait. *Non sumus adulterantes verbum Dei, sicut & cæteri.* verba itaque propria esse debent, vt dignitati rerum paria verba tribuantur: nam sicut vmbra corpus sequitur, ita verba naturam rerum, quibus cohærent: ea enim (vt testatur Arist.) quæ sunt in voce, sunt signa earum rerum, quæ sunt in anima: sed nisi propriè significarent ea, quæ sunt in anima, non signa essent, sed figmenta, quibus in re nihil respondet ad extra: & ita rueret omnis concio, & figmentis potius quàm rebus innixa, suo fine frustraretur. *In 2. Cor. ep. cap. 4.*

Metaphoræ in concione conuenienter adductæ, non minuunt verborum proprietatem, sed aliquid splendoris, & plurimùm vtilitatis adijciunt. *Cap. XVI.*

HOc cuique à natura insitum est, vt translatis, & alienis magis delectemur verbis, quàm propriis. Cum enim nomen, vel verbum ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo proprium deest, aut translatum proprio melius est, metaphoris vtimur: quæ, si consentaneè, & aptè adducantur, maximam vim habent, atque plurimùm concioni ornatum præstant: hic enim tropus pulcherrimus est, & in communi locutione vsitatissimus in sacra scriptura, figuratis locutionibus plena: quæ tamen non verificantur de his, de quibus dicũtur, iuxta propriam earum significationem: sed secundùm aliquam similitudinem ad propria significata: vt si dicatur. Deus noster ignis consumens est, metaphora est: non enim Deus est verè

ignis,sed se habet ad modum ignis consumentis. A multis etiam desumitur metaphora, si ad Deum conuertatur (vt notat venerabilis Beda)à volucribus: vt sub vmbra alarum tuarum protege me(nam alæ auium sunt.) A feris,vt Dominus de Syon rugiet. A membris humanis, vt quis mensus est pugillo aquas,& cœlos palmo ponderauit? Ab homine interiore, vt inueni Dauid filium Iesse, virum secundùm cor meum. A motu humanæ mentis,vt pœnitet me hominem fecisse. A re insensibili, vt ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. Postremo,à proprietate aliqua reperta in re:quo dicendi tropo vsus est Dauid, cum ait. *In diluuio aquarum multarum ad Deum non approximabunt:* vbi alludens ad terribile illud diluuium, quo vniuersus mundus absorptus est, diluuij nomine intelligit perditissimorum hominum insaniam: qui varijs prauitatibus fluctuantes,multiplices sibi doctrinas constituunt, quas neque à vero interprete, neque ab Ecclesia,vera dicendi magistra, acceperunt: vt sunt maligni hæretici, qui curiosis, & nimiùm friuolis quæstionibus in tanta errorum (quanta vultuum) varietate medio pelago profusi, ad Deum non approximant. Huic simile habes in Psal. *Qui sanat contritos corde*, quæ metaphora à medicis plagarijs desumpta est:qui ossa fracta, & contrita solidare cupientes, ligare solent, vt in pristinam soliditatem ad locum suum redeuntia membra coalescant: ita cælestis medicus pœnitentis cor graui afflictione contritum,quadam pietatis fascia cõstringit, & ad firmissimam sanitatis spem perducit. Metaphoræ itaque in hoc modo adductæ plenam faciunt concionem.sunt enim quasi mutationes, cum quod non habeas, aliunde sumis. Possem alia exempla adducere, si vellem: ex quibus tibi locorum syluam parare posses: sed timeo nimis altum pelagus ingredi, vnde pedem referre(cum voluero)non licebit:tentabo tamen,si non omnia,quæ dicenda forent,saltèm rerum ipsarum capita explicare.

Ven.Bed.in li. de schematib. ad Tropis.

Psal.31.

Psal.140.

Quibus de caussis necessariæ sint metaphoræ.

Cap. XVII.

METaphoræ finis est duplex, Dei laus, & intellectus nostri regula:quæ est cõstitutio veri,falsi,cogniti,& incognitiuel

incogniti: quamuis Aristoteles metaphoras à scientiis negauerit. Vnde, cùm Deus sit super omnia laudabilis, intellectus humanus vocabulorum inopia à diuina huius laude in suo studio, atque opere cessaret. Præterea, vt intellectus noster (cuius cognitio à sensu initium habet) à sensibilibus (iuxta B. Pauli sententiam) ad intelligibilia deducatur: cũ enim intellectus sit nobilissima animæ rationalis pars, quæ & mens, & intelligentia dicitur, res incorporeas ab omni materia seiugatas, notiones, atque formas solus apprehendit. *Sed impossibile est nobis aliter lucere diuinũ radium,* (vt testatur B. Dionysius) *nisi varietate sacrorum voluminum circumuelatum.* Non intelligit tamen (meo iudicio) impossibile esse simpliciter: quia (& si non absque phantasmatibus) sine metaphoris tamen posset homo (etiam in hoc statu) capere quæ dicuntur, & si non ita facilè: quia (vt docet B. Thomas.) *Quæ in vno loco traduntur scripturæ sub metaphoris, in aliis locis expressius exponuntur.* Inuenta est ergo metaphora, vel indigentiæ causa (vt dictum est) vel ornatus: sicut vestis ad depellendum frigus fuit primò repetta, post adhiberi cœpta est ad ornatum corporis, & dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopiæ causa: quod clarè docet Cic. *Translata ea dico, vt sæpe iam, quæ per similitudinem ab alia re aut suauitatis, aut inopiæ causa transferuntur.* Alia ratio assignari potest, propter studiosorum exercitium: *vt spicas manibus confricandas* (discipulorum more) laborando suscipiant, & ad latentia grana perueniant: vnde pro suscepto vtili labore reficiantur, & de obstructis fauorum cellulis, vbi diuinæ apes sobolem fouẽt, mel educentes, spiritum super mel dulcem degustẽt fideles. Quia ergo per creaturas ad cognoscendũ Creatorem plerunq; ducimur, ideo à creaturis ad Creatorem est nobis aditus: omnes siquidem creaturę habent proprietates præstantissimas, quæ sunt ratio intelligẽdi Deum, vt leo fortitudinem, agnus mansuetudinem, petra soliditatem, serpens prudentiam, & eiusmodi: idcirco operæ precium est, plura ad Deum nomina transferri. Vnde nulla res est siue corporea, siue spiritalis: vel substantia, vel accidẽs sit, quæ non propter similitudinem quandam transferatur: & quia finis imponit necessitatem his, quæ sunt ad finem (cum

Arist. post. 2.

B. Pau. ad Rom.

B. Dionys. de cæl. Hierar. cap. 1.

D. Thom. par. 1. q. 1. art. 9. in respons. ad secund. arg.

Cic. in orat. ad Brutum.

translatio sit ob laudem Dei) ad Deum referri debent, quæ præstantiam aliquam, & insignem conditionem habent: rursus quia translatio est ad instruendam nostram ruditatem, ideo à creaturis, tanquam à notioribus nobis, via doctrinæ procedendum erit ad Dei cognitionem: qua denique intellectus noster perficitur, & beatur.

D. Bonauent. in prim. dist. 35. q. 4. circa finem.

Quibus regulis deprehenditur locutio metaphorica, vel figurata. Cap. XVIII.

IN omnibus metaphoricis, & figuratis locutionibus, similitudine inter aliqua reperta, contingit vnum alterius nomine appellari: vt si voracem, lupum dixeris: vel auarum, talpam, propter aliquam inter illa similitudinem. Nam lupus carnes ouium comedit, sanguinem ebibit, pellem scindit, & ossa frangit: nonnunquam etiam, vt magis decipiat, vocem ouis fingit, cuius natura est mitis. Hæc voraci conuenienter aptari possunt. Talpa quin etiam, animal oculis captum, rostrum habet simile porco, quo arua, & hortos suffodit, solem odit: & (vt Aristot. scribit) non habet oculos apertos, sed sub corio latentes, quos in morte solùm aperit. Hæc quidem auaro competunt, cuius studium est terrena (instar talpæ) reuoluere: qui nec sine terrenis implicationibus diutius viueret: vt cæcus ambulat: in morte tamen (velit, nolit) cogitur oculos aperire, & ante Dei tribunal peccata sua recognoscere: pœnas etiam experiri, quas viuens considerare neglexit: quia (vt Gregorius magnus ait) *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit.* Ad eundem quoque modum interpretari oportet aliquid in sacris litteris: in quo genere vigilare debet præceptor Euangelicus, & cauere, ne figuratam locutionem ad litteram accipiens, ibique persistens, erraret in vero & germano sensu: ex quo obseruare poterit quatuor subiectas regulas.

Aristot. de Animalibus.

Greg. mag.

PRIMA REGVLA.

NEmo sibi arroget sacras litteras proprio spiritu interpretari: quia *spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei*

Dei, homines. D. Augustinus arguit eos, qui nullis aliorum monumentis instructi, quæcunque in scripturis sanctis obscura sunt, diuino se munere intelligere gloriantur: atque asserit has esse inimici versutias, à quibus cuigilantissimè nobis cauendum est, ne huiusmodi peruersitate decepti, ipsum quoque Euangelium audiendum, atque discendum negligamus: & ita sacros codices, vel Catholicos scriptores aspernemur, expectantes solùm cum B. Paulo rapi ad tertium cœlum, ibique audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui: cùm & ipsemet Paulus ad pedes Gamalielis legem Moysi, & prophetas se didicisse glorietur (vt in Apostolorum actibus legitur) quare diuinas scripturas intelligere, vel metaphoricas, & figuratas locutiones interpretari, & ad bonum sensum conuertere, est diuino spiritu & non secundùm hominem ipsas cognoscere.

2. Pet. 2.
D. Aug. 1. de Doct. christ. cap. 1.
2. Cor. 12.
Actoria, 22.

SECVNDA REGVLA.

SI cupis ad synceram scripturarum notitiam, non ad eam, quæ inflat, scientiam, sed quæ illuminat nos, peruenire, veram cordis humilitatem primùm consequi necesse est: quia (sordibus à corde euulsis, ignorantiæ velamine sublato, & purgato interiori oculo) obscura scripturarum sacramenta percipies, & cum Psalmographo dicere poteris: *A mandatis tuis intellexi.* Frustra laborares (mihi crede) si spiritualem intelligentiam te consecutum existimares, & profunda mysteria (quia fortè eloquentiam humanam adeptus es) vt ornatè possis, quæcunque volueris, & copiosè differere: nisi omni terrena contagione, ac affectione sepositâ, in solius Dei gloriam prospicias.

Psalm.

TERTIA REGVLA.

QVotiescunque Deo aliquod membrum, aut aliqua effigies tribuitur, tunc audito membro, eius nomine intellige vim illam & virtutem, quæ perfectior in illo membro reperitur: & cùm audis Deum habere caput, intellige diuinam

diuinam essentiam, quæ omnia præcedit, vel diuinæ gratiæ influxum in nos deriuantem. Ex hac regula patet quoque illud dictum Saluatoris. *Qui non habet gladium, vendat tunicam, & emat gladium:* ex quo videtur malum præcipere, cum læsio potius, quàm commodum aliquod subsequi posset, nisi allegorica explanatione, spiritualisque intelligentiæ examine discutiatur: huic loco, sententiarum cohærentia, conferri potest sermo Christi dicentis. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & proiice abs te,* si ad litteram accipias, malum videtur præcipere. Idcirco metaphoricè exponendus est locus, non vt corporis nostri membra præscindamus: sed vt vsus eorum peruersos, atque præposteros abscindamus: & malos affectus ex eis membris prouenientes, tollamus omnino.

Luc. 22.

QVARTA REGVLA. ex Ioanne Driedone.

Ex Ioan. Died.

OMnis locutio, quæ ad litteram accepta videtur, aut malum aliquod, seu crudele: aut molle, seu carnale aliquod iubere: aut bonum aliquod, vel beneficium proximo impendendum prohibere videtur, accipienda est tanquàm figurata, & metaphorica. Exemplũ: qui non odit patrem, aut matrem, vel animam suam, non potest meus esse discipulus. Non intelligas ad litterã, vt parentes, quos ex præcepto diligere debes, odio prosequaris: sed vt non præponas parentum dilectionem, Dei amori: vel minor dilectio respectu maioris vsitato tropo in scripturis odium appellatur. His ergo quatuor regulis, si eas diligenter obseruaueris, profunda diuinarum scripturarum arcana, atq; figuratæ & metaphoricæ locutiones tibi patefient.

Philosophorum dicta sacris intexta concionibus vehementer auditores afficiunt, & vim non modicam præbent. *Cap. XIX.*

SIcut homini à principio cuncta sunt in cibum exposita: ita omnis institutio salutaris (cuiuscunq; rei sit) animæ confert. Nam à quocunq; veritas doctrinæ proferatur:

tut,acceptanda est. Verùm sicut in rudi cibo quædam digeruntur,quædam verò in crudos vertuntur humores: sic & in philosophorum lucubrationibus, quædam sunt,quæ vitę,& morum institutioni prosunt,si tamen sobriè legantur,vt eorum auctoritas non præiudicet rationi, in quibus sanè cautius vigilare oportet: sicut ei, qui inter spinas versatur, industria opus est, ne ipsarum aculeis vulneretur. Dum Pythagoras frugalitatem, & contemptum mundi docet, audiatur:at dum mortuos ex viuis facit: & animas,quas in cœlum euehit, retrudit in bestiarum corpora,vt bestiis ipsis bestialior, dimittatur in ipsa sua opinione,immo potius insania, vt D. Hieronymi dictum perpetuò tibi inhæreat. *Ama scientiam scripturarum,& carnis vitia non amabis.* Quare mollis admodum, & eneruata est eorum sentẽtia,qui dicunt,nullo modo sacris profana admiscenda esse: cùm B. Augustinus constanter doceat, à profanis scriptoribus eorum dicta, veluti ab iniustis possessoribus accipienda esse. Nam apes quodammodo imitari debemus,quæ vagantur,& flores carpunt:deinde quicquid attulere, disponunt, & pér fauos diuidunt, & succum varium in vnum saporem mixtura quadam, & proprietate spiritus sui mutant. *Nos quoque quicquid diuersa lectione quæsiuimus*(vt scribit Seneca ad Lucillum.)*conuertamus in vsum virtutis:vt omnia in ordinem gerendorũ, rationis iudicio digerente, coalescant.* Huc pertinet etiam exemplum illud insigne Gregorij Nazianzeni, cui nunquam satis laudata consuetudo fuit,vt quicquid occurreret,interioribus animę moribus adaptabat, vt oculorum visio(prout ipsemet testatur) esset mentis eruditio. Basilius quoque magnus nepotibus suis adolescentibus,quos ad diuinam eruditebat sapientiã, omne genus profanorum scriptorum prudenter legendum suasit: huic sententiæ subscribit sacer Hieronymus, qui fatetur se profana legere,sacrisque intexere. Quomodo Theologi ab hæreticorum quorundam insidiis, & philosophorum versutiis possent se tueri,absque naturalis philosophiæ peritia? Origenes hæreticum illum Celsum tam strenuè oppugnare, & prosternere haud potuisset,nisi & ipse quoque magnus fuisset philosophus. Valentinum philosophum Iustinus martyr, & Diuus Irenæus

B. Aug. in 1. de Ecc. doct.

Seneca ad Lucillum.

Greg. Naziã. in Apologetico.

Basilius magnus.

Sacer. Hiero.

næus deuicerunt: ita quoque Tertullianus Marcionem, D.Chrysostomus Libanium, Prudentius orator oratorem Symmachum: non ergo damnanda est philosophiæ sobria cognitio, & eorum dicta: cum B.Paulus in priori ad Corinth. epistola adducat dictum Menandri. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Et ad Titum adducit Epimenidis proloquium. *Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, ventres pigri.* Et in Actibus Apost. *Dei genus sumus.* quæ est clausula versus heroici, vt notat B. Hieronymus. In his tamen non debet Euangelicus doctor multùm temporis conterere: nam sicut in vmbra cuiuslibet corporis frustrà solidatatis substantia quæritur: sic in his, quæ à profanis dicta sunt, solidioris existentiæ substantia nequaquam inuenitur: nebulæ sunt rerum fugacium: & cum quæruntur auidius, citius euanescunt. Cæterùm libri Catholici tutius leguntur, & cautius, quàm profani, licèt in vtrisque exerceri fideli ingenio vtile sit: sacris tamen impensè danda est opera, in quibus thesaurus Spiritus sancti positus est: cuius digito scripti sunt. de quo inferius suo loco dicemus.

1. *Corint.* 1.

Ad Tit. 1.

Actorum. D. *Hieron.*

De fuco in concione tollendo.

Cap. XX.

DVo sunt concionandi genera (vt tertium omittam) vnum syncerum, cum vero coniunctum: quod totis viribus amplexari debet concionator: cùm synceritas sit vitæ dux, vitiorum expultrix, virtutis indagatrix, & vera destituti animi medicina, qua Christiani auditores à vitiis expurgantur, & bonis moribus exornantur. Alterum verò genus fucosum, & adulterinum est, quod penitus in concione dimittendum est: nam fucosa eloquentia est disciplinæ Euangelicæ plaga: quę etiam suos alumnos decipit. Vnde Dominus in Ieremia graui quadam, & dura comminatione eiusmodi artificiosos eloquentes, somniantes, & non prophetãtes, ex ore Dei appellat: qui vt sunt mendaces, ita (magno Gregorio teste) placendi studio peregrinas ingenij sui imaginationes, & phãtasmata vendunt:

Ierem. c. 23

Greg. magn.

dunt: ac (velut minutarum rerum negociatores) omnium suarum mercium supellectilem in nundinis expositam ostentant, per omnia semper (vt Empedocles docuit) mentientes, Philippus Macedonum rex (vt Plutarchus est auctor) quendam capillorum tinctura, & artificiosa pulchritudine superbientem à magistratu (in quem nuper assumptus fuerat) deposuit: dicens, non sperandam esse integritatem ab eo in gerendis rebus, qui etiam pilis fucum prætenderet: & re verâ quæ animi integritas sperari potest in CHRISTI IESV Ecclesia, ab his, qui se ipsos prædicant, & exquisito quodam eloquio verborum anfractu, & splendido orationis cultu iactant se inuenisse de nouo, quod tritum est? qui videri malunt, quàm esse sapientes, vt suum, & aliorum obducant sensum. Tutius est (mihi crede) nudam veritatem, vt nuda est, ita etiam nudis verbis aperire, quàm per ambages: non eloquentia, sed loquentia, immo dicacitate, vel potius garrulitate quadam auditorum aures demulcere. Nam qui verba rebus, & res temporis opportunitati contexere nouit, insignem totius eloquentiæ regulam attingit: Sicut enim mulier suapte vi formosa & elegans, pulchrior videtur, quàm quæ cerussa, vel pigmento faciem sibi illinit, vt formosior in publicum prodeat: vnde ex fuco maiorem pulchritudinem non acquirit: sed potius naturalis pulchritudinis aliquid subtrahit. Quod enim ex sua natura formosum est, & concinnum, ex omni parte absolutum nullius artis magisterium requirit, vt perficiatur: neque pictoris egregium illud opus dici debet, quod variis coloribus mixtum cæmentarij mirantur: sed quod pictores laudant. Quamobrem vana, & saluti nostræ contraria existimet concionator, quæcunque in Dei gloriam, & hominum salutem non cogitat, aut molitur: non enim ad hoc nati sumus, vt in mundo, aut apud homines gloriosum nobis nomen comparemus: sed vt Deo conditori, & redemptori nostro placere omni studio contendamus. Ita admonet B. Paulus Titum, cum ait. *Tu loquere, quæ decent sanam doctrinam.* Modò non est pia doctrina, sed languens, quæ pijs auditoribus non confert ad componendam vitam, & bonos mores instituendos,

Empedocles.
Plutarchus.
Ad Titum.

vt si

vt si apochripha adduceres proprias reuelationes, miracula incerta, vaticinia vana, nouas allegorias, chimericas inuẽtiones, numerorum interpretationes: ac demum ea, quæ sanctorum patrum auctoritate non fuerint præmunita, & ab Ecclesia, vera docendi magistra, non fuerint approbata. Hæc itaque ars fucosa (si tamen ars dici debet) quæ à Platone in Gorgia artis nomine destituta est, omnium pernicioſissima, omnis iniustitiæ, & mali inuentrix, vt suam virulentiam magis efferre posset, artis persuadẽdi sibi nomen vendicauit, quibuscunque illecebris, blanditiis, & elaboratis pigmentis auditoribus persuadens bonum malum, & malum bonum, quæ sola vel occidere, vel fortunę, & animi bonis expoliare potest. ô tempora, ô mores. hoc certè est tempus illud, quod Apostolus Timoth. prædixit, cùm poëtarum fabulas, ac figmenta pro veritate, ac doctrina fideles accepturos in spiritu deplorabat, cùm ait. *Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus.* id est quærent eos, qui scalpant aures voluptate orationis, non qui radant. *& à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Vnde etiam fideles omnes summopere admonet, ne decipiantur in sublimitate sermonis. nam verba illa ieiunia & arida erũt, quæ absque sapientię humore proferuntur. illud quoq; admonitum esse voluit Timoth. vt insanias, & impuras voces deuitaret, & verba inania, vel nouas quasdam, & nuper inuentas instructiones à vero penitus alienas (vt magnus Basilius exponit, cum ait Apostolus. *O Timothẽe, depositum custodi, deuitãs profanas vocum nouitates.* quo exemplo voluit nos instruere, vt irreligiosa omnia, & quæ à religione remota sunt, euitemus.

Plato in Gorgia.

Ad Timoth. epist. 2. 4.

Ad Timoth. cap.

Ad Timoth. epist. 1. c. 6.

De Themate. Cap. XXI.

INter illa, quæ auditores attrahendi vim habent, erat tertio loco Thema, quod Cic. appellat propositum, siue materiam pertractandam. alij controuersiæ declamandæ argumentum. nonnulli thesin. alij denique Hypothesin: quanuis inter se longo quidem interuallo differant, nam thesis

thesis est: quæstio generalis, & infinita, nullius personæ, loci, aut temporis circunstantiis limitata. Hypothesis verò, est certis personis, temporibus, & locis propria. In themate autem tria considerari debent. Primum, vt continuum argumentum declaretur vsque in finem, ne mancum sit, & mutilum, vel concisum, quia dissonum esset. Deinde, ne peregrinum thema auditoribus proponatur. Postremò, vt assumatur thema ex Euangelio, ita tamen, vt totum Euangelium breuibus comprehendatur: in cuius lectione fundetur tota concio, si tamen ibi fuerit propriæ materiæ tractandæ sedes: cognoscenda est enim natura eius rei, quæ proponitur. Sed duplex thema desumi potest, à virtutibus vnum, alterum verò à vitiis: vt si tibi instituenda esset concio de iustitia, accipiendum erit hoc thema. Deus est iustus, ita probare poteris, Deus habet naturalem iustitiam, promissa eius dicuntur iustitia, iustificatio impij, reddere vni cuique quod suum est, quamuis aliter & aliter iustitia dicatur. In themate autem vitiorum, si velis sermonem instituere de superbia, primò aperienda erit quidditas superbiæ: deinde quàm graue malum sit superbia: quòd superbiæ est non subdi legi Dei, cùm sit amor propriæ excellentiæ: quòd omnia peccata à superbia pullulare dignoscuntur: quia nullum peccatum perpetrare possum, nisi meæ delectationi consentiam, & hoc cupiditatis est: vel Dei præceptum contemnam, & est superbiæ: nam superbire est super ire, quia superbus vellet Deo coæquari, & multa alia adducere poteris. in quo genere non modò seruare debes regulas, & documenta à Cicerone tradita de quæstionibus infinitis, & definitis: sed etiam quæ peculiari prouidentia suggerit Spiritus sanctus, vt tempore & loco, scias sacris concionibus inserere. *Lege B. Aug. in ep. B. Ioã. tract. 8.*

Quæ concionatori conferunt ad paranda sibi diuersa themata.

Cap. XXII.

TRia concionatori sunt necessaria ad paranda diuersa themata.

{Ars / Imitatio / Executio} Ars tribuit dicendi rationem : est enim ars præceptorum collectio, & scientia faciendi, vel docendi aliquid per certas regulas ordinata. *Vnusquisque in sua arte sapiens* : id est sapiens & industrius esse debet : & multò magis concionator, cui omni studio, & opera enitendum est, vt à terrenis cogitationibus ad cœlestium rerum amorem deducat

Eccl. 38.

peccatores : nec vllum officij genus prætermittere debet, quò fideles possint ad pietatem, & Dei cultum excitari: vt vnusquisque facilè intelligat, quid credere, quid sperare, & quid agere debeat. videmus omnes artifices, (quamuis rudes & ignaros) suas regulas habere, quibus in operibus suis procedunt : neque aurifex aurum purum ab adulterino discernere potest sine arte monstrante : nec faber ferrarius audet infrænare os equi, ne eius maxillas tantisper offendat, nisi prius calleret illius artis regulas omnes. Ædificator archipendulum habet, colonus agricultu-

B. Hiero. Paulino. in præfatione Bibliæ.

ram, miles suum ducem: hinc B. Hieronymus ait ad Paulinum. *Agricolæ, cæmentarij, fabri metallorum, lignorúmque cæsores, lanarij quoque & fullones, & cæteri, qui variam suppellectilem, & vili opusculo fabricant, absque doctore esse non possunt. Quod cupiunt (quod medicorum est) promittunt medici: tractant fabrilia fabri : Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant.*

Horat.

Scribimus indocti, doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delyrus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Quia re vera sola prædicandi ars (nescio quo infortunio) sine arte, & domino relicta est : vnde graue patitur detrimentum: & cuncta confusa & indigesta manent. Hinc quidam inter procellas eloquentiæ nauigantes, periclitantur in portu : & priusquam ad conclusionis metam perueniant, impudenter deficiunt. Tu finem expectas, & hi nondum initium fecerunt : tu defessus es audiendo, & hi quò tendant, aut quid velint, nondum intelligunt : hoc in causa est, quia nullam artem habentes, sine ordine loquuntur : & vuusquisque ad hanc cathedram anhelat : ac nullo præhabito exercitio, eruditione, aut bonarum studio

dio literarum, sibi vsurpat officium: sinè duce, & præceptore pro suo arbitratu descendit in hanc arenam, in qua se præceptorem, & dicendi magistrum rasa fronte ostentat, nulla habita ratione ordinis, dispositionis, & auditorum, ad quos actio omnis dirigi debet. Agè, quòd homini à natura datum sit loqui: rectè tamen loqui non est datum à natura, sed ab arte: nam verba naturalia quadam sunt rusticitate inuoluta: ars verò limare potest, & quæ rudia sunt expolire: neque enim ignoro, & quæ bona sunt, fieri meliora posse doctrina. Huic sententiæ subscribunt Plutarchus, & Quintilianus, affirmantes, oratorem debere naturam suam arte adiuuare: quia deficiente arte, natura marcescit, & obscuratur: quomodo enim paruulus infans inambularet sinè nutrice præeunte? Annibal Phormionem philosophum de re militari disputantem, irrisit, quòd senex, qui nunquam castra vidisset, coram se, qui tot annos cum populo Romano bella gessisset, de re militari disputare ausus esset: quomodo ergo iuuenes sine arte loquentur, si illam nunquam attigerunt, & nunquam cum hoste aperto marte (vt dici solet) conflixerunt? quod certè non est citra temeritatem, & animarum detrimentum: cùm hæc perfectio sit ars artium, & animarum regimen. Scio quidem, quòd Quintilianus scriptum reliquit, nullum oratorem nunquam in suo munere ita perfectum euadere, quòd vitium aliquod in se non contineat: attamen si naturæ vitium non potest superari omnino, arte tamen potest corrigi: quæ in ipsa hominis natura ita inserta, & imbibita esse debet, vt nullatenus ars appareat: sed ipsa incerta ars naturam redoleat. Crassus quoque ait, artem in oratore ineesse oportere vnà cum studio, ac ardore quoque amoris, quo in hac vita nihil quidquam magis egregium est: quódque ad dicendum vim maximam afferre solet. Secundum erat Imitatio, qua aliis similes in dicendo, cum ratione diligenti, & solicita obseruantia fieri contendimus, de qua ait Antonius. *Hoc sit primum in præceptis meis, vt demonstremus, quem imitemur: atque ita, vt quæ maximè excellant in eo, quem imitabimur, ea diligentissimè persequamur.* Nam si-

Plutarchus
Quintilianus lib. 10. instit. cap. 2.
Quintilianus.
Crassus lib. 2.
Antonius lib. 2. de imit.

cut pictor, qui aliquid effingere tentat, nequit id rectè perficere, nisi prius simulachrum illius rei, & exemplar in mente conceperit: neque id assequi potest, nisi diuersarum rerum experientia: quæ, cum sit cognitio per vsum reperta, per varios vsus (exemplo monstrante viam) artem facit, & habitum ingenerat, quo quisque paratior, & exercitatior redditur, vt facilè, expeditè & aptè agere possit. Verùm nescio (vt B. August. dicit) *Quem dignatur imitari vitiosa iactantia, vt ad virtutem percipiendam possit adduci: si erubescit imitari eum, de quo dictum est: ante quam nasceretur, Filius altissimi vocabitur?* Hic sanè & sibiipsi, & aliis summopere prodesse poterit, qui Christum imitari proponit, à quo omnis imitationis regula, & incrementi ratio proficiscitur. Quia sicut nos ab eo dissimilitudo separat, ita nos quoque illi coniungit imitatio. Exercitatio quinetiam, id est vsus, & dicendi consuetudo (quod erat tertio loco propositum) maximè confert ad paranda diuersa themata: sicut passim videmus in corporis exercitio vires quotidie, natura ipsa præeunte, corroborari: ad hunc sanè modum animi vis exercitatione incalescit, sine qua (dubio procul) in parando sibi themate frustrà laboraret concionator, hoc est, quod ait B. Augustinus. *Puer ego plus itineris conficiebam sine defectu, cùm aucupandi studio in ambulando exercerer, quàm adolescens, cùm me ad alia studia, quibus sedere magis cogebar, contulissem: si accedenti ætati, & per hanc homini crescenti vires ampliores tribuendæ sunt. Deinde in ipsis luctatorum corporibus palæstrita non molem, ac magnitudinem: sed nodos quosdam lacertorum, & districtos toros, figurámque omnem corporis sibi congruentem peritissimè inspiciunt, & hinc potius argumenta virium colligunt. Quæ tamen omnia parum valent, nisi vis artis, & exercitationis accedat. Sæpe etiam visum est ingentis corporis viros ab exiguis, breuibúsque superari: vel in mouendis, vel in ferendis ponderibus, vel in ipso etiam luctamine.* Quamobrem consulo iuuenes, vt certa sibi themata accipiant, séque in illis iuxtà regulas per aliquod tempus exerceant, antequam ad magnum declamationis opus perducantur, vt aptè, consentaneè, considerate, emendatè, perspicuè, appositè, memoriter, & cum dignitate

B. Augu. lib. de agone Christiano.

B. Aug. in lib. de quantitate animæ.

tate dicere assuescant, ne in alphabeti prorsus videantur. B. Augustinus arguit Ciceronem de Oratore, qui dixit, hanc artem à primis annis docēdam esse: ipse verò contra ait, virum perfectum posse huic arti incumbere: ita tamen, vt quem ante imitandum delegerit, exactè effingat, & exprimat: non vt multi imitatores faciunt, quos sæpæ cognoui, qui aut ea, quæ facilia sunt. aut etiam illa, quæ insignia, ac penè vitiosa, consectantur imitando: quod vitium maximum est. *B. Aug. lib. 4. de Eccl. doctr.*

De mixtione thematum, quæ auditoribus proponi possunt.

Cap. XXIII.

QVemadmodum gladiator in arena plerunque consilium capit: ita concionatori nonnunquam, & si casu potius, quàm scientia, id euenire solet. Quamobrem in his, quæ præceptis ab ingeniosis, & eruditis viris tradita sunt, non modica adhibenda est ratio; cùm B. Apostolus, qui raptus ad tertium cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: pro Euangelij tamen mysterio declarando orationis suffragia petit, cùm ait. *Orantes omnes tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei, cum fiducia notum facere mysterium Euangelij*, ac si diceret Apostolus. Aperiantur venæ sapientiæ, & thesauri: & absondita à seculis sacramenta pandantur, vt Spiritus sanctus penetret ad ea declaranda; quia non satis est patrum dicta congerere, & scripturæ sanctæ proprium sui ipsius sensum afferre: sed eum intellectum ex scripturis reportare, quem & ipsi patres Spiritu sancto edocti, retulerunt, qui totam hāc salutaris doctrinæ summam in quatuor capita distribuunt, Apostolorum Symbolum, Sacramenta, Decalogum, & Dominicam orationem, quibus veræ fœlicitatis præmia comparantur. Hæc proinde sunt quasi claues Euangelicæ doctrinæ, & Christianæ fidei elementa, ad quæ referri debet vniuersæ diuinæ scripturæ vis, atque doctrina. Hæc proponebant, & docebant fidei nostræ duces: & hæc à nobis tractanda sunt, *Eph. vlt. Coll. 4. & 2. Cor. 6. dicit Apostolus. Os meum ad vos apertum est ô Corinthi.*

vt omnes simus perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia: ita tamen syncerè, & apertè, vt omnium hominum mentibus, & sensibus sint accommoda: ne in quo aliorum saluti prodesse studemus, exitium potius & perniciem afferamus: hoc quoque docuit Aristot. *Oportet definientem, & demonstrantem, planissima interpretatione vti.* Doctrina itaque, quæ in themate declaranda à concionatore proponitur, debet esse pura, & remota ab omni falsitate, fuco, & fallacia: quæ est omnium malorum radix, & fomes. *Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores vrbis, quòd ingrederetur hostis, & inimicus per portas Hierusalem, propter peccata Prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt sanguinem iustorum.* In proponendo themate studeat concionator grauitati, & breuitati, tanquam in Domini conspectu: grauitati primò; quæ maximam vim, & ornamentum præstat propositæ materiei, si modò fuerit breuitati coniuncta. Sunt qui summa celeritate concionem suam prosequantur, vt nullo in loco sistant: sed vno spiritu, atque impetu omnia percurrant: id autem accidit (opinor) vel ex memoria labili, quæ rem sibi commissam fideliter non continet: vel metu, quoniam à timentibus omnia præproperè aguntur, vt animus non sit sui iuris. Hinc fit, vt auditores celeritatem hanc prætereant: & sonum ac vocem, quibus eorum aures personant, duntaxat percipiant: de quibus Quintilianus ait. *Nec volubilitate nimia confundenda sunt, quæ dicimus.* breuitati quinetiam studere debet. *Nam alimenta, quæ minus sufficiunt, auidius sumuntur.* ait D. Gregorius. & D. Chrysost. *Fames breui aufert hominem ex hac pœnali vita, excessus autem ciborum consumit, & putrefacere facit.* Debet quoque materia esse florida, diuersis rebus permixta: quia sicut diuersitas specierum facit ad decorem vniuersi, teste Aristot. ita *varietas* (vt Quintilianus ait) *reficit animos*, qui concionis ariditatem fastidiosè respuunt.

Arist. 6. Topicorum.

Trenorum 4.

Quintilianus.

Arist. 12. Metaph.

Imita

Imitationis exempla.

IMitationis tres sunt species.

Ethopœia
Idolopœia
Prosopopœia

Ethopœia, est expressio morum personæ subiectæ, quam Priscianus vocat allocutionem, vel sermonis imitationem ad mores, & suppositas personas accommodam. Quintilianus appellat expressionem morum, & affectuum, vnde nomen habet: quæ tractari debet dicendi genere dilucido, breui, florido, disiuncto, omni flexu, atque figura remota: vt si tractare velis mores, ingenia, virtutes & vitia, naturales propensiones, affectus innatos: vt amoris paterni in liberos, & affinium inter sese. affectuum interiorum, vt cùm animos erigimus in spem, aut lætitiam. Idolopœia est, quæ personam habet notam, sed defunctam, & loqui non potentem: vt si cognoueris aliquem virum grauem defunctum, quem imitandum proponas in vita, & moribus. Prosopopœia, quando finguntur omnia, & mores, & personæ, à Prisciano conformatio dicitur: quando alicui rei cõtra naturam datur persona loquendi, vt illud. *Audite cœli, quæ loquor: audiat terra verba oris mei*, vbi introducitur cælum, & terra loqui contra naturam rei. de hac Cicero agit, cum introducit patriam loquentem in Catilinam; *Nullum iam tot annis facinus extitit, nisi per te, nullum flagitium sine te: Tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio direptióque sociorum impunita fuit, ac libera.* Verùm ad alia transeamus; quia in his facile erit, si velis fingere exempla in quocunque dicendi genere, quæ in quadruplici serie distributa sunt (vt egregiè scribit Macrobius.)

Quintilianus, lib. 9. cap. 2.

Cic. 4. ad Herennium.

Macrobius 5. Satur. cap. 2.

Copiosum, in quo Cicero dominatur:
Breue, in quo Salustius regnat:
Siccum, quod Frontoni ascribitur:
Floridum & pingue, in quo Plinius secundus luxuriari videtur.

Quonam modo Thema dilatatur.
Cap. XXIIII.

DIlatatur præsertim thema qualitate, quantitate, loco, & tempore: vt si quis proponet quærendum esse

primùm regnum Dei, ponenda erit qualitas hoc modo. Quærendum est regnum cœlorum amore, timore, & bonis operibus, ista est qualitas: quærendum est diligenter, & frequenter, ecce quantitas: quærendum est in Ecclesia, & non in foro, ecce locus: quærendum est in hac vita, ecce tempus: pro quo habendi sunt quidam loci communes, in quibus (velut in quodam thesauro) faciendæ fidei instrumenta repetita sunt, à quo pro loco & tempore quasi ex penu, & promptuario quodam thema hauriri poterit. Amplificantur autem eiusdem loci diuersimodè, vel ab antecedenti, vt si Christus resurrexit, & nos resurgemus, à consequenti, vt ad experientiam sequitur prudentia, quæ est habitus intellectus ex iteratis actibus: à contrario, vt si fuisti piger in rebus propriis, quid facturus in alienis? vel sic, in homine præstantissima est ratio, & bona valetudo: vtrumque obnubilat, immo potius dispergit fœda temulentia: sed conseruat diuina sobrietatis virtus. Nam vt pulchrius nihil est homine sobrio, & ad quiduis quouis tempore, quouis in loco parato: ita nullum monstrum fœdius ebrio, cuius neque pes, neque manus satis suum officium facit. Ab auctoritate vel Ecclesiæ, vel à traditionibus patrum, vel Apostolicorum virorum testimoniis: à necessitate, vt si vis esse Christianus, necesse est te habere charitatem, quæ est vita animæ, & forma omnium virtutum; sicut enim corpus viuit per animam, ita anima per gratiam: sed hæc minimè haberi possunt sine stylo, qui est optimus dicendi magister orationis structura, & loquendi modus.

Coloribus rhetoricis potest dilatari thema.

Cap. XXV.

OMnes prophetarũ libri (vt norunt hi, qui sacras profitẽtur literas) scatẽt figuris, tropis, & coloribus rhetoricis, qui coloribus corporũ sunt persimiles. Sicut enim colores corporales spargũtur per oẽs partes corporis, neque habẽt locũ præcipuũ, & maximũ præstãt ornamentũ: & sicuti panis massa, quę suapte natura insipida, & insulsa erat,

dum

dum sale admiscetur, saporem recipit: ita colores admiscet orator, vt reddat orationem magis concinnam: & quemadmodum pictores, cum aliquid aut altius, aut profundius, aut à sensibus nostris remotius, quam verè sit, fingunt, id coloribus nauiter circunscribere solent: ita oratio suis interspersa coloribus, & variata tropis, auditorum capit animos: colorum namque varietas voluptatem affert. Quemadmodum mercator pannum coloribus interspersum efficit, vt ipsorum hominum oculos afficiat, sicut ægris quoque cibi salsamentis permixti adhibentur. At colores sunt diuersi: quidam enim dicuntur colores verborum, quorum ornatus consurgit ex verbis, & vocabulis, cuiusmodi sunt repetitio, & gradatio. Quia repetitio est in pluribus orationibus conuenienter se habentibus, vt si diceremus: superbia facit cadere potentes, superbia renuit amicum, superbia semper petit præesse. Alij sunt colores sententiarum, quarum ornatus pendet ex sententiis: vt si diceremus de superbo, quòd more duri lapidis intumescit: nec humilem terram, ex qua processit, imitatur: plærique alij sunt colores, quorum nonnullos ordine quodam alphabetico facilitatis, & distinctionis gratia, subiiciam.

De Additione.

ADditio est, cùm prædicator aliquam auctoritatem dicit: & quod ibi minus dictum est, de suo implet, & supplet, vt si dicamus. *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem:* non ponit Propheta aliquos pedes, quibus debeant homines consistere, ne cadant: sed supplendum est, stantes erant in iustitia, & timore: quibus exprimitur affectus, & desiderium iusti, tendentis ad patriam, vt illud apud Ezechielem. *Fili hominis sta super pedes tuos.* id est super affectus, & cogitationes, quibus ad patriam pergas. Ezech. 3.

De Articulo.

ARticulus à Græcis est membrum periodi, cùm singula verba interuallis distinguuntur, cæsa & interrupta verbis interuallatis oratione, vt si dixeris. Attendite, auditores mei dilectissimi: ego toties inclamaui regnum *Auctor ad Herenn. lib. 4. sit Cornificius vel alius.*

cœlorum, non in verbis,& sermone solùm consistere, sed in virtute,& mandatorum Dei obseruantia, cur ergo non contenditis immaculato calle intrare per angustam portam, quæ ad vitam ducit æternam ? sed necesse est Christum diligere,eius mandata seruare,pauperes intimo charitatis affectu amplecti,& fouere, atque eorum necessitatibus piè succurrere. Hæc oratio, quæ (vt videtur) est interrupta quibusdam verbis, articulus dicitur.

De Auersione.

AVersione vtitur concionator, cùm populum ad Christianos mores, & virtutes excitat. Nam auertere est remouere, & aliorsum flectere, sub qua continetur destructio, vel subuersio : & est propositæ alicuius rei reprehensio.

Exemplum Auersionis.

NEscio quid tuis (vt prætendis) flagitiis habere potes; inuitus non accedis ad perpetranda scelera:sed cùm in te sit mala mens,& malus animus,non sinè impio consilio,& conatu inuasisti pudicitiam : accessisti ad alienum thorum,fœdasti famam proximi tui,commisisti tam turpia scelera,vt nisi diuina succurrat clementia,actum est de te. Sed qua ratione parcendum est tibi, qui consultò facinus patrasti,& tua sponte, deserta præstantissima ratione,te in bestiam conuertisti? vtere meo consilio,resipisce, tecum habita, age pœnitentiam, & bona opera facito : & ita omnem iram à Deo amouebis ; quia nouit Deus mutare sententiam,si tu noueris mutare propositum.

Inflexio.

QVando gradatim proceditur in oratione laterum inflexione arguendo peccata,inflexio est : vt si dicerem. Audi peccator, desiste à peccato tuo, in quo toties iam fuisti deprehensus ; quia Dominus hortatur, immo iubet,immo cogit,vt à peccato auersus ad Deum toto pectore conuertaris.

Licentia.

QVicquid probabile maximè nobis occurrit, id nostro iure licet defendere. Cùm itaque aliquid dicimus,& timemus,ne scandalum inferatur,licentia vtimur; vt si dicamus. O nimiam hominum securitatem, & insignem

gnem imprudentiã, quæ omnia ſibi tuta, & proſpera perſuadet; vnde nec orationi vacat, nec bonis operibus ſtudet certam facere vocationem ſuam. Quid mirum, ſi tot bella, & ſeditiones homines patiuntur? ſed quorſum iſta mihi? ô rerum vanitatem, & inconſtantiam.

Occupatio.

OCcupatio (quam appellat Quintilianus præſumptionem) eſt, cùm id, quod obiici poteſt, occupamus: hoc ſchemate vtimur, cùm aliquid reticere dicimus, vel præterire, vel neſcire, vel nolle dicere id, quod maximè dicimus: ſed cautè nos excuſamus. Exemplum, poſſem vobis multò plura adducere, niſi timerem vel tædio vos & moleſtia afficere, vel potius aures veſtras defatigare: & ita egregiè facit auditores attentos.

Aliud exemplum.

QVis vſque adeò mente permotus eſt, quin ſibi perſuadeat Deo omnium moderatori obtemperandum, cùm præſertim diuinis morem gerere mandatis, volenti quàm facillimum ſit? in quo genere plura libenter loquerer, ſi ſcirem vos me libenter audire: ſed quia video corda veſtra mundanis detenta negotiis, hac, atque illac fluctuare, ad alia me conuertam.

Reprehenſio.

QVando reprehenditur ignorantia alicuius, vel negligentia, vel nequitia, reprehenſio eſt.

Exemplum.

NIhil aliud animo reuoluis, quàm Deum ipſum irritare: ex cuius contemptu prouenire ſolet rerum omnium penuria, ſeditiones, prælia, regionum deuaſtationes, excidia, atque peſtes. Ideo confuge ad Deum, & inuoca opportunè, quem importunè & ſuperbè prouocaſti.

Similitudo.

CVm ſubiicimus auditorum oculis aliquid ſimile, ſimilitudo eſt.

Exemplum.

VT cibi ſatietas, & faſtidium, aut ſubamara aliqua re releuantur, aut dulci mitigantur; ſic animus defeſſus audiendo, aut admiratione integratur, & reficitur, aut riſu renouatur.

Tran

Transitio.

QVando concionator proponit tres, vel plures articulos, & quibusdam absolutis, dicit. Audiuistis ea, quæ vobis declaranda proposui, remanet vltimum caput, quod quidem non mihi videtur silentio transeundum: nunc audiatis, sed parate animos vestros, vt vestræ aliquid refrigerij lassitudini afferam. Semper autem transitio locum habet, vbi noua sententia incipit: animaduertat autem concionator, dum ex vna in alteram materiam transit, ne sententiam adducat extortè, aut concisè, sed opportunè & propriè: quia auditori pergratum erit audire, & concionatori doctrinæ, & eloquentiæ magnas vires ingeret.

Appendix.

ESsent multò plures colores, quos modico tractatu complecti nequeo.

Dilatari potest thema per schemata, & tropos, in quibus ingens ornatus situs est.

Cap. XXVI.

ARridet quidem concio, si fuerit interspersa, & variata figuris, atque auditorum aures capit. Figurarum siquidem varietas concinnam, & aptam reddit concionem: sunt enim figuræ quidam flosculi, qui à consueto dicendi vsu recedentes, maximã auditoribus afferunt voluptatem. Nam vt pictura, quæ variis distinguitur coloribus, spectantium oculos maximè pascit: & pratum florum varietate plenum inambulantibus arridet: ita concio figuratis variata locutionibus, nedum sua varietate delectat, sed & floridam concionem reddit, & auditores maxima voluptate afficit. Hoc loco tamen te admonitum velim, vt cùm eiusmodi schemata concioni plurimùm adiumenti & ornamenti afferant, ex optimis auctoribus erunt tibi comparanda, ex quibus nonnulla collegi, & breui hoc capite complexus sum. Est autem figura (vt Quintilianus ait) conformatio quædam orationis remota à communi, & primùm se offerente ratione. Petrus Mosellanus declarat hãc conformationem esse, vel dictionis, vel orationis, vel sententiæ, vulgi consuetudinem excedentem.

Quint. li. 9. c. 1.

Petrus Mosella.

Tro

Tropum clarissimi Latinorum motum, vel figuratam verbi immutationem appellant. Quintilianus verò, sermonis à propria significatione ad aliam, cum virtute verbi, vel sermonis mutationem, cuius priores partes hæ potissimùm colliguntur. *Quintil.*

- Allegoria.
- Anthiteton.
- Antonomasia.
- Catachrisis.
- Epitheton.
- Emphasis.
- Gradatio.
- Homœosis.
- Hyperbaton.
- Hyperbole.
- Metalepsis.
- Metaphora.
- Metonymia.
- Onomatopœia.
- Periphrasis.
- Synecdoche.

Allegoria à Quintiliano inuersio dicitur, & est, cum aliud verbis, aliud sensu ostenditur: vel rerum gestarũ narratio, vmbram futurarum demonstrans: hoc schemate vtitur Dauid, cum ait. *Quintil.* *Psal.* 41. *In chamo & freno maxillas eorum constringe.* id est inobedientibus constringendæ sunt maxillæ: vbi maxillarum nomine allegoricè intelligit copias victuales, ab eis subtrahendas, ne suis voluptatibus efferantur: sed abstinentię necessitate concluſi, Creatoris subdantur imperio.

Antitheton multis modis fieri potest, & habet in omni genere orationis summam vtilitatem: & est, cum contrariis contraria opponuntur, vt frigida pugnabant calidis. Cùm autem contrariis contraria opponuntur, ex hac figura numerus oratorius necessitate ipsa efficitur: hanc figurã habes in Euangelio apud Matth. de Iona, & Christo.

Ille propheta fuit,
Hic fuit archipropheta,
Ille vni duntaxat ciuitati & populo prædicauit,
Hic totum mundum ad se pertraxit
Ille verbis solùm,
Hic verbis facta addidit præclarissima.

Antitheton est per epitheta.

Antonomasia (vt Diomedes ait,) est, quod sinè nomine positum loco eius fungitur: & dicitur nominis permutatio, id est vice nominis posita, quando sic aliud nomen ponitur, vt tamen illud, quod necessarium fuerit, sentiatur. Hac vtitur Dauid, cum ait, *Rex virtutum dilecti:* vnde dilecti *Diomedes.* *Psal.* 67.

lecti nomine filium intelligit, sicut pater in Euangelio testatur. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3.

Catachrisis est verborum abusio, quæ non habentibus nomen suum, accommodat quod in proximo est, vt apud Ioannem probatica piscina dicebatur per catachrisim: quia piscibus carebat. Hac vsus est Dauid, cum ait: *Et omnia cornua peccatorum confringam:* vbi cornua intelligit munera futuri iudicij, quæ re vera firmiter eriguntur: quia in æterna pulchritudine permanebunt. Psal. 74.

Epitethon, id est appositum, quoties proprium nomen adiecto aliquo quasi vestitur, vt quàm bonus Israel Deus, & multa alia, quę ornatus causa dicuntur: nunquam autem epitethon solum ponitur, sed semper aliquid apponitur: vt alma Virgo, beatissima Virgo, sacratissima mater Iesu, & alia huius generis multa.

Emphasis est, cùm tacita verbis subest significantia hoc tamen habet præcipuum, vt si fixum pro mobili ponitur, vt cùm dicimus scelus pro sceleste. Fit etiam, quando rem aliquam multis in vnum collectis doloribus allegamus, vt multis calamitatibus enumeratis, iudicis clementiam impetremus. quo schemate vsus est Dauid, cùm ait: *Nunc autem repulisti, & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris.* Psal. 43.

Gradatio Latinis, Græcis climax est, cùm ex prima sententia oritur secunda, & ex secunda tertia, & ita deincept. Hanc Cicero appellat conuersionem, & verborum concinnam transgressionem: hac vtitur B. Paulus ad Romanos. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* Gradatio est, quia sententiæ sunt adeò connexæ, vt vna ab altera habeat dependentiam: sicut qui gradatim scalam conscendit à primo ad secundum gradum, & à secundo ad tertium.

Cic. 3. de Orat. Roman. 5. *Tribulatio potentiam operatur, si non patiatur motum infirmitatis (ait Do. Ambrosius) vel motu dubitationis.*

Homæosis est rei ignotæ per eius, quæ magis nota est, similitudinem expressio: cuius tres species recensentur.

Icon, Parabole, Paradigma } Icon, imago, cum quidpiam ad imaginem alterius rei quasi describimus: hanc Cicero appellat collationem formæ ad formã cum quadã similitudine, vt si Deo attribuamus

mus

mus os, humeros, manus, & eiusmodi. Icon est & translatio.

Parabole (quam Cicero collationem interpretatur) est rerum genere dimissimilium comparatio, vt apud Matth. Euangelistam. *Homo quidam plantauit vineam.* *Cicero ad Herenn.*

Paradigma, cum ex historia res aliqua narratur, qua (velut exemplo) accendimur & ipsi huiusmodi vel facere, vel vitare: cuius vsus tam est frequens in sacris literis, vt minimè opus videatur exempla in medium afferre. Insigne illud paradigma fuit, quod Nathan Dei nuncius, adduxit Dauidi adultero, & homicidæ de ouicula, & diuite: qua industria commouit regium animum ad peccati sui confessionem. Simile huic adduxit Dominus Pharisæo apud Lucam, vt simulatam animi sui fallaciam detegeret, & nos eius exemplo instrueret, cum ait. *Duo debitores, &c.*

De Breuitate.

AD breuitatem adhibenda sunt verba simplicia, detractis epithetis, quæ non modò ad oratorum, verùm etiam poëtarum copiam pertinere maximè videatur. Breuitas enim auditores quàm facilè allicit ad sacros cœtus, qui tædio, & facietate permoti, non audiunt libenter eum concionatorem, qui proposito termino egressus, concionem nunquam ad exitum perducit. Romanis commendat Paulus breuitatem, cum ait: *Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Cæsar in Commentariis magnopere breuitatem adamauit. Euripides Æschilum apud Aristophanem reprehendit, quòd orationem nimis protraheret. Cauendum autem est, ne, dum breues esse velimus, in obscuritatem incidamus, vt de Spartanis narrat Thucydides, qui breuissimi erant in loquendo. Breuitatis errorem notauit Horatius in arte poëtica, hoc modo. *Eleganti breui loquentia vtitur Basilius magnus in lib. suarũ epistolarũ. epist. 176. & infra. Ad Romanos. c. 9.* *Thucydides in concione Lacedemon.* *Horat. in arte poëtic.*

Decipimur specie recti: breuis esse laborę,
Obscurus fio.

Vt qui tibiam breuiorem habet, altero tantùm pede incedere videtur. *Et pallium breue* (ait Isaias) *vtrumque operire non poterit.* *Isaiæ.*

Exem

Exemplum breuitatis.

LEuiora etiam crimina non conniuere, sed interdum ad viuum resecare, quantum in Republica Christiana bonæ frugis afferat, vel cæco manifestum est.

ALIVD EXEMPLVM.

IOanni Baptistæ prædicanti pœnitentiam in deserto, ab Herode Antippa improbo & iniquo rege amputatum est sacrum caput. Non desunt (si lubet) exempla in hoc dicendi genere.

De Circunlocutione.

CIrcunlocutione vtimur, cum prolata sine verecundia audiri nequeunt, vt cum insignium, & nefandorum peccatorum nomina supprimimus.

De Contentione.

COntentio (quam Cicero reticentiam appellat, alij obticentiam, nonnulli interruptionem, vt Quintilianus docet) est, quando finitur oratio verbis contrariis: vt quando concionator cũ auditoribus oratione pugnaci, & contentiosa contendere videtur, sicut in controuersia, & allegatione, quæ in foro iudiciali inter iudicem, & partem fieri consueuit.

Contentionis exemplum.

VTinam veniret tibi in mentẽ peccati deformitas. Tu es solutus, & vincula quæris? Tu es liber, & te seruum facis? an ignoras, quòd anima, quæ peccauerit, ipsa morietur? ea enim est peccati vitiositas, vt si virulenta, & mortifera rabie cor attigerit, statim mortem affert. *Sturni quidem cicuta vescuntur, sed propter corporis structuram, veneni detrimentum effugiunt: cùm enim tenues habeant à corde meatus, deglutitam concoquunt prius, quàm frigiditas ipsius principales partes contingat.* Sed peccatum tuum est adeo frigidum, vt cordis vix tacti caliditatem statim extinguat.

Ex magno Basilio. Hexameron. hom. 5.

De Digressione.

DIgressio, est discessus à proposito, quæ in dicendo vim habet (si tamen non fuerit nimis à re proposita protracta) vt cùm vis facere fidem alicuius rei, quid sis dicturus, & ab eo quod dictum, seiunctionem, & reditum ad propositum, iterationem, & rationis aptam conclusio

clusionem contineat.

Exemplum Digressionis.

SI vis confutare improbatam, & damnatam hæresim, quæ negat liberum hominis arbitrium, dicas. Gratia non tollit liberum hominis arbitrium? ideo profanum est aliud sentire: & si vis laudare bonitatem Dei erga homines, dicas. Nihil ociosè, & inutiliter generatum est in hoc mundi proscenio; suspice cœlum, & sydera, quo ordine moueantur, & splendeant, & hæc in gratiam hominis, in quo splendet Dei imago, sunt progenita.

Disiunctio.

CVm omnia vnico verbo concluduntur, disiunctio est: vt cùm dicimus. Christus moriens in cruce debellauit infernum, portas ferreas confregit, eduxit vinctos de lacu, reconciliauit patrem, paradisi ianuam aperuit, dedit ingressum electis, pacem attulit his qui longè, & his qui propè sunt. Magnum profecto affert ornamentum, cùm ab eodem verbo ducitur sæpe oratio, aut in idem conijcitur.

Exclamatio.

EXclamatio (quæ à Græcis apostrophe, siue conuersio dicitur) est quando cum clamore, dolore, vel indignatione fit sermo, & cùm vitia carpuntur: præsertim si publica fuerint, & insignia: quod summopere afficit auditores, & conficit significationem doloris, aut iudignationis alicuius per hominis, aut vrbis, aut loci, aut rei cuiuspiam compellationem, vt si diceres. Te nunc alloquor peccator, qui tuis demeritis Deum ad iram concitasti: sed vtinam modò velles ad Deum redire, à quo recessisti, & peccata tua detestareris, & fleres. Ego pro te insudaui, sed nihil profuit mea diligentia, nec in quo profecerim, video. Interdum exclamatio ab effectu charitatis erumpit, vt si diceremus. ô insensati Galathæ, quis vos fascinauit non obedire veritati? & vbicunque impotens affectus erumpit, exclamatio est, qualis est illa. Hæccine reddis domino populestulte & insipiens? hac vtebantur veteres ad terrendum, quæ vim habet maximam, si tamen moderatè fiat & gestu, & habitu, & voce composita: acutas enim vocis exclamationes vitare debemus; ictus enim fit & vulnerantur

arteriæ;laterum etiam conatus fit,& non capitis,vt gestus ad vocem,& vultus ad gestum accommodetur.

Frequentatio.

CVm res in tota causa dispersæ coguntur in vnum locum,frequentatio est,atque *argumentorum* (vt docet Cicero (*coaceruatio vniuersa*: quando omnia dispersa hinc inde in oratione, vt sit grauis, reducuntur in vnum, vt si dicamus. vellem,vt de rebus vanissimis verba facere desineres, ne tibi aliqua vaniloquentiæ nota posset inuri, desine ergo, nonne mouet te huius vitæ breuitas?exemplum CHRISTI,& Prophetarum?

Cicer.de Part.

Hyperbaton,est trangressio quædam verborum, ordinem communem perturbans:vel cum suspensus ordo verborum inferius explicatur,vt apud Psalmographum. *Quoniam qui malignantur,exterminabuntur.*

Psal.36.

Hyperbole dici potest eminentia,vel(vt ait Cicero)superlatio, vel superiectio (vt Quintiliano placet) Hac vtitur Dauid. *Et iudicium tuum sicut meridies:* vbi per meridiem intelligit purissimam, & clarissimam lucem.

Cicero. Quintilianus. Psal.36.

Metalipsis transumptio dicitur, & ea est, vbi gradatim itur ad id, quod ostenditur, vt plerunque concionatori accidit.

De Metaphora quid sit,& eius necessitate in scripturis, superius dictum est.

Metonymia,id est transnominatio quoties intellectum rei diuersis modis verbis alienis & translatitijs indicamus. Hac vtitur Dauid, cùm ait. *Qui habitat in cælis,irridebit eos: & Dominus subsannabit eos.* Non enim Dominus nec splene ridet,nec vultu subsannat:sed virtute sua spiritualiter peragit quæcunque disponit.

Psal.2.

Onomatopæia est nominis confictio, soni imitatione, vt cum dicimus tinnire,vel mugire, quæ (significandi gratia, pro tempore fingimus.

Periphrasis latinè circumlocutio, vel circuitio, quæ fit (vt Quintiliano placet) cùm quod vno, aut certè paucioribus dici poterat, pluribus explicatur. Hac vtitur Dauid, cùm ait. *Et dominabitur à mari vsque ad mare,& à flumine vs-*

Quintilianus libr.8.cap.6. Psal.71.

que

que ad terminos orbis terrarum: vbi pulchra quidem breuitate per maria, & flumina intelligit totius mundi ambitum.

Synecdoche est locutionis figura, quia parte totum, vel à toto pars intelligitur. hac vtitur Dauid. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*. Nullus potest mirabilia narrare diuina, nec toto corde Deum confiteri: sed vsus scripturarum est à toto partem dicere. Possem adducere, si vellem, infinita propemodum schemata, & tropos, quibus Dauid, & cæteri prophetæ vsi sunt: sed instituti mei angustia, non sinit hunc figuratum aceruum explere. *Psal. 9.*

De quadruplici sensu scripturarum, quibus thema dilatari potest. Cap. XXVII.

Ecclesia sancta, vera docendi magistra, sola habet ius, & potestatem scripturas sacras, à profanis, & verum ac legitimum sensuum, à non vero discernendi. Vnde (B. Hieronymo teste) in sensu literæ consistit Euangelium, & non in nuda litera; non ita tamen, vt alij sensus sint superuacanei: quia, vt Gregorius ait. *Sacra scriptura omnes scientias ipso locutionis suæ more transcendit: quia vno eodémque sermone dum narrat gestum, prodit mysterium*. id est, innuit spiritualem intellectum. Exemplum, nomine aquæ intelligitur baptismus allegoricè. *Omnes in mari baptizati sunt*: vita æterna anagogicè. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*: tribulationes tropologicè. *Saluum me fac, quia intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*. id est tribulationes: sensu historico intelligitur elementum aquæ. *Gregorius magnus 15. Moral. idem B. August. in lib. de vtilitate credendi.*

Anagogia est sursum ductio, quando ex inferioribus ad cœlestia ducimur. *Abiit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum*. id est, per abiectionem rerum inferiorum cœlum acquisiuit. *Matt. 13.*

Tropologicus. *Qui infirmus est, olus manducet*. id est, qui peccauit, agat pœnitentiam: vel perfectis in fide datur cibus solidior: vnde infirmitatem hic non ad valetudinem corporis, sed animi refert, vt sensus sit tropologicus. Sensus historicus clarus est: fugienda sunt tamen, quantum fieri potest (vt D. Chrysostomus docet) inuolucra *Rom. 14.*

allegorica, & anagogica, nisi necessitas id efflagitet; vult dicere cauendam esse omnino confusionem, licèt ex diuersitate sensuum nulla arguatur ambiguitas, cum omnes sensus fundentur in literali, ex quo solo trahi potest argumentum. Necessitas horum sensuum probari potest insigni. Exechielis exemplo, cui datum est pro cibo volumen intus & foris scriptum, vt ostenderet exteriorem scripturæ historiam in exemplum auditorum proferendam: & interiorem mysticumque sensum, qui sub ea latet, cum res postulauerit, non prætermittendum. Cùm itaque tibi locus obscurus occurrit, non pigeat Spiritum sanctum (cuius proprium munus est nos omnem docere veritatem) orare, quò mentis oculos tibi aperiat, nec sinat te à fidei linea aberrare, cuius disciplinæ scientiam si assecutus fueris, cum Ezechiele dicere poteris, *Comedi illud, & factum est in ore meo, sicut mel dulce.*

Dilatari potest thema in quocunque genere causæ Cap. XXVIII.

Cicero lib. 1. de inuen.

TRia sunt apud rethores causarum genera. Demonstratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale. Quibus Cicero posuerit multa genera, honestum, admirabile, humile, anceps, & obscurum; non omnia tamen propria sunt genera causarum, sed accidentia, quæ causis ipsis occurrunt: causæ enim accidit, vt sit honesta & anceps, causarum itaque genera in hæc tria potissimùm recidunt; quamuis & didactic um genus addere possemus.

Suasio & dissuasio de faciendo, & non faciendo sunt species generis deliberatiui.

Deliberatiuum genus est, quod in suasione, & dissuasione versatur ad ea quæ sunt credenda, speranda, timenda, vitanda, agenda; cuius finis est vtile: demonstratiui, honestum: iudicialis, iustum. Quamuis quisque verba faciens in omni genere, aliquo modo docet; tamen in demonstratiuo propriè delectat, in deliberatiuo, & iudiciali flectit. Dicitur iudiciale genus, eo quòd iudicet hominem: & sententia sua ostendat vel præmio, vel vituperio dignum. in didactico propriè docet. In omni autè genere nititur mouere auditores ad persuasionem: tria priora propriè spectant

ctant ad eos, qui loquuntur in publica concione, atque in foro: At genus didacticum spectat ad philosophos, & Theologos profitentes in scholiis: in quo genere versatur etiam Euangelicus præceptor. Nam Christus dominus, & Deus noster (cùm Apostolos ad obeundum hoc munus Euangelicum mitteret) dixit. *Docete omnes gentes.* Ad hoc genus spectat laudare, vituperare, suadere, dissuadere, & quasi in theatro huius mundi accusare perfidos, & impios doctores, inque ipsius Ecclesiæ foro vehementer pugnare, & disputare cum hæreticis veritati contradicentibus, vt illi omnino pudefiant, & Catholicam doctrinam pedibus & manibus (vt aiunt) defensare cogantur: in quo genere tota concionis vis, & scopus dignoscitur, vt in singulis discurrenti notum est.

De Methodo docendi. Cap. XXIX.

DOcendi methodus, quæ fuerat quarto loco proposita inter illa, quæ auditores alliciunt, summopere necessaria est. Omnis quippè concionis decor in hoc consistit, vt vnaquæque res suam propriam sortiatur sedem, vt in sermonis initio proponatur id, de quo futura est concio: atque illud concionator exequatur, & impleat, quod auditorem reddit attentum, & memoriæ maximè lumen affert, & omnem à se repellit confusionem, quæ est mater erroris: veluti in acie fieri consueuit, vbi pedites, alæ, cæteráque omnia suo quæque ordine collocantur. Plato appellat ordinem mundi animam, qua vnaquæque res summi illius opificis arte elaborata: mirandum in modum resplendet. Methodus græca vox est, quæ compendiarium diuerticulum significat, quo celerius iter expediri solet; est enim methodus via breuis, dicendi cum ratione. Verùm duplex est dòcendi methodus, altera popularis, scholastica altera: illa quidem promiscuæ multitudini, & rudi populo in ecclesia maximè deseruit: hæc verò in frequentibus scholis vsurpatur, quæ multò est laboriosior: quippe cum singula (& quidem minutissima) proponat, & exactè discutiat, vt nullus amplius in auditorum pectore scrupulus insideat.

Exemplum.

IN ſacra theologia, ſicut in aliis ſcientiis, ſunt principia per ſe nota: hæc autem ſunt in duplici differentia; nam alia incomplexa, alia verò complexa ſunt. Incomplexa, vt bonitas ſuprema, magnitudo infinita. Complexa, vt propoſitiones immediatæ: vt Deus eſt trinus & vnus, Deus eſt via intellectualis, & eiuſmodi. His principiis ita conſtitutis, neceſſariò, & ſine medio ponitur emanatio perſonarum in eadem eſſentia diuina; alioqui hæc principia ſuo fine fruſtrarentur, vt ſic dicatur. In Deo eſt ſumma bonitas, ergo eſt ſumma ratio producendi ſummum bonum. In Deo eſt magnitudo, ergo ſumma ratio producendi magnum & infinitum: & quia nulla ratione fieri poteſt aliquid ab aliquo, niſi prius (ſaltèm natura) in facientis ratione ſit aliquid rei faciendæ, vt ſimilitudo, idea, vel regula: ideo Deus, vt verus artifex, ad ſimilitudinem ſui (cum nihil eſſet ad extra) debuit mundum producere: & quia cauſſa eſt perfectiſſima, perfectiſſimum etiam effectum produxit: cuius perfectio & ornatus in tribus conſiſtit naturis, ſpirituali, corporali, & mixta: vt à mundi creaturis amaretur, quibus fruitionis eſſet obiectum, & ratio ſumma: & ita de aliis, in quibus mutari poterit ſermonis facies, vt ratio habeatur ſemper à quo, & ad quos habendus ſit ſermo: ſed de hac non loquor præcipuè, verùm de ea, qua vtitur concionator in ſuis concionibus, in quibus nihil omittere debet, quod ad perſuadendum, inculcandúmque auditorum animis vim habet, huc ſiquidem tendit vniuerſus eius labor, & induſtria, vt omnes ad Dei honorem, peccatorum pœnitentiam, & vitæ emendationem pertrahat. Huius rei abſolutiſſima ſunt exempla apud Prophetas, & Euangeliſtas: quod (& quidem egregiè) obſeruauit inter cæteros D. Chryſoſt. in ſuis homilijs, in quibus vniuerſum eius ſtudium in hoc ſolùm verſatur, vt vniuerſis prodeſſe poſſit. Quare commonefaciendi ſunt concionatores, dum ſermonem habent ad populum, nec temere diſputationes inſtituant, nec fortè vanitatis ſuſpicionem incurrant, & ſimplicium mentibus ſcopulos injciant; ſed vt omnia aptè, & opportunè faciat: ſicut dapifer, qui nedum cibos precioſos apponit, ſed conſultò

sultò, & accommodè cuncta suo loco, & tempore disponit. In methodo docendi poterit concionator vti diuisione: non ita tamen protracta, vt confusionem pariat. Huc tendere deberent iuuenum studia, ne a methodi, & inalphabeti essent, vt plerique faciunt, qui aliorum scriptis (vice librorum) delectantur, vt labeolis abundent: & quia in alieno agro mendicant, in doctrinæ pauperiem miserè incidunt: vnde alienis induti vestibus aliorum festa celebrant: ipsi (& quidem nimis audacter) leonum catulos imitantur, qui, cum adhuc tenelli sunt, cùm satis dentes, vngues que creuerint, matris vbera aspernati, prædam sibi in syluis captant: ita isti nimis sibi pollicentes, sibique blandientes, per aliorum scripta vagantur, atque ita (vt in prouerbio est) graculum imitantur, cui furandi, & se aliarum auium plumis exornandi natura est: vnde postea fit, vt implumis remaneat. In hunc sanè modum his, qui semper inuentis, & nunquam inueniendis delectantur, vsu euenire solet: nam cùm ab aliis omnia excipiant, si ipsi pennas suas repeterent, corniculari risum moueret. Quid contrahitis vultum? (quæso ne mihi irascamini) vtinam sic non esset: vnde fit, vt multa puerilis doctrinæ sine methodo conglomerantes, ad sudorem vsque auditorum sinè scopo sagittare videantur: hirundines imitati, quæ loquacitate sua plus tristitiæ afferunt, quàm suauitate delectent. Moneo itaque iuuenes, vt methodum addiscant, & summa ratione in sacris concionibus, vel homiliis obseruent: quòd si dictis meis inhæserint, laborum suorum dulcissimos fructus suscipient, & consilio meo amantissimo paruisse in dies magis, ac magis lætabuntur.

De concionis partibus. *cap.* XXX.

SEptem sunt concionis partes (quamuis alij quinque tantùm constituant) proœmium siue exordium, narratio, probatio, confirmatio, confutatio, amplificatio, epilogus.

De Exordio.

EXordium multifariam nominati consueuit, initium, proloquium, antiloquium, præludiũ, argumen-

tum. est autem exordium concionis principium, quo animus auditoris paratur ad audiendum, vt eius attentio, docilitas, & beneuolentia captetur. Argumentum verò (vt Quintiliano placet) *est ratio probationem præstans*, vel est inuentum ex aliquo genere rem aliquam aut probabiliter ostendens, aut necessariò demonstrans: vt si dixeris: *Cum patrem videret mortuum Ioseph, flens ruit super faciem eius, & deosculatus est eum.* Omitti interdum potest exordium, vbi præsertim populus attentus factus est ex præcedentibus concionibus, vel si temporis angustia non patitur sermonem protrahi: vt D. Chrysostomi exemplo facilè probari potest: qui, dum ad populum Antiochenum verba faceret, hinc sumpsit exordium. *Eia, charissimi, prius dicta repetamus, & hodie ostendamus, quomodo eleemosyna sit ars, & omnium artium præstantissima.* si ergo res patet, & parua est, non est vtendum exordio. Consulit autem Fabius Quintilianus vt sumatur exordium sedata, ac depressa voce; nam arteriæ vocales, antequam leni voce permulsæ sint, acri clamore complentur, & læduntur magnopere; vtilis est ergo sedata vox ad vocis firmitudinem: neque insuauius quicquam audiri potest, quàm clamor in principio; cùm potius, ex Quintiliani sententia, vox esse debeat temperata, gestus modestus & lenis in vtramque partem motus: quòd si in principio velis acri voce, & actione vti, in medio orationis cursu & vox, & vires destituent, & te in periculo deserent. In exordio fiunt beneuoli auditores, dociles, & attenti (vt auctor est Cicero) cuius proprium est finem ostendere, in quem constituta est concio: quod egregiè obseruauit Angelus, qui, dum salutaret B. Virginem, docilem, attentam, & benevolam eam reddit, vt notat D. Thom. Tunc concionator facit auditorem docilem, si promittit se ordinatè dicturum, & difficiles, ac curiosas quæstiones dimittat: Reddit attentum, cum de animarũ salute promittit se dicturum. Reddit beneuolum, si neque inanis cupiditate gloriæ aut auaritiæ, sed zelo Dei, & studio salutis animarum munus dicendi se suscepisse affirmauerit. Facit docilem, si breuiter & summatim exponat causam: facit attentum, cum pollicetur tractare de rebus arduis: facit beneuolum vel à conditio

Gen. 50.

D. Chryſoſt.

Quintilianus.

Cicero lib. 1. de inuentione.

D. Tho. de ſalutatione Angelica.

ditione personæ, vel ab aduersariis, vel à re ipsa. Debet exordium esse graue, vt grauiter, & probè procedat concionator: vt qui in Ecclesia magna, & in populo graui, & Christiano sit facturus verba: breue, vt statim aperiat de qua materia dicere velit: demum sit aliqua sententia illustratum. Est autem sententia, oratio aliquid enuncians de re vniuersali, quæ sit optanda, aut fugienda: in exordio itaque vtatur concionator verbis grauidis, grauibus, significantibus, interuallis quibusdam distinctis, non ita tamen, vt in labris solùm nascantur, voce æquali, alta & sonora, corpore firmo & ferè immobili: quousque animus incaluerit.

A quibus desumitur exordium.

SVmitur exordium ex abrupto, à similitudine, ab opinione populi, à tempore, à sententia scripturæ, à persona oratoris, ab auditoribus.

Ex abrupto.

DEsumitur ex abrupto: nonnunquam (licèt summis oratoribus non satis ex sententia euenire solet) Ciceronem in causa Miloniana tanta eius dicendi fœlicitas destituit: sed ante eum Demosthenes in Senatu Athenienſium verba facturus, Phocionis præsentia ita conturbatus est, vt nihil dicere aliud potuerit, nisi Phocionem suorum verborum nouaculam esse. Theophrastus quoq;, qui à diuinitate *loquendi nomen* inuenit, apud Alexandrum regem dicturus, *nihil effari potuit.*

A Similitudine.

SIcut medici cùm pueris absynthia terra dare conantur, prius pocula contingunt mellis dulci liquore, vt decepti non capiantur, sed potius recreati valescant: ad hunc sanè modum auditores pertrahendi sunt dulcedine verbi. Vel sic, sicut in humano corpore multa membra habemus, quæ ita se habent, vt, vno patiente, cætera compatiantur: ita qui amittit filium vnigenitum, planctum facit amarum, & mœrore conficitur.

Ab Opinione.

QVis dubitat longè maiorem esse gloriam, propriis virtutibus niti, quàm alienis intumescere? opinor vos eandem habere sententiam, cùm cuique vestrum notum

sit solam virtutem afflictos consolari, perterritos timore vacuos reddere, seditiones compescere, feros & agrestes homines ad humanitatem deducere. Hoc maximis eloquentiæ laudibus explicandum erit, si attentas aures præbueritis.

A tempore insinuatio.

O Tempora,ô mores,heu me miserum! quàm deflenda est calamitas,quò me vertam infelix,ad quæ deflectar! vnum inter tot miseriarum mearum procellas supereſt remedium,vt à lachrymis non cessem, & vobiscum communem deplorem calamitatem. Hæc insinuatio dici potest à tempore desumpta, quando causam aggredimur per viam indirectam,& per verborum circuitionem,& habet locum exordij: differt tamen insinuatio ab exordio; quia exordium est, quod protinus perficit auditorem beneuolum,aut docilem,aut attentum: quod verò quadam dissimulatione, & circuitione obscurè subit auditoris animum, insinuatio appellatur, qua vtimur, vel quando in causa est aliqua turpitudo, vel auditores defessi sunt audiendo.

A Sententia scripturæ.

OMnis sapientia à domino Deo est, qui est fons omnium virtutum & origo perfecta: cuius dona sunt linguarum genera, omnésque sapientiarum & scientiarum sermones: ex quo, per quem, & in quo sunt omnia.

A personæ encomio.

INgratissimus omnium haberi meritò posset, qui non laudibus condignis euehere studeat factum hoc egregium sanctissimi Ioseph Patriarchæ, quo præclarum eximiæ pietatis specimen exhibuit, atque virtutis exemplum: qui charissimum parentem sibi obuium pleno charitatis affectu prosecutus est. Caueat tamen, ne à seipso laudem sumat, vt gallinam imitari videatur, quæ vbi ouum emisit,clamat, donec raptori significet ouum:quod statim adimitur: ita fidem adimit,si cōcionator à propriis laudibus exordium sumat: sed seipsum perpendat. quæ consideratio frænum erit, ne se tantùm laudet, & in aliorum reprehensionem præceps ruat.

Ab

Ab Auditoribus.

IN primis lætandum mihi video : partim quia vos ad audiendum tam auidos contemplor, & quo me omnes prosequimini fauore, atque hilaritatis aspectu longè redditus alacrior : partim, quòd talis oblata sit mihi dicendi materies, in qua etiam parum erudito haud deesse possit oratio : sed quia video vos finem expectare, ad reliqua sermonem conuertam.

De Narratione.

NArratio est expositio rei factæ, quæ tres conditiones habere debet : vt sit breuis, dilucida, & probabilis. Breuis, quia non debet narratio exordiri à principio remoto, sed à propinquo : tunc erit breuis, si nihil extra rem dixeris, & omnia superuacanea recidas, neque omnia ad extremum fueris persecutus : quia nihil tam manifestam facit veritatem, vt breuis, & pura narratio : & quod primò gestum est, sit primò expositum, non vltimo loco relatum : nec verba effundamus, vbi breuibus perstringi potest, ne inutili nugatione eadem repetamus : pulchrum siquidem est abiectis nugis sapere : vnde Neoptolemus Ennianus docebat paucis esse philosophandum ; breuitas itaque in narratione non est omittenda propter auditorum memoriam. Clara & aperta esse debet, vt quo tempore, quo loco, quo instrumento, qua denique causa factum aliquid sit, explicetur ; esset enim nimis arida narratio, si temporum, locorum, aliarum denique circunstantiarum nullam haberemus rationem : erit tunc lucida, si omnia suo ordine narrentur ; quia mens humana alta refugit, & obscuritatem & difficultatem declinat : vnde obscura narratio totam obcæcat orationem ; clara ergo & familiaris erit : vt si dixeris, non possum non mirari de te, est ne hoc possibile : familiaris & dilucida est narratio, quam habes in dialogo Lucæ & Cleophæ. Probabilis quoque erit, si ea, quæ concionator adducit, probat, vel ratione, si oportet, vel aliqua auctoritate. Fit copiosa narratio, si eam circunstantiis amplifices : quæ hoc versiculo comprehenduntur.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Fit autem tribus modis narratio, primum, vt cum res gesta nar-

sta narratur. Exemplum, cùm rex Dauid vidisset Bersabee Vriæ, exarsit statim amore illius: verùm cùm id assequi tentaret, homicidium, & proditionem in virum eius commisit. Secundus modus est, cùm aliquid fingimus hoc modo: interrogate vos diuites, vos ipsi iudicet estote, si fortè beatitudo vestra in diuitiis consistit? & vbicunque occurrat, dicendum est: animaduertite quæso, vel dicam vobis inauditum crimen. Tertius modus est, cùm admonemus populum exemplis: vt si velis extollere corporis exercitationem, hoc modo persuadere poteris. Quidam agricola ægrotans, & finem vitæ instare cernens, filios ad se vocauit, vt illos ad rustica opera exhortaretur, dixítque; filij mei, ego iam è vita migro, vos autem, quæ in vinea defodi, quærite, & omnia inuenietis: illi existimantes se thesaurum inuenturos, post patris obitum omnem vineam penitus repastinarunt, nec thesaurum refordientes inuenerunt, sed vites circumfossæ vberrimos fructus dedere; ergo labor, & assiduus vsus est maximus thesaurus: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.

In Narratione epiphonemate vtimur.

EPiphonema, est rei narratæ, vel probatæ summa acclamatio: & est epiphonema, quod ex antedictis elicitur, quasi quoddam corollarium ad amplificandam aliquam virtutem, vel vitium: vt si dicamus. Erat Petrus innocentiæ norma, qui tamen impio Herodis præcepto ad patibulum ducitur: hic breuiter & succintè res gesta narratur: tunc inferas, ecce Petrus maluit mortem subire, quàm à Christi lege abscedere. Hoc corollarium ad certam materiam contractum, ad amplificandam, extollendamque B. Petri constantiam epiphonema dicitur.

De Confutatione.

CONfutatio est contrariorum locorum dissolutio, à verbo confutare, quod est refellere vel redarguere. Destruit confutatio loca contraria, hac maximè vtitur concionator ad extirpandas prauas hominum opiniones, quibus plerunque detinentur. Confutatione maximè vtitur Paulus Apostolus in epistola ad Rom. à capite 5. vsque ad septimum in negocio iustificationis: à cõfutatione autem abesse debet omnis forensis calliditas, & insidiosa

Paulus in epistol. ad Rom. c. 5. 6. & 7.

ostentatio: concio siquidem omnis vera esse debet, ac omni synceritate & simplicitate ornata, & ad popularem intelligentiam accommoda.

De Probatione.

NIhil est tam incredibile, quod non dicendo plurimis argumentis, & auctoritatibus fiat probabile; necesse est ergo in narratione probare. Nam omnis ratio dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa, vt probemus vera esse ea, quæ defendimus, vt conciliemus nobis eos qui audiunt, vt animos eorum ad quemcunque causa postulabit, motum vocemus. Probatio in narratione debet esse breuis & lucida, ne modum excedat; omnium enim mensura optima est, quam qui transilit, omnia etiam suauissima mutari sentit in pessima. *Antonius lib. 2. de orat. apud Cicer.*

De Confirmatione.

COnfirmatio est, per quam argumentando, aduersariorum confirmatio cum instantia vocis, & vultus diluitur, aut infirmatur. In confirmatione non potest dari certa regula; quia vitia passim emergentia, & auditorum constitutio sæpenumero postulant, vt noua forma vtaris. Vnde hoc perpetuò animo eius hærere debet: vt quicquid ad docendum & mouendum conducit, tanquàm maximè necessariam supellectilem sibi comparet.

De Amplificatione.

AMplificatio est, cum oratio in longum contexta procedit: atque ex re illa, de qua agit rationibus & argumentis vsque in finem ipsamet oratio protenditur, quæ aut iracundiam inducit, aut ad iracundiam pertrahit auditores: quando res magis dilatatur ad eos afficiendos, *ita vt à peccatis leuioribus, ad grauiora tendas*, magis extollendo vocem: in miseriis autem ita vocem deprimas, vt vix teipsum audias. In amplificatione verò, quæ conuenit maximè generi demonstratiuo, duplex affectus ostenditur, alter qui à Græcis dicitur πάθος, id est, affectus, ab aliis passio vel concitatus affectus: à Cicerone dicitur amplificatio, alter dicitur ἦθος, id est mos vel morum proprietas, vel affectus mitis, compositus & lenis, à Cicerone commiseratio, vel conquestio dicitur: sed multùm quidem interest inter amplificationem oratoris

Chri

Christiani, seculi; nam orator secularis parua extollit, & magna efficit minima, in quò vel maximè laborat, vt auditorum iudicium corrumpat: sed orator Ecclesiasticus, facit vt res cognoscatur esse tanti momenti, quanti est re ipsa: vt homines aberrantes ad verum iudicium reuocentur. Sic Christus apud Matthæum amplificat quædam peccata, nimirum contumeliam in proximum, concupiscentiam, peiurium: ita concionator adhibita amplificatione extenuare debet peccata, & traditiones humanas redarguere, atque in contemptum adducere.

Matth.13.

Rom.14.

Exemplum.

AGè, vitam præteritam adeò turpiter transegisti, vt nulla spes melioris sit insequentis: qua ergo ratione adduci possum, vt credam te mutare vitâ & mores, & præsentem vitam honestè transigere, qui præteritam turpissimè traduxisti? ad quam ergo bonam frugem peruenturus es, quem ad omnia flagitiorum genera rapuit assidua peccandi consuetudo?

De Epilogo.

POstrema pars orationis, quam latinè conclusionem, siue per orationem dicere possumus, est breuis antedictorum repetitio, qua repetuntur præcipua capita cum aliqua commotione: vnde sicut narratio, & confirmatio propriè ad docendos auditores spectant: ita exordium, & peroratio, ad perturbandos auditorum animos. Quamobrem Areopagitæ neque exordium, neque perorationem admittebant: necessaria tamen sunt. Nam in exordio affectus degustatur, in peroratione verò absoluitur: interdum etiam cum lachrymis ad populum, vel ad Crucifixum conuertimus sermonem: quod neque sæpe, neque longa oratione faciendum est; quia nihil citius arescit, quã lachryma. Rhetores tripartitum faciunt epilogum, constantem enumeratione, indignatione, & conquestione: enumeratione res dispersè, & diffusè dictę vnum in locum coguntur, & reminiscendi causa vnum sub aspectum subijciuntur: indignatio efficit, vt in rem grauis offensio concitetur, conquestio: auditorum misericordiam captat.

Cicero lib.1. de inuen.

Exem

Exemplum.
Conuersionis ad Crucifixum in epilogo.

PArce,Domine,parce populo tuo,& non des hæreditatem tuam in opprobrium : nónne vides, quot modis te offendunt?quot vsuras,quot adulteria committunt? sed tantam impietatem vincat quæso tua erga nos summa pietas.

Exemplum.
Conuersionis ad populum in epilogo.

COntaminatum habet fœda libidine pectus, qui intemperantia laborat, de quo plura mihi dicenda essent : verùm quia criminum vestrorum multitudo nobis obstat,& temporis angustia non patitur,prolixiori oratione vestram audiendi patientiam offendere, multitudine peccatorum deterriti vela complicemus.

De corporis habitu. *cap.* XXXI.

DIgnitas Ecclesiastici oratoris consistit in vultus, vocis, & habitus moderatione. Vnde nonnulli scripserunt regulas circa motus, & gestus corporis : ne concionatores sint immobiles vt statuæ, nec sint quasi histriones, magnis contentionibus se mouentes : non enim decet rapidè gestire, sed rarò & conuenienter (prout materia exigit) cum debita grauitate,non indiscretè, vel arroganter : sed grauis sit in vultu, in gestu, & voce,vt vultum habeat affabilem & iucundum.In gestu,ne caput ducat indubitè, vel in circuitu,ac si in cardine esset ianua,ne videatur capite potius,quàm lingua loqui: sed cuncta maturrimè agat, & sanctè ac moderatè exequatur, quia mimorum est (teste Cicerone) & ethologorum,si nimia est imitatio:est autem ethologus,qui gestu ipso corporis, & sono vocis ita exprimit mores hominum, vt gestibus loqui videatur : mimus verò, qui gesticulationes exercet. Monet quoque Quintilianus vitiosum esse attollere manum supra oculos, & infra pectus dimittere : neque manus complodere decet, quod potius ad scenam attinet, si

itaque

itaque aptè, & consentaneè fiant gestus manuum & oculorum ad explicanda ea, quæ mente concepimus, plurimùm valent. Ferunt Demosthenem oraturum, speculum magnum coram se habuisse, per quod vultus sui formam, & corporis motum cum rebus, quas tractabat, componeret. Hortensius quoque oraturus seipsum componebat in speculo. In principio concionis leui brachio vtendum erit, hinc inde manibus palpitando, accommodè tamen; quia brachium debitè proiectum, est telum oratoris, quo animæ feriuntur; ita tamen, vt semper actus sit grauis, & omnia sic probè fiant, & ex arte, vt dissimuletur: quia artificiosum est sic arte vti, vt id minimè facere videamur, vnde.

Horatius. *In vitium ducit fugæ culpa si caret arte.*

Quidam, dum in pulpito sunt, fastu quodam abstergunt faciem: alij, quibus longa est barba, sed mens curta, crines post aures reformant: alij nasi tergium plicatum deferunt ad chordam, vel cingulum, quo nares emungere valeant: nunc speculantur manus, nunc caput remittunt, nunc frontem rugant, nunc labia comprimunt, nunc supercilia obducunt, manus maxillis supponunt, labia detorquent, supino vultu (quod arrogantiæ est) oculos trans cœlum eleuant: alij capucium passim manibus attractantes, vel vno temporis momento minimè quiescere permittunt. Omitto alias vanitates, quæ à graui, & sancto loco remouendæ sunt. Quidam sunt, qui clamoribus tantùm pulpitum implent impertinentissimis gestibus, & palmarum percussionibus, vnde vehementibus corporis motibus nimis se affligunt, & audientium aures passim interturbant, qui statim, quales sint, ostendunt, sicut ab vngue cognoscitur leo. Nam (vt quidam ait) attende filum, & corporis habitum, si vis cognoscere virum. Tympanum pingue, & humidum non bene sonat: nec video, quonam modo mundi gloriam possit reddere ille contemptibilem, qui corporis habitu fastum prætendit, in cuius vestibus mundi gloria relucet. Narrant historiæ in Parisiensi vniuersitate insignem quendam theologum bene indutum fuisse, qui cum prædicaret, sed leuiter quidem verba imprimeret, quidam, qui se fatuum simulabat,

dixit

dixit: tace, quia nouum indumentum non permittit te audacter loqui. Quidam etiam sunt (quos neque probo) qui sordidarum vestium deformitate gloriantur, ac si verbi Dei proclamatio in sordibus consistat, quos egregiè redarguit Petrus Damianus, in quadam epistola. *Sunt nonnulli, qui vilium deformitate vestium fauorabilem vulgi mercantur applausum, vt ex industria videantur abiecti, & per efferentium populorum ora volitent gloriosi. Gaudent de se inquirentium discussionem fieri: gaudent velut mirandum aliquid digito monstrari, qui nimirum de sua deformitate compositi, de obscuritate cõspicui, de humilitate videri machinantur excelsi: versuta siquidem diabolica calliditatis astutia ad hoc deprimũtur, vt sublimes appareant: ad hoc deturpantur, vt oculis intuentium speciabiles innotescãt.* Hęc ille: vnde colligere vnusquisque potest, quãta in habitu, in voce, in gestibus, in modo habenda sit ratio modus enim est pulcherrima virtus, iuxtà illud Horatianũ. *Petrus Damianus.*

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra, citraque nequit consistere rectum. *Horatius, lib. 1. Ser.*

De motu quoque, & habitu corporis docet Cicero, vt nulla sit mollicia ceruicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens: sub virili laterum flexione, brachij proiectione, in contentionibus: contractione, in remissis: vt actio cum rerum & verborum momentis commutanda maximè sit: in vultu præsertim magna debet esse moderatio oculorum, quibus intentionem, remissionem, coniectum, & animorum motus significamus: actionis itaque tanta vis est, vt huic primas, secundas & tertias Demosthenes dederit, multa consultò præ-eriens de modo. Illud moneo, in omni actu, in verbis, in factis, in omni denique re medium (quo ad fieri potest) seruandum esse. Multi quidem sciunt sagittas iacere, sed pauci scopum ferire: plurimi circunducta manu seu digito circulum designare, sed perpauci admodum centrum hoc, à quo ad circunferentiam ducuntur lineæ, inueniunt: sic multi loqui sciunt, sed quantum, & quibus, & quomodo, qua arte, quo habitu, quo stylo, non plenè norunt. vt igitur hanc partem concludamus, vitanda erit tibi omnis actio importuna, & affectata, ne fortè ineptias incurras, & portentum quoddam videaris: sed *Cic. in ora. ad Brut.*

in omnibus seruandus est modus, qui est pulcherrima virtus.

De voce. *Cap. XXXII.*

CVm vocis genera permulta sint, nempe canorum, fuscum, lene, asperum, graue, acutum, flexibile, durum hominum auribus duntaxat iudicari possunt. nam vox (vt B. Augustin. ait) *nullo alio sensu, quàm auditu percipi potest.* vocis enim mutationes (vt Cicero ait) totidem sunt, quot animorum, qui maximè voce commouentur, Magnificandum est itaque aurium iudicium, quibus consulendum est, ne eodem semper sono feriantur auditorum mentes: vel canere potius, quàm ad populum dicere videaris: sicut de Graccho legitur, qui apud populum concionaturus, seruum post se musicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fistula pronunciationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto concitatos reuocando. Varietas si quidem vocis auditorem maximè delectat: sicut diuersæ interlocutiones in comœdiis. vocis varietas tria præcipuè confert primò gratiam præbet: deinde renouat aures auditorum: ac demum dicentem ipsa vocis mutatione reficit. Vox non debet esse dura immanis vel rigida: Sicut illa Stentoris vocalissimi, qui in Troiano exercitu quinquaginta alios, (si Homero credimus) sermone suo æquabat sonóque. Piscenninus Niger apud Romanos adeò vocalis fuit, vt cùm in aperto verba faceret, ad mille passus vox eius audiretur. Quare vox debet esse alta (vt Rabanus ait) non tamen nimis protensa; quia tunc periclitatur, ac insuauem quandam raucedinem contrahit: neque nimis remissa, sed medio sono, vt sufficiat, quamuis vox non sit in nobis: tractatio tamen atque vsus confert plurimùm. Clara esse debet, vt aures impleat: suauis, vt auditorum aures suauiter demulceat, & vtrumque omnino à natura petendum est: quamuis alterum augere possit exercitatio, alterum verò imitatio presse loquentium & leniter: aures si quidem suauem vocem, & consonam exposcunt, & dissonantias abhorrent. vnde commutationes & alterationes sunt necessariæ, quia (teste Cicer.) ad vocem in dicendo obtinendam nihil est vtilius, quàm

B. Augu. ad D. Hieroni.

Stentor.

Piscennius Niger.

Cicero lib. 3. de ora.

quàm crebra mutatio: nihil perniciosius, quàm effusa sine intermissione contentio. Ægiptij vocem remotam & austeram describentes, tonitruum pingebant, quo neque grauius quicquam sonat, neque vehementius. Vox austera potius à concione repellit, & auditorum aures ferit: sicut in organis canales graciliores acutioris sunt vocis: nonnunquam tamen vocis acrimonia vtendum est, ne sanguescat oratio. Quidam à principio tremula voce loquuntur, quorum timidum initium finis vehemens exornat. Quidam verò nimio timore perterriti, promissorum minimè recordantur, quia vt quidam ait.

Qui leuiter spondet, non multum soluere curat. In narratione vox debet esse grauis, in diuisione: corpus debet esse quietum: in definitione, vox clara, corpus quietum, & graue. In confutatione, vtimur acrimonia vocis in affectu: commiserationis, vtimur verbis blandis, vt si (gratia verbi) dixerimus. Materia hæc, auditores, de qua dicturi sumus, diuiditur in tres principales articulos: vaga sanè hæc diuisio erit, si tamen fiat voce graui, manu dextra, & per digitorum articulos: quamuis interdum inducat periculum, cùm hominum memoria sit labilis, & parùm fidelis Definitio autem fiat voce clara, corpore quieto & graui, vt si dixeris. Dicis te esse hominem, & vis vt brutum viuere. In confutatione vtendum est acrimonia vocis, hoc modo. valeat fortitudo, quam *profiteris*: quando deberes pugnare, hen arma deponis! vocat te Deus, tu obaudis! pulsat, & tu obmutescis! vult, vt conuertaris, & viuas, & tu pro morte laboras? circa littus tibi nauigandum esset, & tu velum tendere vis in altum? ita in deprimenda materia contrahat se prædicator voce quadam acuta & graui, & facie torua. In exhortationibus, vtimur verbis penetrantibus, & voce cordiali. In disuasionibus, elatè, grauiter, & amplè vocem extollimus, & ad compungendam corda emittimus vocem interruptam, vel querulam aut gemebundam; quia vox est voluptatis, & doloris index, & signum cordis. In promissionibus attendendum est, vt verba, & gestus verborũ bene sentiantur, vt videamur statim illis condonare, quæ pollicemur. Mutanda est itaque vox pro loco, & tempore; quia varietas hæc rerum omnium suauissima

est. Cauendæ sunt immoderatæ vociferationes, quæ frigidam nimis efficiunt orationem: quemadmodum nonnullis accidere solet, qui nihil aliud attendunt, nisi vocem magnificare: quibus lepidè illud possemus obiicere, quod lupus philomelæ. Tu tota vox, & nihil præterea: nam copia verborum est, & vocis iactantia, vbi non est copia sensus: non ergo sufficit exaltare vocem, nisi manum leuemus, ita vt mens, vox, manúsque (vt paulò ante memoraui) concordent intentione, voce, sermone, actione: Sicut enim canales gutturis, & pulmonis folliculi instrumenta sunt vocis, qui si lenes & temperati fuerint, dulcem & temperatam, & æqualem reddunt vocem: Si verò plus iusto lati. vel stricti, vel distorti fuerint, tunc grauem vel exilem vocem faciunt, vel inæqualem, vel dissonam: ita inuocandus est Spiritus sanctus (sine cuius ope omnis nostra industria periret) vt voci tuæ det vocem virtutis suæ, vt sit vox Domini in magnificentia.

De Auditoribus. *Cap.* XXXIII.

DVo sunt, quæ in hac vita mortales expetunt, atque maximè sequuntur: voluptas, quæ cum delectatione demulcet: & vtilitas, quæ iusti, & æqui mater est, & vtrumque in verbi Dei prædicatione consistit; voluptate siquidem capiendi sunt auditores, sicut pueri blanditiis alliciuntur, ne principio statim alienentur animi: vtilitate etiam pertrahendi sunt: vnde nihil est Christiano animo ad benè beatéque viuendum tam salutare, quàm Dei verbum frequenter audire. Nam auditus, qui in homine (ex philosophi sententia) est via ad disciplinam, teste D. Bernardo) ad meritum facit, visus autem ad præmium spectat. Quia auditu, & non visu peruenitur ad notitiam veritatis. Sicut ergo conualescentes indigent frequenti restauratione: ita qui peccati morbo laborant, assidua & grata hortatione indigent, vt conualescant, audiant, credant, & (quod magnæ præstantiæ argumentum est) in ipsa fide, & bonis operibus perseuerent. Verùm cùm ea, quæ à prædicatore Euangelico proponuntur, modò facilia, modò verò difficilia sint, æquũ est, vt auditores, ad quos omnis dicendi ratio

Aristo. de sensu, & sensili.
D. Bernardus super Cant. ser. 23.

est

est conferenda, citra vllam fastidij significationem grato, & libenti animo vniuersa excipiant (audiendi enim magis, quàm loquendi studiosos esse oportet) si tamen apta fuerit cordis dispositio. Frustra enim spargitur semen, si terra non fuerit præparata; quia actus actiuorum (vt docet philosophus) fiunt in patiente bene dispositio: & diuinus Plato testatur formas dari simpliciter secundùm merecdem, & dispositionem materiæ: sicut quoque forma perficiens requirit subiectum perfectibile. Causa delectationis in audiendo harmoniam (docet Boëtius) est similitudo proportionum, ex quibus sensus, & corpus, quasi componitur; ita eloquentia coalescere nequit, nisi sociata tradentis, accipientisque concordia fuerit. Hæc, quæ modò dico, Quintilianus in præceptis eloquentiæ tradit. Quod cum ita sit, quid vtilitatis, vel commodi ad morum institutionem sperari potest ab auditoribus, vbi est discursus mentis, & oculorum peruagatio? animalia carentia auditu, vt apes (si Aristoteli creditur) indisciplinabilia sunt, & eadem potentia in diuersa obiecta ferri nõ potest: oculus nimiùm à sole remotus, eius lumine & influxu priuatur. Verùm quatuor sunt auditorum genera: alij libenter audiunt, quod delectat, & quod nollent, studiosè refugiunt: hi sanè habent pruritum in auribus dulci sono delinitis. Sicut enim quodã pruritu libidinis in carne, corrumpitur integritas castitatis, ita sanè voluptatem aliquam parit aurium pruritus & fricatio eorum, qui verba potius dulcia, quàm austera, & pressa audire percupiunt: vnde fit, vt in errores prolabantur, quibus Dominus in Isaia grauiter comminatur. *Populus enim ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, qui dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere, nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia: videte nobis errores, auferte à me viam, declinate à me semitam, cessat à facie nostra sanctus Israël.* Vnde commonefaciendi sunt auditores, vt iuxtà Ecclesiastis præceptum, aures suas spinis sepiant, ne verbum nequam audiant: immo potius aspera; quia nulla remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ sunt salutaria. Auris bona est (vt D. Bernardus ait) quæ libenter audit vtilia, pruden-

Arist. 2. de Anima.

Plato in Thimæo D. Bonauent. in proœmio 1. sentent.

Boëtius 1. Musicæ.

Quintil. præcepta.

Isa 30.

Eccl. 28.

ter discernit,& obedienter operatur intellecta.habet auris cartilaginem quandam neruosam & flexuosam, ne facilè sonus elabatur, aut aliquid noxij ad cerebrum transmittatur : veluti sepes, quæ obiecta introitum prohibet in agrum,aut hortum:nam, *vbi non est sepes* (ait Sapiens) *diripietur possessio.* Alij sunt, qui libenter quidem audiunt, sed nihil in intima cordis aure retinent, nimirum si nunquam ad bonam frugem perueniunt ; quia ea, quæ audimus animo nostro,ita fixa esse debent & recondita, sicut preciosa aromata seruari solent,quibus postea ad nostrã, & aliorum salutem opportunè vtimur:ita docet B. Augustinus. *Sic debet auditor in cor mittere, vt non piger sit postea cogitare, vt quando audit, sit similis manducanti : cum autem audita in memoriam reuocat, cogitatione dulcissima recolat, vt fiat similis ruminanti.* B. Virgo conseruabat omnia verba, conferens in corde suo, & S. Dauid. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Nam in penu cordis sui eorum memoriam indelebilem conseruabat, quasi thesaurum preciosum : vt sic à peccatis caueret, & diuinam offensam deuitaret. Non enim permittitur peccare, qui tanto cum studio diuinorum eloquiorum semper meminerit. Alij sunt,qui attentè audiunt:sed, cum eorum peccata denudantur,autes submittunt,vt lupus,ne audiat clamorem canum,& venatorum, vnde se in fugam conuertit. Isti similes sunt cribro, quod crebris pertusum foraminibus in aqua positum impletur, sed extractum, nil penitus retinet. *Cor fatui, quasi vas confractum omnem sapientiam non tenebit.* vnde cribro aquam haurire, vel gerere prouerbium in eos est,qui operam perdunt. Cibus si statim euomitur,non prodest corpori. Milites ad nundinas vadunt non mercandi, sed loquendi gratia : ita isti non quidem ad sacras conciones proficiscuntur, vt proficiant,sed vt obloquantur, & ganniant : de quibus in Ezechiele ait Dominus. *Audiunt sermones meos, & non faciunt eos.* Sunt denique alij,qui oscitantes minus audiunt, nec exteriorem aurem præceptis Dominicis præbent, ac si nullam aliam vitam præter hanc, quam vident, expectarent ; vnde est, quòd semper duriores euadunt, & vltricem manum cùm suo, & aliorum animæ detrimento

Eccl.36.

B. Aug. super tituli Psal.46.

Eccl.21.

Ezech.33.

expe

experiuntur. Hæc auditorum diuersitas non aliunde prouenit, quàm à diuersa eorum dispositione. Lutum ignis præsentia obdurescit & cera liquescit. Re ipsa experimur, plumbum, lignum, hominem, & serpentem ignis calorem in seipsis recipere, sed non eadẽ ratione; plumbum enim, dum ignis calorem recipit, liquescit: sed igne subtracto, durum euadit: lignum nedum calefit, sed comburitur, & propemodum in ignis naturam transit, sed tandem in carbones conuertitur. Serpens quoque ignis calorem recipit, sed illud in malum virus conuertit: vnde multiplici lapsu, & erratico incedens, horrenda sibila emittit, atque vaporibus suis virulentis hominem inficit, & occidit. Homo denique contracto in se ignis calore fouetur: In hunc quoque modum sunt auditores, alij, dum audiunt, compunguntur: sed statim obliti, euanescunt, & more plumbi duriores euadunt: alij sunt, qui nedum interius tinnitu aurium permouẽtur: sed vt lignum penè in ignem conuersi, quasi ignis scintillare videntur: alij vt serpentes omnia in virus conuertunt, sicut hæretici, quorum mos semper fuit veritati Catholicæ contradicere; quia (vt sacer Hieronymus ait) non æquè amici audiunt, & inimici: & boni auditores (teste magno Gregorio) verba non impugnant audita, sed credunt. Isti similes sunt filiis viperæ: nam, *cum tempus pariendi venerit, filij non expectantes naturæ operationem, matris latera rodunt*, & cum matris interitu exeunt: ita hæretici *in* vtero matris Ecclesiæ geniti, non expectantes, nec sustinentes eius correctionem, vnitatem scindunt, & fideles animos (quoad eius fieri potest) *ad* interitum perducunt. Boni denique verba recipiunt, & eorum spiritu, & vita fouentur, & nutriuntur, atque diuina mandata cum deuotione, subiectione, & discretione suscipiunt. Qui enim libenter audiunt, & magis attendunt, facilius credunt; quia audire (ait D. Chrys.) non solùm debemus, sed imitari.

D. Hieron.
D. Gregor.
Quintil. lib. 5.
D. Chrysost. in Epist. ad Heb. Hom. 6.

De modo studendi. cap. XXXIIII.

ADmonendi sunt primò iuuenes, vt scientiã recta intentione, & ordine percipiant: quia modus studendi

in hoc præcipuè consistit, vt scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat. quo ordine, vt quod auditorum saluti magis expedit, proponatur. in quo genere necessaria sunt præcepta quædam communia, quibus variè, latéque diffusa ad certa quædam capita concio reducatur; nihil enim ad memoriam iuuandam commodius, vel ad res explicandas efficacius excogitari potest: nam quæ confusè docentur, nec exactè intelligi, nec diu memoria teneri possunt. Sicut quæ ordinatè dicuntur, firmius hærent: & paulatim quasi in naturam abire solent. Vnde id vnicè studuerunt semper doctissimi quique viri, vt, quæ dicuntur, methodica ratione explicentur. quo studio, vt id ardentius proponatur, quod vehementius auditores excitare potest. quo fine, vt non ad inanem gloriam, vel curiositatem: sed sui & proximi vtilitatem, & commodum: nulla enim in rebus humanis iucundior, aut vtilior occupatio est, quàm diuinis vacare studiis: quia omnia mundi dulcia: his collata exercitiis, amarescunt. Sunt qui scire volunt eo fine tantùm, vt sciant: & hæc turpis curiositas: sunt qui scire volunt, vt videantur, & turpis est vanitas: de quibus rectè admodum magnus ille gentium doctor D. Paulus conqueritur.

D. Bern. super Cantica Hom. 35.

2. Tim. 3.

Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. & Satyricus.

Satyricus.

Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.

Sunt qui scire volunt, vt scientiam vendant, & turpis est quæstus. Sunt qui scire volunt, vt ædificent, & est prudentia: sicut enim cibus indigestus, qui non habet bonam decoctionẽ, malos gignit humores, & corpus corrumpit: ita scientia indigesta stomacho animæ (qui est memoria) si nõ sit igne charitatis decocta, per actus animæ in memoriam transfusa, magis corrumpit vitam hominis, quàm nutriat. Tria autem nocent legentium studiis, negligentia, quãdo ea, quæ sunt discenda, oscitanter prætermittuntur: quia frustra paratur supellex, si vti nescias, aut si abuti decreueris. imprudentia quando ordo congruus, & modus in discendo minimè seruatur: fortuna, quando paupertate, vel infirmitate, aut doctorum priuatione quis à proposito retardatur. B. Augustinus docet modum studendi sacræ

B. Aug. li. 2. de doct. christ. cap. 7.

Psalm.

scripturæ

scripturæ in hoc potissimùm situm esse, vt rebellem intellectum humilitatis iugo submittas: aufugit enim repente à superbo intellectu verus, & germanus sacræ scripturæ sensus, nec diu secũ manere patitur. Hæc subiectio tribus potissimùm constat, attentione, benevolentia, & docilitate, vt sit docilis ingenio, attentus exercitio, benevolus animo, intentus ad audiendum, docilis ad intelligendum, benevolus ad retinendũ. Quidam sapiens (referente Hugone) interrogatus de modo discendi, quæ essent necessaria, respondit, studium quærendi, vita quieta, scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena, mens humilis: studium quærendi, ne discere erubescas, nec aliquem contemnas librum: quies mentis, quæ grata est: paupertas, superflua abiiciendo: mens humilis, quò enim quis humilior, eò magis idonens efficitur ad percipienda diuina arcana. *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam mandata tua.* ait Psaltes. & Paulus Apostolus prius fuit à Christo in terram deiectus, & prostratus, antequam prædicationis officium assumeret, vt hoc exemplo instrueretur, se à suarũ virium confidentia denudare, ac se totum ad Deum humiliter conuertere, nec propriæ sententiæ crinibus (quod arrogantiæ est) adhærere: quia spiritus diuinus minimè habitare consueuit, nisi in his, qui à sui extimatione vacui reperiuntur. Qui ergo cupit in hanc concionandi syluam ingredi, à suo proprio iudicio & sententia penitus sit denudatus, diuinæ se voluntati subiiciens. Daniel sublimen visionem videns per plurimos dies elanguit. Narrat Cassianus de Abbate Theodoro: qui, cum explanationem obscuræ quæstionis inquireret, septem diebus & noctibus in oratione infatigabilis persistebat, donec solutionem eius (Domino reuelante) cogitauisset: ita, qui vult rectè intelligere, purgare debet oculos: vt sublato velamine contemplari possit. Insuper attendat, ne in exponendo aliquam auctoritatem extorqueat, ne sit excessiuus, vel aliorsum deducat, vt est communis hæreticorum abusus. Intellectus enim non pendet à priuata interpretatione vniuscuiusque, cùm dicat Apostolorum princeps. *Hoc primùm scitote intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit:* sed à Deo pendet, qui est dux, princeps, & moderator lu-

Hugo parte 2. Didascolicon.

Ioan. Cass. de Abbate Theodoro.

num. In interpretatione verò necessaria est linguarum eruditio; quia interdum aliqua vox à peregrina lingua nobis impropriè reddita, confusionem parit; nonnunquam enim interpretes dormitant, nec semper habent in promptu vim vocis græcæ, vel hebreæ: sicut quidam exponentes hanc vocem Diabolum, volunt deduci à Δὶς id est duo, & bobus; quia Diabolus vult duos bolos, carnem, & animam, quæ duobus bolis deuorat, cùm tamen Διάβολος calumniator dicatur, & Διαβολὴ calumnia: vnde apud Plautum diabolus adolescens hoc nomine appellatus est. In parabola quoque vbi CHRISTVS declarat, qui sit proximus, habes. suscipiens, aliqui interpretantur, id est sursum aspiciens, cùm tamen græca dictio habeat Ὑπολαβὼν; id est suscipiens, vel respondens: quod est eleganter, fidelitérque translatum, vt suspicere sit respondere, admirari, maximísque laudibus efferre. Quare debet concionator multos libros euoluere, alioqui errare contingit. Illud dicere ausim, concionatorem sine scientia & linguarum eruditione, tanquam caput sine cerebro dici posse; quia in dubiis sacræ scripturæ sententiis, patres refugium ad linguarum proprietates semper habuerunt; ideò, cum ingenij facultas, & vena perexigua sit, & parùm fidelis, nisi frequenti meditatione, & Catholicorum studiis, & ope adiuuetur, exiguum sanè lumen præferet. Nihil est itaque, quod magis intellectum à vero & germano sensu, in tenebras cimmerias pernicioſissimorum errorum deducat, quàm nimia sui ipsius blanda quædam, & insulsa confidentia. Hos ego similes esse existimo puero illi barbaro, qui cum Athenis tres literas didicisset. α. β. γ. reuersus in patriam, magno popularium fauore exceptus, contra Prætorem quendam, qui græcè concionabatur positus est: ille, postquam Prætor orationem suam finiuit (vt erat magnæ vocis) exclamare cœpit α. β. γ. quo clamore tertius Prætor tacuit; quare non satis sibi constat, qui sine studio, vel duce aliquo grauissimam hanc prouinciam aggredi tentat. Opus est itaque multùm temporis in literarum studiis impendere, diu disputare, commentari, concionari, quisquis doctrinæ verum nomen sibi vendicare velit: nec sat est à primis annis præ-

stare

ſtare ingenio, niſi aſſidua ſit exercitatio; quia videmus lactucas, quæ citò, aut nimium ſeminis producunt, citò creſcere & mori. Interrogatus Ariſtoteles, vbi nam Muſæ habitarent, reſpondit, non in Parnaſo, neque Athenis, ſed in laborum ſtudioſis animis; quia inuia virtuti nulla eſt via: & immortalitas non oſtentatione, ſed labore paratur. Moneo itaque iuuenes meos (vt huic capiti finem imponam) vt iſtas obſeruationes tanquam elementarias accipiant: quibus egregiè proficient, ſi in bonarum literarum ſtudiis ſe vehementer occupauerint, & maxima cum voluptate & alacritate, optimo fine, & ordine illis animum adiunxerint.

De ſtudio ſacræ Theologiæ.

Cap. XXXV.

SAcra Theologia, vt omnibus conſtat, eſt fons vberrimus, ex quo dulces præceptiones de vita piè, iuſtéque inſtituenda hauriri poſſunt. Quicquid enim homo extra hanc diſciplinam docet (vt B. Aug. ſententia vtar) ſi noxium eſt, ibi damnabitur: ſi vtile eſt, ibi inuenitur. Nam ibi naturalis philoſophia comprehenditur: quia cauſæ naturarum omnium in Deo ſunt: ibi ethica, quia non aliunde bona vita formatur, niſi Deum diligendo: ibi logica; quia lumen animæ non niſi Deus: ibi ſalus reipublicæ; quia ciuitas non cuſtoditur, niſi vinculo fidei: idcirco ſine ſacræ Theologiæ ſtudio cætera ſtudia vana ſunt, atque pernicioſa: quippe quæ per ambages, & moleſta ſpineta veritatem grauiſſimis laboribus inquirunt. At ſacra Theologia, nobis aptiſſimè ſummum bonum oſtendit: quare rerum diuinarum, pietatiſq; ſtudium ad conſequendam animæ ſalutem longè magis neceſſarium eſt, quàm reliqua ſtudia; hoc enim Dei optimi maximi voluntatem mortalibus patefacit: & proinde tanto interuallo anteponendum eſt vnicuique alij ſtudiorum generi, quantò anima corpori, cæteriſque rebus præſtat. Hinc colligitur ſingularis mortalium abuſus, qui incautæ iuuentuti, ſub ſpecioſo eloquétiæ pallio, aniles fabulas, & vana philoſophorum deliramenta, in quibus iuuenes conſeneſcunt, proponunt.

B. Aug. lib. 2. de doct. chriſtiana in fine.

nunt. Theologiæ verò tam altum est silentiũ, vt eius (nec sine fidei nostræ detrimento) vel minima ratio habeatur: cum tamen ad eam acquirendã danda esset diligens opera; quia pietatis & Christianę nostrę religionis fundamenta ex fontibus theologorũ potius quàm ex riuulis ethnicorum, vel ex verborum lenociniis comparanda sunt. Taceo quia (heu) sunt multi etiam insignes, & præstantissimi theologi, qui vix integra Biblia perlegerint. Non damno propterea artes liberales, quæ animam ipsam disponunt ad vsus, & actiones virtutum moralium, & intellectualium, vel ad vsum perfectissimæ virtutis, quæ est moralis fœlicitas. Omnia enim, non modò, quæ scripta, sed etiam quæ facta sunt, ad vtilitatẽ hominis (licet eis abutatur interdum) instituta creduntur: sed profectò assiduè exercere se in eis nonnunquam nocere potest: quia continua consideratio rerum philosophicarum plurimùm à Christianis institutis retrahit: quæ enim societas Christo, cum Belial? Intra terminos nostros philosophari oportet. ait Nazianzenus: nec licet cantare canticum Dominĩ in terra aliena. Nec eos propterea probo, qui eruditius sortiti ingenium, artes (quas primordiales vocant, vt quæ circa prima literarum elementa versantur) calumniantur, lacerant, atque de eis triumphant: quia sicut in corpore humano cerebrum, & cor, prima membra sunt, à quibus vniuersum hoc corrigitur: tamen nisi essent & dentes, & lingua, & pedes, & manus, & digiti, corpus ipsum non satis suum officium faceret, aut diu stare posset: in hunc quidem modum intellectus humanus istarum rerum cognitione perficitur, & quasi per gradus quosdam à creaturis ad Creatoris potentiam deducitur, ibique summa fœlicitate potitur. Omnes itaque bonæ artes laudandæ sunt, omnes amplectendæ, omnes denique honorandæ: ea tamen ratione, vt vni Theologiæ scientiarum omnium præstantissimæ (ad cuius normam omnis scientia collimanda est) subdantur, atque ei famulentur: in qua sola est fructus omnium scientiarum, vt in omnibus ædificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes, quæ sunt in vnione sponsi & sponsæ. Sunt enim indiuiduæ comites, eruditio, & piæ actiones:

Vide D. Bonauent. in libello de reductione artium ad theologiã.

vnde

vnde in scientiæ huius diuinæ sacrum vestibulum nullus immundus, & illotus irrumpere debet: cum mundandæ conscientiæ potius, quàm eloquētiæ studendum sit: quia si non eris Cicero, vel Demosthenes, sufficit, vt non sis penitus infans, & elinguis: si nō habebis tot millia auditorum, vt de Theophrasto legitur, sat est, vt non careas auditoribus. Sed (vt vno verbo dicā) quicquid boni, quicquid honesti animus hominis discendi cupidus optare potest, in hac facilè inueniet. Verùm, qua ætate summum hoc studiū aggredi debeas, non est mihi tutum consilium: hoc solùm dicam, siue à teneris, siue in ephœbis incipias, semper id opportunè feceris (nunquam enim intempestiuè fit, quod salubriter fit) Commendat D. Paulus suum Timothæum, quod à pueritia sacras nouisset literas: nec ab ætate vel ingenio, sed maximè Spiritu sancto (sine cuius ope & præsidio inanis est labor omnis, & industria) petendum est consilium, quo afflati præcipuè debent hi, qui sacra & diuina mysteria rimari, atque aliis declarare præsumunt: & hæc de sacræ Theologiæ studio succinctè admonuisse liceat.

De libris in quorum lectione potissimùm versari debet concionator.
Cap. XXXVI.

CVm, ex B. Augustini præclara sententia, concionator dicatur sacrarum scripturarum negociator, libros habere debet: quia sicut mercator humanorum mercium dies noctésque libris, in quibus negociationis ratio perscribitur, maximè intendit, & insudat: ita pariter ea debet esse concionatoris diligentia in sacris libris euoluendis, vt omni tempore semper inuigilet, & insideat, & ea, quæ legerit, memoriæ demandet: nec satis est, multa tumultuariò, & perfunctoriè legere, nisi & discendi modus adsit, & dēlectatio. Legitur de Dionysio Alexandrino Episcopo, qui mirabiliter audiuit vocem è cœlo dicētem: lege omnia, quæ in manus tuas peruenerint: quia & probare singula, & discernere poteris. Sæpe enim demiratus sum homines definitæ alicuius profani auctoris sententiæ

B. Aug. lib. 4. de doct. christiana. cap. 4. & 5.

tiæ ita addictos esse, vt in verba, & sententiam illius pertinaciter iurauerint, atque animum (vtpotè liberum) quasi compedibus, & catenis quibusdam vinctum detineant; cùm dicat B. Apostolo. Omnia probate, quod bonum est tenete; decet siquidem profanorum libros euoluere; quia (auctore Plinio) nullus liber est tam malus, qui aliqua in parte prodesse non queat. In primis autem Platonis, Aristotelis, & Ciceronis scripta non semel, nec oscitanter: sed vehementi attentione euoluere, atque percurrere licet: si tamen eorum dicta ad nostrum vsum, nostræque religionis ornamentum conuertamus, ac si pretiosa Ægyptiorum vasa ad ornatum tabernaculi Domini conferamus. Sed aliqui legunt libros, vt negligant: alij, vt teneãt: alij denique, vt intelligant, qui optimè faciunt. Percurrendi enim sunt libri, vt imprimatur nobis eorum doctrina. & dubia, atque difficiles quæstiones emergentes aliis fundiùs vsque dissoluere possimus. Inter sacros auctores hi sunt, qui eloquentia pollent, Ioannes Chrysostomus, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Magnus Basilius, Petrus Chrysologus, Simon de Cassia. Qui excellunt in morali discursu, sunt B. Gregorius (cognomento magnus) D. Bernardus, & Leo Papa, qui etiã inter eloquentissimos quosque computari possunt. Verùm inter cæteros est D. Chrysostomus, cuius doctrinam in cœlum tollerem, nisi viderer aliorum doctorum lectiones (quod absit) deprimere, vel potius contemnere. Cupio tamen iuuenes meos tanti doctoris clarissima monumenta diurna, & nocturna manu voluere, nec à salutari eius institutione vnquam deflectere. Ego, cum Bononiæ sub Ioannis Antonij Delphini ferula ephœbus studerem an. Domini 1558. percunctatus fui grauissimum quendam theologum, quem librum præcipuè præ manibus habiturus essem, vt eius doctrinam imbibere, & phrasim retinerem (quia modò hunc, modò illum euoluere ingenio parum erudito noxium est potius: sicut stomachi fastidientis est multa degustare cibaria, quæ magis coinquinant, quã alant) respondit mihi (& quidem eruditè ac scitè) D. Chrysostomum esse panem concionatorum. Et sanè ita est; quia sermo eius nutrit, atque eius lectio ita oblectat, & auditorum auribus tam accommoda est,

Scite & eleganter docet hoc B. Aug. in lib. 2. de doctr. Christia. c. 40.

tótque

tóque modis in prauos & dissolutos hominum mores inuehitur, vt vix quicquam vel grauius, aut vehementius excogitari possit: quamobrem illustrem denominationem adeptus est, eiúsque verba mirandum in modum placent. Cui enim non placerent verba, quæ (dum leguntur) non animum tantum, sed cor ipsum attingunt, & delinire videntur? nemo est vir præstanti ingenio insignitus, qui eius scripta summa cum voluptate non legat: nam genus omne eloquentiæ, inuentiones, narrationes, exordia, insinuationes, argumentationes à Græcorum fontibus emanarunt. Quod pulchrè & eleganter describit Horatius, cùm ait. *Horati.*

Graïjs ingenium, Graïjs dedit ore rotundo.
Musa loqui.

Primi theologizantes fuerunt Græci, Musæus nempe, Orphæus, Dionysius Areopagita, Ioannes Climacus, & alij receptissimi, à quibus Theologia illustrata est: hi ante oculos pro exẽplaribus habẽdi sunt. Libros Origenis cautè & sapienter legere debemus, vt notat Cassiodorus, ne pariter venenũ perfidiæ sorbeamus. B. martyr Cyprianus Tertulliani scripta (in quibus tamen taxantur nonnulli errores) in tanto pretio habebat, vt nullum sine eorum lectione diem præteritet, & magistrum (honoris gratia) eum appellaret. Gregorius, cognomento magnus, in morali discursu magnopere alios excellit: vt qui diuina potius, quam humana loquitur, eo enim dictante, in eius aurem columbam descendisse ferunt: quo argumento probant (referente Paulo Diacono) eum inuisibili, & visibili Spiritus sancti illustratione edoctum scripsisse. Huius studium est in suis scriptis homines ad odium, & detestationem vitiorum accendere: quamuis Diuus Chrysostomus, (vt superius dictum est) in humanis affectibus mouendis, & amplificandis neminem habeat secundum. Huic proximè accedit D. Bernardus, cuius scripta potius centones diuinorum voluminum dici possunt: sic enim ab infantia sacras literas imbibit, & memoriter retinuit, vt quicquid vel loqui, vel scribere tentaret, in verba sanctarum scripturarum, & sententias patrum prorumpere cogeretur: vniuersum eius studium in formandis moribus versatur, *Cassiodor. de instit. scriptur.*

oratio

oratione tam dulci & ardenti, vt verba eius mellis & lactis dulcedine delinita esse videãtur: vnde & melliflui doctoris nomen apud omnes semper retinuit. Sed vt assueſcas, quæ in ſacris libris ſparſim occurrunt, prudenter diſtinguere (quia non omnes doctores eundem locum eadem methodo explicant) probatos auctores legere oportet: & quando ad alios diuertere libuerit, ad priores redire opus eſt. Vnde præ manibus frequenter habenda ſunt ſcripta Ioannis Gerſonis, in quibus addubitari ſolet à doctis viris, an eruditione pietatem, vel pietate eruditionẽ ſuperauerit. Euoluenda quoque erunt, & non oſcitanter, ſed accuratè pro formandis, & conficiendis ſacris concionibus clariſſima D. Thomæ monumenta, quæ ſtyli facilitate & perſpicuitate, ſenſus grauitate maximè pollent, & maximum ſpiritum, & doctrinam continent: nam B. Auguſtini (cuius maximus imitator fuit) ita mentem eius, & reconditos ſenſus exhauſit, ac ſi Auguſtini animam haberet, in doctiſſimis eius ſcriptis. Obſeruare poteris, quid ad doctrinam, ad redargutionem, ad inſtitutionem, ad correctionem, quídque ad conſolationem faciat: vellem quoque iuuenes frequenter verſari in opuſculis ſeraphici doctoris D. Bonauenturæ, in quibus ingens copia, & eruditio conſpicitur: vbi totius noſtræ fidei doctrinam admirabili eruditione, & ſingulari ac laudatiſſimo ordine complectitur. Laudat inter cætera Ioannes Gerſon breuiloquium, & itinerarium mentis in Deum. docet B. Auguſtinus primam in percurrendis libris obſeruationem eſſe, vt libros legamus, & legendo memoriæ mandemus, vel omnino incognitos non habeamus: nec de quibuſcunque libris loquitur, ſed (vt mea fert opinio) de probatis auctoribus: quia (vt ait Seneca) non refert quàm multos, ſed quàm bonos habeas libros; multitudo enim librorum onerat, non inſtruit. Quare conſultũ erit, ſi iuuenes vnum tanquam fidum & probatum magiſtrũ habeant, quo duce facilè doctrinam imbibent, & quæ ſemel imbiberint, dilucidè percipient, atque aliis explanare poterunt: dici nõ poteſt, quantum compendium, & vtilitatem ſit allaturum, ſi ſemper paratus ſis, & promptus ab aliis diſcere, cum & B. Aug. iam ſenio confectus, & penè capularis, ab aliis tamen diſcere

B. Augu. lib. 2. de doct. christian.

B. Auguſtin. Epiſt. 75.

discere cupiebat : ita amica collegarum colloquia, viua præceptorum vox, & probatorum auctorum frequens, & accurata lectio nodos omnes dissoluent : & si quid dubitationis tibi obuium fuerit, è medio tollent. Verùm, quia non est mei instituti præceptiones omnes de arte declamandi in vnum congerere, huic capiti finem imponam.

Concionator se omnino abstinere debet à libris improbatæ lectionis.

Cap. XXXVII.

AD Ecclesiam Romanam Catholicam, & Apostolicam matrem & nutricem nostram, tanquam ad lapidem Lydium, vniuersæ scripturæ deputandæ sunt : quæ sola de scripturarũ veritate infallibilem sententiam ferre potest : in cuius pectore sunt Spiritus sancti scrinia : sed (proh dolor) exierunt plurimi pseudoapostoli (& vtinam nunc non essent) qui Sathanæ spiritu inflati, se canonicis libris immiscuerunt, eos deprauantes, atque veros & Catholicos sensus (vt est eorum inueterata consuetudo) detorquentes : ea propter multa perditissima dogmata, sub falsis titulis mundo obtruserunt. Quare Catholicus præceptor ab hæreticorum librorum lectione omnino abstinere debet, & si B. Dionysius Areopagita dicat, multùm sibi conferre hæreticorum libros legere, vt ex eorum verbis possit eos redarguere : vndique tamen periculum ingruit. Primùm quidem, quia hæretici viperino morsu eorum scripta inficiunt : & dum scriptitant, calamum (vt dici solet) in mente tingunt, vt sermonis ornatu, verborum lenociniis, & sententiarum flosculis populare : fauores captent : & veluti rabida lues & pestis, ac pernicies animarum, incautos animos decipiant. O ostentatio, & inanis gloria omni dolo plena : hoc est ergo primum, & non contemnendum periculum, quia non sine discrimine est ea lectio, quæ habet, quod delectat leues, & occidat. Quid enim hauriri potest à turbidis & corruptis fontibus, nisi limosa & fœrentula doctrina? Accedit, quia in promptu habent abuti scripturis, & ad suos improbos sensus (vt modò dictum est) detorquere, vt sic falso intellectu, atque verborum pompa, & strepitu rudem plebem decipiant : vnde (vt summatim dicam) nihil est, quod tam faciat hæreticum,

quàm ſuperba ignorantia, & librorum improbatæ lectionis frequentatio: hæc via eſt apertiſſima ad hæreſes & ſchiſmata, aliena ſpernere, & ſua mordicus tueri, & quæ ſemel animo conceperis (vel bona vel mala ſint) velle temere defenſare. *Non poteſt error oriri palliatus nomine Chriſtiano* (vt B. Augu. ait.) *niſi de ſcripturis non intellectis*: palliati vtique ſunt hæretici, & in cauernis (teſte ſancto Iob) habitant, quia errores, & falſa dogmata non audentes in medium proferre, clanculum ſe imperitis & rudioribus ingerunt: vt illos ſecurius in ſuos errores abducant: quæ res longè periculoſior eſt, quia latens morbus non facilè curatur. Hæreticorum mos eſt noua ſemper moliri, & nouas ac peregrinas opiniones paſſim docere, vt rei ipſius nouitate curioſos alliciant, atque nos in tenebris ignorantiæ diu delituiſſe oſtendant: ſumma eſt, vt concionator (iuxta B. Pauli ſententiam) deuitet profanas vocum nouitates, & omnino caueat ab improba & peſtilentiſſima librorum lectione, ne ipſe lethale virus imbibat, quod alijs poſtea cum ſui, & aliorum detrimento effundat.

B. Augu. lib. 83. q. 9. 69.
Iob. 30:
1. Timoth. 6.

Præcipua concionatoris cura eſt, hæreſes confutare, & fideles ac pias mentes in Catholica veritate firmè ſtabilire.

Cap. XXXVIII.

SIcut bonus agricola nedum bonum ſemen in agro iacere, verùm, ſi zizania creuerit, euellere, atque penitus eradicare ſtudet. In hunc ſanè modum facere debet Euangelicus præceptor, docere, atque ex verbo Dei viam monſtrare: vt fideles in vera pietate proficiant, & meliores ſanctioreſq; euadent. Huc debet cogitationes ſuas, curas, vigilias, & labores ſuos referre: in qua ſacra functione, præſtantiſſimi totius Euangelij miniſterij ſumma conſiſtere videtur, vt fidelium mentibus ſacra & Catholica dogmata imprimat, & omnem amoueat dubitationem, atque perditiſſimos hæreticorum errores confutare curet: qui (vt ſunt pertinaces) negant ſcripturas in eo ſenſu accipi debere, in quo fuerunt ſemper expoſitæ à S. Romana Eccleſia, à qua germana expoſitio æquo, & indubio animo

mo sumenda est, quæ sola habet claues sacræ scripturæ: vnde nec cuilibet licet priuato iudicio scripturas sacras interpretari: sicut hæretici pro suo arbitratu exponunt. Nam (vt B. Augustinus ait) omnis hæreticus docet Christum, qualem sibi fingit, non qualem veritas docet. Quare si grauissimam pœnam incurrunt hi, qui rescripta principis improbè interpretantur (quia efficiuntur infames) multò magis qui scripturas sacras deprauant: æterna siquidem confusione & damnatione digni sunt, & propria sagitta confodiuntur. Sed medij crepent hæretici, & rumpantur inuidia, nunquam tamen ostendere poterunt peruersas suas doctrinas, Apostolicas esse, atque Euangelicas. Non enim admittit scriptura sacra omnes promiscuè ad sui inuestigationem, sed tantùm illuminatos diuina gratia & humilitate dispositos: in his quiescit diuinus spiritus, qui sunt pauperes spiritu, & timent sermones Dei. Certissima & infallibilis regula ad cognoscenda hæreticorum dogmata est, quia venerandam patrum antiquitatem contemnunt, veritatis claritatem negligunt, & vt filij tenebrarum, dissonantiam quandam præ se ferunt à vera antiquæ fidei simplicitate, & patrum auctoritate, quæ potest hæreticos conuincere. Hac Irenæus, Valentinum hæreticum expugnauit: Tertulianus, Martionem: Nicænum Concilium, Arrium: Basilius, Eunomium, Hieronymus, Vigilantium: Cyrillus Alexandrinus, Nestorium: semper enim hæreticis exortientibus, Diuinæ prouidentiæ brachium præclaros viros excitauit, qui hæreticorum machinas, & technas euerterent, & falsis eorum dogmatibus fortiter resisterent, atque impias & peregrinas eorum opiniones omnino delerent: summa ergo est (ne tempus inutiliter protrahamus) vt quicunque hanc proclamandi functionem honorificè obire voluerit, ita formare studeat suas redargutiones, vt auditores planè percipiant, fideles & pij homines instruantur, & impios, quantò magis diuinæ gratiæ rebelles fuerint, aperta insectatione prosequatur, & dura increpatione corripiat, infirmiores ve peccatores benignè ad pœnitentiam inducat. *Nihil enim tam confert,* (vt D. Chrysosto. ait) *vt qui audit, persuadeatur ad recipiendum quæ dicuntur, atque si cognoscat quæ cum magna dilectione dicantur.* hoc *D. Chr.*

probè faciet, si iuxtà B. Pauli consilium actiones ita instituat, vt nemini det vllam offensionem, ne vituperetur ministerium Christi: quia præceptor Euangelicus non est minister literæ occidentis, sed spiritus viuificantis. Quare nedum quæ facienda sunt, docet, sed Spiritus sancti gratiam ostendit, à quo vires expetendæ sunt, qui aperit ora & corda eorum, qui veritatem Catholicam in Ecclesia sancta Christi Iesu sponsa docent, à qua pius concionator veritatem populo prædicandam petere debet.

Debet concionator ex probatis scriptoribus, suapte industria, locos communes colligere, pro formandis sacris concionibus.

Cap. XXXIX.

OMni diligentia contendere debet præceptor Euangelicus, vt post assiduam librorum, quos nuper commendauimus, lectionem, quæ digna notatu & obseruatu in sacris scriptoribus inuenerit, proprio marte, atque summo studio disponere debet, vt sibi ipsi locos communes conscribat: hoc enim magis sibi conferet, ac si ex alienis scriptis quamplurima decerpat: vnde optima quæque dicta, in breues pagellas tanquam in mentis scrinium reponat. Non enim posset omnia memoriter retinere, vel recensere, si opus esset, nisi ordine quodam distributa essent, & apto ordine collocata; ideo quæ legerit, & semel mente conceperit, debet chartis committere; quæ loco & tempore admonere poterunt, quorum recordari maximè proponit. Hæc regula in omni scientiarum genere est apprimè necessaria, ita sanè ingenij viuacitas acuetur, & aptè & cum gratia dicere poterit. Ad hæc compendiosa est via, frequens meditatio, atque insigniorum locorum coaceruatio, exemplo formicæ, quæ naturali quodam impulsu, ore trahit, quodcunque potest, atque addit aceruo: & quæ æstu multo labore conuexit in aluearium, læta fruitur in hieme: ita si tu multa paraueris, & honesto tuo, ac liberali studio in vnum congesseris, & tibi, & aliis prodesse non mediocriter poteris. Verùm hæc, quæ in vnum coarceruantur, si ordine, & seriè quadam congeras, illa

te

te assiduè ad dicendum incitabunt, atque (experientia teste) penè vrgebunt: ex quibus dulces laborum tuorum fructus capies. In explicandis modò locis, quos congessimus, tribus modis vtimur, definitione, inuentione, & dispositione. Pars definitiua, adducit sensus, expositiones sacrarum literarum distinguit, & definit. Inuentiua, docet definitos iam sensus in abditis sacrorum voluminum sermonibus latentes, inquirit, & diligenti inuestigatione perquisitos inuenit. Dispositiua explanationis dispositione in lucem emittit, & aptissimo ordine explicat, quid sit illud, de quo agitur, aut quot in partes distribuatur, vt auditores animo apprehendant: in quo dicendi genere D. Chrysostomus fœlicissimus fuit. Verùm iuuenes minimè percipere poterunt, quantum valeant, nisi aliquandiu ingenij sui periculum fecerint: ad quod faciendum moneo, ne cum multorum risu & sibilis à pulpito re infecta abire cogantur. Interest ergo eorum, qui in hanc concionandi arenam descendere cupiunt, crebrò se exercere in his locis, proposito aliquo themate, euoluere, & præ manibus habere vitas sanctorum Patrum, sacra Concilia, in quibus quicquid ad ritus, & vitam hominum componendam attinet, explicatur, vbi, quo tempore, quem in finem quæque instituta, vel abrogata sint. Consultissimum itaque erit, si paratis hinc inde ad dicendum variis locis (priusquam publicè munus hoc aggrediaris) probare, an potens sis hanc subire prouinciam, quæ maxima est.

De quadruplici genere concionum, ad quod concio omnis referri potest. Cap. XL. & vltimum.

OMnis concio in tres potissimùm partes distinguitur, procœmium, narrationem, & conclusionem: quamuis quælibet pars, vel locus communis sua gaudeat breui conclusione. Locorũ autem distributio, in qua summa diligentia adhibenda est, est basis, cui vniuersæ concionis structura innititur, si tamen eligantur loci vtiles, & faciles, qui satis latè pateant: ij verò omnino reiician-

tur, ex quibus nihil vtilitatis vel commodi elici potest, quę ordinem inter prophetas egregiè obseruauit Isaias, & inter cæteros doctores D. Chrysostomus: cuius studium vbique est, prauas opiniones extirpare, ad virtutum amorem, & ad metum futuri iudicis excitare, & in spem denique misericordiæ Dei adducere. Sed concionum genera sunt quatuor, ad quæ concio omnis referri potest.

Doctrinalis.
Correctoria.
Consolatoria.
Institutiua.

Doctrinalis concio versatur in hoc, vt doceantur auditores bona amplecti, noxia fugere, Deum colere, hostibus nostris resistere, impios ad fidem Dei conuertere, peccata plangere, atque æterna totis viribus inuestigare: hæc profectò est vera docilitas, quæ est prudentia erudiendi imperitos, vt per eam prius concionator se ipsum, postea alios informet: quæ præcipuè in hoc consistit (vt D. Gregor. monet) carnem vincere, voluptatibus propriis contraire, delectationes vitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmiis amare, & prosperitatis blandimenta contemnere. Correctoria versatur circa peccata corripienda & castiganda; quia in fine cuiuscunque concionis animos auditorum excitare debet, eósque deterrere, vt diligenter caueant à peccatis, quæ furtim irrepserunt: seruanda tamen modestia (vt superius admonuimus) vt leuiora crimina placidè amoueantur, ne auditorum animi frangantur: sed emolliantur. Sicut aquila filios suos, quos naturaliter diligit, vnguibus suis vrget, & pungit, vt de nido exire compellantur, & ad volandum erudiantur: ita concionator auditores, quos in nido voluptatis iacere conspexerit, per correctionem pungere & arcere debet: quod enim non tangit (vt in prouerbio est) non angit. Hæc concio correctoria viuificat iacentes: apes oleo mortificatæ, aceto superinfuso viuificari dicuntur. Institutoria consistit in hoc, vt instruantur homines, vt à peccatis caueant, laboribus se exerceant, honestis se moribus ornent, & maturè se gerant; quia sicut fructus sperari non potest, vbi flos nõ præcesserit: ita honorem ille minimè consequitur, qui prius in aliqua disciplina non fuerit satis instructus. Consolatoria

versa

versatur circa auditorum animos, vt confirmentur; quia, cùm humana vita infinitis periculis, & procellis iactetur, & aduersis casibus & ærumnis prematur, nihil tam potest stabilire mentem nostram, quàm ipsa diuina pietas; Deus enim quos diligit, castigat. Hæc sunt quatuor concionum genera, ad quæ referri potest concio omnis, vt vnusquisque experiri poterit in Sanctorum libris, præsertim in D. Gregorij, & Chrysost. scriptis, quæ tibi legenda relinquo, ne in immensum hæc nostra præludiorum institutio serpat. Ideo hîc dicendi finem faciamus.

Peroratio.

HÆc igitur sit sermonis mei peroratio & finis. Hæc habui, quæ arbitratu meo digesta, in gratiam meorum iuuenum literis proderem, quibus sat est exposuisse ea, quæ futuro concionatori necessaria sunt. Ego mecum habito, nec tam mihi placeo, vt tanquam cristatus gallus cantaturus exultem; noui enim, quàm sit mihi curta supellex, quámque sit humeris meis impar hoc susceptum onus: scio quoque multos grauissimos viros de re hac egregiè conscripsisse, cum quibus, si in hoc studio currere vellem, terga potius, quàm pectus viderem. inter quos est Gulielmus Aluernus Episcopus Parisiensis, qui diuinam rhetoricam edidit, Michael Vngarus, Ioannes Sagobiensis, Laurentius Xerezanus à Villauicentio, Augustinus, Valerius Episcopus Veronæ, Ludouicus Granatensis, & plerique alij: quorum lucubrationes adhuc non euolui. Nolo ergo arripere clauam (vt dici solet) de manu Herculis: sat habeo pro instituti mei ratione iuuenibus meis (si modò ingenia non sunt nimis morosa) rectè, & vtiliter consuluisse; in quo dicendi genere apes sum imitatus, quæ non omnes, sed selectos quosdam decerpunt flores, & non omnem selectorum florum succum, sed quantum ea die ad alueos ferre possunt. Hæc proinde libata potius, quàm recitata in transcursu à me dicta sunt: quæ, si parùm vtilia visa fuerint, ingenium alioqui exacuent: quia verè à Salomone sapientiæ antistite dictum est. *Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia.* tanta est equidem diui-

næ huius artis præstantia, vt multis inuentis egeat. Si itaque hæc (qualiacunque sint) gustum vestrum permiserint, suscepti laboris mei non mediocrem capiam voluptatem. Sed interim orate Deum, vt mihi, & vobis concedat perpetua mentis, & corporis salute gaudere, & mentes nostras illustrare, ne (quod absit) vitiorum rapiamur erroribus.

***

DICTIO

DICTIONARII DE VIRTVTIBVS PARS PRIMA.

In qua explicantur plures, iuxta Alphabeti ordinem, virtutes, citatis hinc inde locis in sacris Bibliis, atque in insignioribus scholasticis Doctoribus.

Vt facilè quiuis, vel vnico mox intuitu cognoscere possit, non tantùm virtutes, sed singularum, de quibus agitur, virtutum differentias.

De Abstinentia.

ABSTINERE est, cum aliquis ab aliqua re vsum eius à se reiicit: & abstinere est frænare affectus, & coërcere se à concupiscentiis, & ab aliis animi tranquillitatem perturbantibus. Vnde prima abstinentia est à malo quiescere. *Quiescite perversè agere.* monet quoq; Paulus. *Ab omni specie mala abstinete.* *Isa. 1.* *1. Tim. 4.*

Abstinentia est temperantiæ filia, virtutum nutrix: quæ carnem, & spiritum in sua natura custodit, & nullis rerum capitur illecebris.

Abstinentia nihil appetit amplius, quàm naturæ ratio flagitat: quæ ciborum multitudine, & delectu plerunque suffocatur. Nullum aurum potabile, nullum elyssir vitæ prodest, vbi abstinẽtia nulla: tunc præclara est apud Deum abstinentia corporis, cùm animus ieiunat à vitijs.

Abstinentia est triplex.

Naturalis.
Criminosa.
Laudabilis.
} Naturalis est ex necessitate naturæ, vel pro valetudine tuenda.

Abstinentia laudabilis est quadruplex.

Frugalis } quæ affectum frænat. (ponit.
Ordinata } quæ vitam ordinat, & mores com-
Purgatiua } quæ purgat intellectum
Curatiua } quæ vulnera curat.

Abstinentiæ laudabilis actus est duplex.
Interior, à virtute elicitus.
Exterior, à virtute imparatus,

Cuius tres sunt species.

Abstinere ab illicitis.
Abstinere à licitis.
Abstinere à quibusdam necessariis.
} De quodam iuuene incomparabilis formæ narrat D. Ambr. de Virginitate, qui, cùm in amorem incĕderet fœminas, stigmatibus exarauit vultum suum, ne qua eum amare posset. Ab illicitis cauere debemus, quia debitores sumus, non carni, vt secundùm carnem viuamus. Sancti per aliam viam reuersi sunt in regionem suã: quia sicut gula nos à paradiso expulit, abstinentia in cœlum perducit. ita B. Hieronymus ait. Solicitè prouidendum est, vt quos saturitas de paradiso expulit, esuries reducat.

Rom. 8.
D. Hieronym. epist. 84.

Abstinere quoque à licitis, & à quibusdam necessariis debemus; quia prospera & aduersa sustinere, ars magna est. Quia aduersitas, & prosperitas non mutant fortis viri animũ, sicut nec amnes, nec imbres, mare. Hæc erant duo dolia in domo Iouis (secundum philosophos quosdam) nam in limine domus Iouis (referente Seneca) erant duo dolia, de quibus intrantes oportebat bibere.

Abstinentia.
Laudabilis.
Detestabilis.

Vlterius, duplex est abstinentia.

Laudabilis.
Detestabilis.
} Detestabilis, vt in hypocritis, auaris, & gulosis. Hypocrita abstinet, vt laudetur: talis nimium fatuus non satis sibi constat; quod enim vni hosti subtrahit, duos hostes pascit, mundum, & Diabolum. Diabolus est sicut fur: qui, vbi cognoscit mercatores onustos auro, vel mercibus

cibus oneratos, se cum illis adiungit, vt eos expoliet. Ad hunc modum Diabolus spoliat superbos per iactantiam, & vanam ostentationem: exemplo Ezechiæ, qui thesaurum turris Babilonis inimicis patefaciens, amisit. Isa. *Non fuit res, quam non ostenderet eis.* Ideo dicitur Iob. *Congregatio hypocritæ, sterilis.* Nam quæ congeruntur ab hypocrita, vana redduntur: quamuis humano iudicio, secundùm externam laruam, aliquid boni præ se ferant: verè tamen sterilis congregatio est apud Deum: cui nihil gratum esse potest, nisi quod in charitate fundatur, vel à charitate proficiscitur. Hypocrita ergo, vnde boni operis mercedem æternam sperare potest, quærit ventum vanæ laudis. Greg. *Qui ex opere, quod agit, humanos fauores exquirit, rem magni pretij pro vili exponit.* Sed melior est saccus plenus lapidibus pretiosis, quàm habere loculos plenos arena, vel lapillis. Et sub pictura aurea nonnunquam lignum putridum, & vermibus scatens latet. Vnde vers.

Isa. 39.
Iob. 15.
Greg.

Nec teneas aurum, quodcunque relucet vt aurum,
Nec pulchrum pomum quodlibet esse bonum.

Ideo dicitur Matth. *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim faciem suam, vt videantur hominibus ieiunantes.* Auarus ieiunat, vt crumenam impleat: iste, quod ori subtrahit, Diabolus aufert: os enim Diaboli est auari marsupium, quod impleri non potest. Isid. Sit ieiunium tuum non marsupij lucrum, sed sanctas animarum. Aug. *Tale est ieiunium sine eleemosina, qualis est lampas sine oleo.* Gulosus ieiunat, vt postea deglutiat, & voret. Greg. Non Deo, sed sibi ieiunat, qui ea, quæ ventri ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit: sed ventri postmodum offerenda custodit. Sunt autem permulti, qui ieiunantes, vna vice plus comedunt, quantum eis duabus sufficeret. August. Sicut sumuntur medicamenta, sic sumi debent alimenta: quò enim terra pinguior fuerit, eò plures spinas, & tribulos germinat. Sic quantò caro pinguius nutritur, & fouetur, plures motus generat, & fortius spiritum impugnat. Prouerb. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum*, id est corpus, *postea sentiet eum contumacem*, id est spiritui repugnantem. Nota, quòd sunt quidam, qui festum ante vigiliam celebrãt, vt hi, qui

Matt. 6.
Isid.
Greg.
B. Aug.
Prouerb. 29.

in

in pueritia delicatè nutriuntur: sed festum eorum breue, & momentaneum erit, vigilia æterna in inferno comitatur cum diuite, cui aquæ gutta negatur. Non enim possumus hic ventrem, & illic mentem implere.

Luc. 16.

Rursus, Abstinentia laudabilis est triplex.

Prima à peccato
Secunda à cibo
Tertia scilicet à malis verbis

} Prima est abstinentia laudabilis à peccato, de qua Paulus.

1. Thess. 4. *Abstineatis vos ab omni fornicatione.* gloss. tam spirituali, quàm corporali. Qui enim in peccato mortali ieiunat, corpus suum (veluti cadauer mortuum) offert Deo: cuius oppositum monet Paulus. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, non mortuam.*

Rom. 12.

Eccles. 3. Ideo dicitur Eccles. *Sapiens cor, & intelligibile abstinebit se à peccatis, &c.* Item Pet. *Obsecro vos, abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant, &c.* non est illis credendum, qui affirmant non posse abstinere, vel continere se à peccato, cum tamen abstineant se à noxiis alimentis, quæ corpori obsunt: vnde si alicui apponeretur cibus lethalis & veneno infectus, procul à se abiiceret: ita voluptas mortifera est animæ, vt monet Aug. Omne seminarium voluptatis, venenum puta. Hanc tamen auidè hauriunt multi, & inde moriuntur. Apocalyps. *Multi mortui sunt in aquis.* id est delectationibus mundi, vel carnis: quia amaræ factæ sunt: scilicet post mortem. Nullus coram principe auderet (quin potius erubesceret) fornicari: quia sola verecundia cohiberet eum. quantò magis præsentia Dei, & Angeli custodientis eum, deberet ipsum cohibere? Bernard. *In quouis angulo reuerentiam exhibeto angelo: nec, illo præsente, facere audeas, quod, me præsente, facere non auderes.* Boët. Magna nobis audita est necessitas probitatis: cùm omnia agamus ante oculos iudicis cuncta cernentis. Non est dicendum, equum cohiberi non posse, qui modico fræno constringi potest. Sic non debet aliquis dicere: non possum à peccato carnis me cohibere, quem frænum erubescentiæ cohibet. Adde, non dicitur domus alicuius, eo inuito, comburi, si ipsemet igni ligna subiicit, scilicet cibos, & potus calidos libidinem prouocantes. Ideo nobis in tan-

Apoc. 8.

Bernard.

Eccl. 28.

ta

ta ciborum varietate timendum est, vt sit alimenti modicitas, & in sumendo sobria frugalitas, ne fiat ventris oneratio, & inflatis venis incentiua libidinis sustineamus: *quia si defecerint ligna* (ait Salomon) *extinguetur ignis*: peccatum semel commissum, non extinguit peccatorum sitim, sed magis excitat: nam peccatum est dispositio ad aliud peccatum. Solet faber candens ferrum aqua extinguere, *Prou.16.* vt per antiperistasin condensato calore, ferrum vehementius accendatur: ita peccatoribus accidere solet, qui quantò magis peccant, eò magis ad noua peccata accenduntur, & maiora moliuntur. Oseæ. *Comedent, & non satu-* *Oseæ 10.* *rabuntur: fornicati sunt, & non cessabunt.* gloss. vires fornicantium deficiunt: sed desideria crescunt. qui hostes suos insequuntur, & vltrò se illis offerunt (cum potius se in fugam conuertere, & dare terga deberent) si mortem oppetunt, non moriuntur inuiti, qua ergo ratione quis se excusare potest, si non abstinet à peccato, vbi ex industria mulierum consortia quærit, & compedes inuenit? si alligauerit quis ignem in sinu suo, nónne vestimenta eius comburet? *Qui enim amat periculum, in illo peribit:* nec debet di- *Eccl.3.* cere æger, non possum curari, si consilia & medicantis manum non admittit. De consilio corporalis medici abstinet quis diu à vino, & à carnibus: sed consilia medici spiritualis non curamus; nec patimur vix semel, vel bis in anno ieiunare: vnde ad mala procliues præcipites ruimus: quia peccatum, quod non deletur per pœnitentiam, mox suo pondere ad aliud trahit: lapis in puteum proiectus si centrum non tangit, semper in casu est. Atqui peccati nullum centrum est, præter infernum: vnde cadens in peccatum, in continuo casu est, nisi manu gratiæ casurus sustineatur quia *abyssus abyssum inuocat.* *Psal.41.*

Adde etiam pro pœna temporali euitanda, homo abstinet à peccato; quia si sciret per peccatum sibi pedem abscindi, vel in ignem mitti, nullatenus committeret: & pro æterna pœna euitanda heu! abstinere non potest? stultè admodum sibi consuleret, qui pro modico cibo, vel voluptate aliqua, vellet omnia sua amittere: vel perpetuo carcere mancipari: talis per omnia est peccator, qui pro peccato omnibus bonis denudatus æternis pœnis cruciabi-

tur,

Eccles. 10. tur, & regno æterno priuabitur. Eccles. *Datum insipientis non erit vtile tibi; oculi enim illi septemplices sunt:* exigua dabit, &
Prouerb. 6. multa improperabit. & Prouerb. *Pretium scorti, vix est vnius panis.* mulier autem pretiosam animam viri cupit.

Secunda abstinentia est à cibo corporali, de qua dicit
D. Hieron. Hierony. *Tunc est præclara apud Dominum abstinentia corporis, cum aliquis ieiunat à vitiis.* Quid prodest corpus attenua-
Isidor. re abstinentia, cum quis intumescit superbia? Isido. Qui à cibis abstinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus esca vel cibus non est, & nequitia semper adest. Si quis ablueret manus suas in aqua lutosa, & fætulenta, non purgaret eas, sed inficeret: Sic ieiunans, & agens pœnitentiam in peccato mortali, non mundificat animam suam; ab immundo enim quis mundabitur? Abstinentia enim à cibo corporali commendatur à multiplici suo effectu. Valet enim abstinentia; quia sanitatem corporis procurat, diabolum ab homine fugat, & carnis supercilium domat: va-
Eccles. 37. let igitur ad sanitatem corporis, Eccles. *Qui abstinens est, adijciet vitam, & in multis scis erit infirmitas.* Si homo ita sollicitè abstinet se à vino, & à carnibus pro valetudine corporis, quantò magis pro spirituali? Rechabitæ non bi-
1. Reg. 35. berunt vinum, quia pater eorum præcepit, nota est histo-ria. Abstinentia quoque diabolum ab homine fugat. Sicut enim fames compellit lupum exire de nemore: sic abstinentia diabolum ab homine fugat. Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.
Matth. 12. Abstinentia enim diabolum ponit in arido, vbi requiem
Iob. 11. non inuenit. Cum immundus spiritus exierit ab homine,
Tob. 6. &c. Diabolus vt piscis, habitat in locis humidis. Cum extraxisset piscem de aqua delitiarum, cœpit palpitare ante pedes eius. *Homo ieiunus* ait D. Ambros. *sputo suo serpentem corporalem interficit:* quantò magis spiritualem. Iud. Prius
Iud. 13. ieiunium amputauit caput Holofernis. Carnem vincit, & castigat: irridendi sunt ergo illi, qui dicunt se carnem vincere non posse; cum possit ei (ieiunando) fomenta subtrahere. Quid oleum flammæ adiicimus? Non est adeo castrum munitum, quod non possit expugnari, si annona subtrahatur: nec adeò magnus ignis, qui non possit extin-
Prouerb. 26. gui per subtractionem lignorum. Prou. quidquid enim in-

flam

flammare corpus potest (consulit D. Hieronym.) & quod fomentum voluptati suggerit, fugiendum est amore castitatis. Cum defecerint ligna ciborum, extinguetur ignis luxuriæ. Item homo sine abstinentia est sicut equus indomitus & effrænis. *Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui:* id est consensum cordis. Plus confidit diabolus præsidio carnis, quàm in aliis; quia domesticus hostis hostem hunc fugare, vel fugere non potest. Circunferre carnem vel nutrire necesse est: perimere non licet; sed subiugare & supponere: quia nihil magis æstuat (ait D. Hieron.) quàm iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ: ideo ciliicio, & abstinentiæ fræno edomandæ sunt. *Seruo maleuolo*, ait Ecclesiastes, *tortura & compede mitte eum in operationem, ne vacet.* *Mich. 7.* *Eccles. 33.*

Tertia abstinentia est à malis verbis. Sen. A verbis turpibus abstineto. Nam licentia eorum impudentiam nutrit.

Quarta est abstinentia à mala societate. Sapien. Dicunt mali de iusto: abstinet se à vitiis nostris, tanquam ab immunditiis. Thess. *Ab omni specie mali abstinete vos.* *Sap. 11.* *Thess. 5.*

Ad abstinentiam quatuor inducunt.

Natura, Scriptura, Fortuna, Mors.

Natura paucis contenta est, homo modici est oris inter cætera animalia, & brevis gutturis, docet Aristoteles de Natura animal. vt sit modici cibi, & se citò expediat. Sed mirum ait D. Bernardus, quòd voluptas gutturis hodie tanti fiat, & vix duorum habeat latitudinem digitorum. Scriptura docet, vbi est panis & aqua, ibi naturæ satisfactum est: quicquid superfuerit, non ad vitę necessitatem spectat: sed ad vitium voluptatis. Initium vitæ hominis, panis & aqua. Eccl. De fortuna, ait Iob, *si comedi buccellam meam solus.* De mortis consideratione ait Gregor. Nil sic valet ad desiderta domanda, sicut cogitare, qualis sit futura mors, hinc ille.

Eccles. 29. *Iob.* *Greg.*

Et propter vitam viuendi perdere causas.

Abstinentia spiritualis quatuor bona confert animæ. *Iuuenal.*

Vitia

Vitia comprimit. Mentem eleuat. Virtutem largitur. Diabolum fugat.

Vitia comprimit, quia abstinentia est veluti torcular, quod peccatorum humores comprimit. Mentem eleuat, sicut serpens: qui, cum sit magnæ abstinentiæ, est etiam ingenij cautioris, & longioris vitæ. Virtutem largitur, vt agnus castus: cuius flos (si Dioscoridi credis) solo odore castos reddit. Diabolum fugat: nam sputum hominis ieiuni venenum est serpenti, ait Ambrosius: *Diabolus est sicut piscis, qui natat in fluuio, & in sicco moritur.*

Abstinentia corporalis quatuor bona confert corpori.

Prouocat appetitum. Sanitatem inducit. Membra consolidat. Honestam consuetudinem inducit.

Appetitum prouocat; quia non sapores, sed fames (teste D. Bernardo) excitat appetitum. Sanitatem inducit; vnde Galenus decimi diei abstinentiam laudat. Apud Romanos quoque erant leges cibariæ & sumptuariæ, ne mensura excederetur. Cæsar in summo fastigij culmine constitutus, pane secundario, & pisciculis (necessitate vrgente) vtebatur: &, vt erat minimi cibi & vulgaris, cœpas & caseum bubalum appetebat. Membra consolidat, si temperatè fiat: quia abstinentia est instar tympani, quod, si nimis extendatur, frangitur: ita corpus (teste D. Hieronymo) non est frangendum, sed regendum. Demum, honestam conuersationem causat.

Abstinentiæ sunt quinque palmites.

Carnis mortificatio. *mortificate membra vestra.*

Abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.

Deponere omnem malitiam, & dolum.

Innouatio, *induite nouum hominem.*

Sobrietas, quæ studiis referatur honestis.

Abstinentiæ sex species.

Lugubris, Neemiæ 1
Dolorosa, Hester 8
Quotidiana, Iud. 8
Luctuosa, 1. Mach. 3

Con

Consuetudinaria Iud. 2. de Anna prophetissa
Triduana 1. cor. 7. de Paulo Apostolo.
Mirabilis admodum fuit abstinentia D. Macharij, qui to- *D. Hieron.*
tam Quadragesimam ieiunauit, nec panem, vel aquam gustauit: sed tantùm (vt fertur,) folia cruda dominica die sumebat.

Ex sacris Bibliis. De Abstinentia habetur.
Gen. 2. Ex doctoribus scholasticis.
Exodi 24.
Ionæ 2. Ricardus libro 4. distinct. 15. artic. 3.
Genesis 35. quæst. 1.
Danielis vltimo. Antonina part. 2. & parte 4. titul. 4.
Tobiæ 1. cap. 4.
1. Cor. 9. Ioannes Gerson 2. parte tractatu de
1. Thess. 4. non esu carnium & parte 3. de di-
Gal. 5. uersis tentationibus.
2. Petri 1.
Ioan. 6.
Matth. 10. & 14.
Marci 6.
Lucæ 1. De Abundantia.

ABundare est affluere, tractum ab amnibus, qui quò magis augentur ymbribus, eò maioribus vndis flexuoso meatu decurrunt, & eriguntur: ita abundare est affluere, & supra modum aliquid possidere.

Abundantia prosperitatis *prohibet sentire* vulnera mentis; homo enim diuitijs abundans est velut balæna, vastissima maris belua, tantæ pinguedinis, quòd percussa, nisi perforata fuerit totaliter pinguedo, non sentit vulnera: sed *vbi* caro interior læditur, facilè deprehenditur; quia amaritudinem aquæ non sustinens, littus petit, & citò moritur: sic homo abundans nec Deum cognoscit, nec mandata eius seruat. *Ego dixi, in abundantia mea non mouebor in æternum.* Psal. & alibi. *Ex adipe prodiit iniquitas, transierunt in affectum cordis.* *Psal.* *Psal. 72.*

Abundantia multa mala generat: primò quidem insaciabilem animum reddit, cuius ratio esse potest animæ capacitas, quæ minus Deo repleri non potest; appetitus enim hominis tendit in immensum, & cùm desideria ho-

minis tendant in infinitum, vbi desinant, non habent. Ideò consulit Seneca, vt si quis ditari velit, non debet aliquid pecuniæ thesauro adiicere, sed cupiditati subtrahere: pecunia enim in arca posita, non euacuat appetitum auari, qui maiorem curam marsupij habet, quàm vitæ, sicut neque vinum in dolio sitim extinguit. Adde, quia sicut arca non potest repleri sapientia: ita anima pecunia. Diuites dimisit inanes. Quasi qui apprehendit vmbram, & sequitur ventum: sic qui attendit ad visa mandata. Producit superbiam,

Greg. Greg. Apostema tumoris facit abundantia humoris. Obli-

Oseæ 13. uionem, Oseæ. *Adimpleti sunt & saturati: leuauerunt cor*

Iob. 15. *suum, & obliti sunt mei.* Contemptum Dei, Iob. *Cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* Aduersus Deum currere dicitur, qui ex affectu & animo deliberato gaudet facere mala, quibus Deus offenditur: in erecto collo, pertinacia, & contemptus ostenditur. Erecto collo, id est superbia, quasi ex æquo cum Deo certare pa-

Isaiæ 45. ratus sit. Ingratitudinem inducit. Isaiæ. *Accinxi te, & non cognouisti me*: transgressionem diuinorum præceptorum,

Hiere. 5. Hiere. *Impinguati sunt, & ditati, & præterierunt sermones meos peßimè*: petulantiam & libidinem. Incrassatus est di-

Gen. 13. lectus, & recalcitrauit: iurgia, & rixas. Gen. *Erat quippè substantia eorum multa, & non quibant habitare communiter: & facta sunt iurgia inter pastores gregum Abraham & Loth.* Inflammat etiam affectum cordis; saturitas enim bonorum mundi, & eorum repletio semper affert secum desiderium augendi. *Manducauerunt & saturati sunt nimis, & desiderium*

Isaiæ 56. *eorum attulit eis.* & Isa. *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Lupus satur nil quærit, nisi ludere: sic abundan-

Philip. 4. tes temporalibus delitiis inhiant. Anima saturata calcabit fauum. Scio abundare, id est necessariis contentus esse, & penuriam pati. Quippè pati (ait B. Augustinus) quorumcunque est hominum: sed scire pati penuriam, non nisi magnorum: & abundare quisque potest, scire autem abundare, non nisi eorum, quos abundantia non corrumpit: hinc quidam.

Copia me perdit, inopem me copia fecit.

De

De Abundantia habes.

Psal.	92. & 64 & 121.
Prouerb.	21.
Ecclesiastici	11.
Matthæi.	13.
Lucæ	19.
2. Petri	1.
Iob.	5.
Rom.	15.
1 Cor.	15.
2 Cor.	7. & 8. 1. Thess. 4

Thob. 4. Si multùm fuerit, abundanter tribue. Vnde abscienda sunt temporalia propter contemplationem diuinorum, ne sensus inuoluantur eis.

De Aduocatis.

ADuocatus est, qui in iudicio ius suggerit, aut præsentiam suam commodat amico, qui alio nomine causarum patronus dicitur vel causidicus. Aduocare & patrocinari in causis laudabile est, si tamen lingua suo fungatur officio; aduocatus enim institutus est ad defensionem iustitiæ, & falsitates repressionem. Vnde insigne munus est decidere quæstiones, quas humana, peruersaque auaritia attulit. Sine aduocatorum quidem suffragio plurimæ veritates incognitæ, plurimæ iniustitiæ impunitæ manerent. B. Ambrosius, & Iuo, viri grauissimi in causis patrocinati sunt; nam per hoc egregium *aduocationis officium* insontes defenduntur, & oppressi releuantur.

Contingit aduocatum trifariam peccare.

{Negligenter, Ignoranter, Improbè & iniquè.} Negligenter, ideo si propria negligentia amittat causam clientis, peccat mortaliter. Ignoranter, & hoc, quia vel ignorat: & si non ignoraret, adhuc tamen causam defenderet: vel si sciret, non defenderet, sed adhiberet omne studium ad defendendam veritatem, & est meritorium: vel ignorat; quia vult ignorare, nec vult discutere merita causæ, talis ignorantia aggrauat peccatum. Nam ignorans legem, putat voluptates, & appetitus hominum legibus iuuari posse: quò fit, vt ipsarum legum ignorantia viam litigiis præstet: vel peccat, cum

B. Augustin. Epist. 36. loquens de Zacheo.

aliquid malitiosius defendit. Vnde B. Ambrosius. Qui non potest subuenire alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuare, quàm alterum grauare, vel iniustè procedendo, & falsas allegationes adducendo.

Aduocatus interdum vendit linguam suam, quæ est donum Spiritus sancti: immo verò vendit silentium, quod est vocis priuatio: nec linguam ipsam dissoluit, nisi funibus argenteis vinciatur. Quamobrem aduocatus assimilatur linguæ stateræ, quæ tunc pendet, quando nihil ponderis apponitur. Quidam appellauit hoc genus hominum vænale; quia tot repagula fallaciarum inducunt, vt veritas ingressum non habeat; falsitatibus interimunt, & vinum erroris propinant.

Alexander de Ales. 3. parte q. 44.

Quatuor sunt necessaria aduocato (vt paucis multa comprehendamus.)

Persona } Persona, ne sit infamis; quia infames, &
Causa } excommunicati non possunt esse procura-
Modus. } tores, & causarum patroni. Causa debet es-
Affectus. } se iusta. Eccles. *Pro iustitia agonizare.* Mo-

Eccl. 4. dus quoque honestus esse debet, nam (vt ait sapiens) *Aurum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos, & attende ne fortè labaris in lingua.* Verùm aduocati nostri temporis sunt similes pharisæis, qui dilatabant philacteria, & magnificabant fimbrias. In hunc sanè modum isti faciunt, cùm aiunt, dicimus, pronunciamus, sententiamus, omni meliori modo, iure, forma. vbi vnico verbo possent concludere.

Eccl. 28.

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca.

Nimirum si litigiis occasionem parant, & plerunque mala inducunt, lites per annorum centurias insolutæ manent, omnia vænalia, & contentionibus plena: vnde Dominus noster prohibet patrocinandi modum, & omnem contentionem aufert, obiurgationes, rixosas lites, quæ inde e-

Exodi 23. ueniunt, de medio tollit, & habitu charitatis informat. Quartò requiritur pius affectus; quia præcipit Dominus. *Si videbis asinum iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis.* Ambrosius. Medicus tenetur pauperi languido impendere curam, & consilium medicinæ: ita iudex ex sententia B. Augustini non debet vendere suum iudicium

S. Amb. in lib. de officijs.

neque

neque testis suum testimonium: & ratio est, quia iudicium debet esse iustum, & testimonium verum. At iustitia, & veritas in medio consistunt. Aduocatus autem tantùm alteram partem fouet, à qua honestè mercedem sui laboris exigit: sed iudex & testis (cum sint personæ communes, pro vtraque parte constitutæ) non debent aliquid exigere. Aduocati (teste magno Iustiniano) qui dirimunt ambigua facta causarum, non minus prouident humano generi, quàm si præliis, armisque parentes, patriámque saluarent.

De Christo aduocato habes.

Exodi 20.
Esaiæ 43.
Matth. 11.
Ioan. 1. 7. 14. 17.
1. Tim. 2.
1. Ioan. 2. Aduocatum habemus apud Patrem.

De Ambulare.

AMbulare dicit motum progressiuum animalium, sed præcipuè hominis est, cui progressiuus motus competit. Ambulare non competit Deo, qui vbique est, & nullum locum occupat: est enim in loco, & non inclusus: est supra locum, & non elatus: est infra locum, & non depressus: est extra locum, & non exclusus.

Ambulare debemus ad Deum festinanter, sicut pauperes festinant ad ianuam diuitis pro refectione vnius diei, & valde imbecillis est, qui illuc non properat: Dominus parauit nobis mensam, & refectionem non horariam, vel diariam: sed perpetuam: Vnde apud Matthæum Euangelistam inuitat nos. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:* mundi huius temporalia non reficiunt, sed magis fame, & siti perimunt. Exemplum de infirmo, cui immittitur penna madefacta in os, & non sedatur vomitus: sed magis ex ventriculi subuersione irritatur. Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: id est temporalibus istis, quia mens humana est latior, quam vt vlla creatura expleri possit. Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ne claudatur nobis ianua, aut auferatur pons misericordiæ, qui modò est dimissus: & excludamur cum fatuis virginibus. Modò Dominus comedit ostio aperto, id

Matth. 11.

Ioan. 4.

est,misericordia: sed in morte claudetur porta, & auferetur pons; quando tempus misericordiæ cessabit. Festinemus ad locum tutiorem, ad agrum vberiorem, ad mensam suauiorem,vt habitemus sine metu: abundemus sine defectu:epulemur sine fastidio. Sicut viator, qui sole occumbente præ temporis angustia festinat, vt, transacta loci alicuius penuria,ad fertiliorem perueniat: ita homo facere debet,ne nox,id est mors, eum apprehendat, festinat. Et de operario, qui laborem operando fert, vt operam absoluat,& postea quiescat.Et de peregrino,qui quotidie iter facit,vt ad patriam suam perueniat:vbi tandem, peracto itinere,conquiescit: ita homo in huius viæ curriculo.

Ioan.12. Ioan. *Ambulate, dum lucem habetis:vt non tenebræ vos comprehendant.*

Quare ne offendamus,eundum est.

Honestè.	Primò eundum est Honestè. Non enim videntur honestè ire, qui noctu vagantur, vt lucifugæ adulteri, fures, & his similes, qui diligunt opera tenebrarum, id est peccata.
Dignè.	
Cautè.	
Sollicitè.	
Simpliciter.	
Perseueranter.	

Ioan.3. Ioan. *Qui malè agit, odit lucem*, &c.

Rom.3. Rom. *Abijciamus opera tenebrarum.* Item, non vadit honestè,qui incedit nudus. Vnde Apostolus sequitur *& induamur arma iustitiæ*, id est, virtutes, sic vt in die honestè

Apoc.16. ambulemus. Apocal. *Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne*

Coloss.3. *nudus ambulet.* Coloss. *Induite vos, sicut electi Dei.* Isa. *In-*

Isa.13. *duere vestimentis gloriæ tuæ*, quæ scilicet ad gloriam ducunt. Ille,qui non habuit vestem nuptialem, expulsus est

Matth.22. à nuptiis. Matth.& Thess. *Præcipimus vobis, vt honestè am-*

Thess.13. *buletis ad eos, qui foris sunt in conuersatione vestra, ipsos ædificantes.*

Ephes.3. Secundò ambulandum est dignè. Ephes. *Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt digni ambuletis vocatione, qua vocati estis:* scilicet prout requirit dignitas illa, scilicet vita æterna, ad quam vocati estis. Dignè ambuletis:ne in via indigna committatis,propter quæ dignitatem illam perdatis. Exemplum. Stultus esset admodum, qui electus Episcopus, ante confirmationem aliquid committeret, vnde Episcopatum perderet, & principis iram incurreret.

Sic

Sic ille, qui peccatum mortale committit, pro quo vitam æternam amittit. Ephes. *Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate.* Item dignè, vt illa modica, & indigna temporalia contemnamus. Si alicui pertinet regnum, vt patris hæredi, & duo iugera terræ, vt matris hæredi, fatuus esset, si pro modica illa terra regnum dimitteret. Sic sunt illi, qui pro terrenis æterna dimittunt. Psalm. *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Sen. Ante hostes contemne opes, & te dignum finge Deo. Nemo dignus est, nisi qui opes contemnit. Item dignè, vt pro illa dignè operemur. Magnitudo præmij magnum requirit laborem: & iustum est, vt multùm laboris operarius sustineat, qui magnam mercedem expectat. Ideò dicitur Coloss. *Ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei.* Ephes. 5. Coloss. 5.

Tertiò ambulandum est Cautè. Ephes. *Videte, quomodo cautè ambuletis:* scilicet sapienter. Qui vult cautè ambulare, debet respicere initium viæ (id est, viræ) medium, & finem. O homo considera, vnde venis; erubesce vbi es, & ingemisce quo vadis, & contremisce: Cautè ambulandum est, quia, vt habetur Matth. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam:* quia quàm citò pes extra terminos ponitur, labitur. Vnde qui vadit per angustam plantam, non debet incautè & oscitanter incedere: sed fixa acie pedes suos respicere, id est finem suum. Eccles. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima*, &c. Sed, vt dicit Psal. *Non est respectus morti eorum*, &c. Et nota, quòd currus (id est largæ conscientiæ) non possunt bene currere per arctam viam pœnitentiæ. sine submersione. Eccl. *Attende auditui: quoniam cum submersione tua ambulas.* Item qui vult cautè ambulare, debet malam societatem euitare, Prouerb. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores*, &c. & ita ne ambules cum eis. De hoc requite in Cap. de mala societate. ambulandum est cautè; quia retibus plena sunt omnia, Hierony. Diabolus laqueis cuncta compleuit. Ephes. 5. Matth. 7. Eccl. 7. Psal. 72. Eccl. 13.

Quartò ambulandum est Sollicitè. Miche. *Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, & quid dominus requirat à te, vtique facere iudicium & iustitiam, & diligere misericor-* Mich. 6.

diam, & sollicitè ambulare cum Deo tuo. Solue ergo tibi iudicium, iustè viuendo proximo, misericordia Deo, sollicitudinem iudicandi nos dimisit nobis Dominus. 1. Corint. 11. Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Si ergo in confessione feras sententiam tuæ damnationis, Deus profert sententiam absolutionis. Rectè ergo iudicate filij hominum. nō rectè iudicat, qui peccatum suum eleuat, & peccatum alterius grauat, vt Pharisæus Publicanum. Exemplum de ludo scacorum, vbi videt homo clarius extra, quàm intra ludum. Sic homo facilius videt alterius culpam, quàm suam. Isti palàm blandiuntur, & occultè detrahunt & lacerant. pacem cum amico loquitur, & occultè ponit insidias. Ierem. Ioab cum Amasa. & Rom. 20. Similes marsupio tabernarij, quæ diuersa habet folia & plicas in quibus diuersarum monetarum genera reconduntur. Sequitur. Et diliges misericordiam, id est cum hilari vultu dare. Qui pauperi lætè, erogat. & Dominus ei, sicut ille, qui arridet speculo, & speculum ei. Chrys. Tali vultu respicit Deus ea, quæ facis, cum quali facis. 2. Corinth. Hilarem enim datorem diligit Deus. Sequitur. & sollicitè ambula cum Domino Deo tuo. Qui vadit ad Deum, vadit cum Deo: qui viam munit, & expensas soluit. Matth. 6. Nolite ergo solliciti esse, dicentes; quid manducabimus, aut quid bibemus? Matth. Scit enim pater vester; quia his omnibus indigetis. Chrysost. Qui ad fontem vadit, non est sollicitus, quid bibat: vel qui ad magnum conuiuium, vel cum magno domino, quid comedat. quid ergo times Petr. 5. stulte? maior est fons diuinæ prouidentiæ. Omnem sollicitudinem vestram in illum proiicientes; quoniam ipsi cura est de vobis.

1. Cor. 11.

Cor. 9.

Matth. 6.

Petr. 5.

Quintò ambulandum est Simpliciter in humilitate, & paupertate spiritus, non sicut quidam, qui superbè, & erecta ceruice incedunt superbia inflati, Prouerb. Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dites torquens labia sua, decipiendo simplices, & deridendo. Prou. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.

Prouerb. 11.

Prouerb. 10.

Sextò ambulandum est Perseueranter. Gen. Abiit Iacob itinere quo cœperat. Iob. Iustificationem, quam cœpi tenere, non deseram. Sicut canis ad vomitum, & sus lota in lu

Gen. 32.

Iob. 27.

Sap. 7.

in lutũ iterum se proiicit. Neminem diligit tam Deus, quàm eum, quo cum sapientia habitat. non enim quærit hospitium, nisi vt ibi permaneat. Io. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. stultè admodum agit, qui peccando Deum à se repellit, cùm ipse dixerit. Manete in dilectione mea. Io. quia perseuerantia coronat opus, *Ioan. 14.* *Ioan. 15.*

Ambulandum est simpliciter propter tria, quæ nos assiduè interturbant. primum malum est fouea, Esa. Formido, fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. Deinde quia inimici nos vndique circunstant, Circundederunt me inimici mei; quia multi bellantes aduersum me. Demum; quia Diabolus perfidus hostis sedet in insidiis, vt interficiat innocentem.

Ambulatio est quadruplex.

Naturæ, Culpæ, Gratiæ, Gloriæ,

Primò, homo ambulat ad mortem. Iob. Et semitam, per quam non reuertar, ambulo, aut verius percurro, ac si diceret. postquam semel absoluero, non iterum repetam, sed diuino exhibebor iudicio, accepturus præmium pro operibus in præsenti hac vita peractis. Hoc dicit, vt ibi notat D. Thomas, propter quorundam insaniam, credentium hominem post mortem iteratò ad præsentis vitæ cursum redire, vt homo iterum sit puer, & ætates huius vitæ perambulet. *Iob. 16.*

Secunda est *culpæ*. *In circuitu impij ambulant* (serpentis more) qui tortuoso, & *erratico cursu homines* decipere solet. ita impius intus in pectore venena, & fraudes reuoluit.

Tertia est *Gratiæ*, qua homo de bono in melius ambulans proficit. Ambula coram me, & esto perfectus. Gen. dixit, ambula coram me; quia aliud est ambulare coram Deo, aliud cum Deo, aliud post Deum. coram Deo, est placere Deo; in omnibus. ambulare cum Deo, est eius præcepta sectari, & amicum esse Dei, vt de Enoch, & Noe legitur Gen. 5. ambulat post Deum, quisquis seipsum abnegando, propriæ renunciat voluntati. *Gen. 16.* *Apoc. 3.* *Psalm. 17.* & *103.*

Quarta est *Gloriæ*. Ambulabunt mecum in albis; quia Domino peccauerunt. non enim ambulãt cum Deo in albis qui peccatorum tenebris inuoluuntur, & sordent.

Mar. 2. Ambulare significat interdum profectus virtutis. *Tolle*
Gen. 17. *grabatum tuum, & ambula. Ambula coram me, & esto perfectus.*

Ambulat Deus super pennas ventorum; quia habitat lucem inaccessibilem: vel quia verbi sui celeritate, corda nostra penetrat: vel quia eius charitas, omnes virtutes superat. Vnde Aug. *Deambulat Deus in nobis præsentia maiestatis, si latitudinem inuenerit charitatis.*

Deambulabat in paradiso, expectans hominem ad pœnitentiam. Vnde est adagium. *Dij pedes laneos habent.*

B. August. de verbis Apoc. serm. 15. Viatores sumus, dicitis (ait August.) quid est ambulare? breuiter dico, proficere.

Ambulare in innocentia, Psal. 25. 84. 100. *Quis ita ambulat, vt nunquam labatur? quia scriptum est. si quis in lingua non offendit, hic perfectus est vir.* lubrica est enim via.

Ambulare in timore Dei, Ne. 5.

Ambulare in lumine vultus Dei, id est in lumine doctrinæ. Psal. 88.

Ambulare in veritate vitæ, est ambulare secundùm spiritum.

Quam vitam Christus instituit. Rom. 6. Gal. 5. *Noli attendere quò sis iturus, sed quò sis venturus.* Quid ergo est ambulare in veritate vitæ, nisi contemnere vanitatem, & fœlicitatem huius seculi?

Ambulare sine vestimento, est carere bonis operibus, vel malis abundare. Iob. 24.

Abac. 1. Ambulare super latitudinem terræ, est sequi viam latam, quæ ad inferna deducit.

Ambulare in via. *Melius it claudus in via, quàm cursor extra viam.*

Ierem. 7. Ambulare post Deos alienos, est hæreticorum impietates sectari.

August. lib. de nouo Cantico cap. 4. Tria hominum genera odit Deus. Remanentem, retro redeuntem, & aberrantem: & cùm ambulantes sumus, alius tardius ambulat, alius celerius: ambo tamen ambulant. Excitandi sunt ergo remanentes retrò, redeuntes reuocandi, errantes in viam reducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi. Noli in via remanere, noli retrò redire, noli deuiare. Remanet qui non proficit: retrò redit,

qui

qui ad ea reuoluitur, vnde iam absceſſerat: deuiat, qui apoſtatat.

De Amicitia.

Amicitia ſanctum, & venerabile nomen, mentis, ac voluntatis affectum ſignificat. Eſt enim amicitia voluntas mutua erga aliquem, cum pari eius voluntate: & dicitur amicus, quaſi animi cuſtos. Numiſma quippè ad amicos comparandos idoneum, eſt ſola beneuolentia, propenſuſque in alterum amor, virtuti coniunctus. Differt amicitia ab amore, & charitate: amicitia elicit habitum, amor actum, charitas vtrumque: dilectio addit electionem, quæ eſt in voluntate. *D. Auguſt. in epiſt. ad Martianum eiuſdē fermè verbis definit. amicitiam.*

Vera amicitia conſtat ex mutuo concordiæ ligamento: quia ſicut fluuij in multos deducti riuos, lentiorem habent curſum: ita vehemēs amor in multos diſperſus, haud dubiè marceſcit. Columbæ propter mutuā inter eas amicitiam, in eodem columbario commorantur, & quæ modò pugnarunt, iungunt ſua roſtra: ita amicitia hominū charo nodo dulcis eſt, nec anguſtis finibus eſt terminanda: neque cum fortuna mutanda.

Amicitia debet eſſe conſtans, vera, & firma. Conſtans; quia *Frater in anguſtijs comprobatur.* Vnde nec tormentum ſeparat, neque labor ſuperat, quem vera amicitia confœderat. Diu ergo cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit. Vera debet eſſe amicitia; quia nemo poteſt eſſe veraciter amicus hominis, niſi fuerit ipſius primitus veritatis. *Prou. 17.*

Quatuor faciunt hominem Dei amicum. Docet quoque natura inter homines amicitiam, quia nihil eſt tam graue, quod delere poſſit extrema naturæ veſtigia: quod etiam in corpore noſtro inſinuari poteſt, vbi vno membro patiente, cætera compatiuntur. *Aug. Epiſt. 2. ad Maced.*

- Iuſtitia,
- Cordis mundi-tia,
- Præceptorum cuſtodia,
- Aduerſorum tolerantia.

Primùm eſt iuſtitia operans per dilectionem. Iacob *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & ideò amicus Dei appellatus eſt.* Cordis munditia. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum* *Iac. 2.* *Prouerb. 22.*

amicum regem. Præceptorum custodia. *Vos amici mei estis, si feceritis quod præcipio vobis.* Magna profecto est Christiani hominis dignitas, qui amicus Dei dictus est. *Ioan. 15.*

Aduersorum tolerantia. *Abraam tentatus est, & per multas tribulationes probatus, amicus Dei appellatus est.*

Quatuor reddunt hominem amabilem: Verborum modestia. Mansuetudo. Fidelitas. Beneficia.

Vera amicitia habet concordiam, fiduciam, constantiam: quia non est solidus, sed fluidus, qui in amicitia non manet.

Primò, verborum modestia. Sapiens in verbis amabilem se facit: ergo vt ameris, amabilis esto.

Mansuetudo, est ad veram amicitiam. In mansuetudine opera tua perfice: nam virtus, familiaritas, & dulcis vitæ consuetudo nutriunt veram amicitiam. Mansuetudo quoque facit, vt amicorum incommoda æquo animo tolerentur: quod est amicitiæ insolubile vinculum.

Fidelitas: si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima. Vnde neque facilè amicos quoscunque obuios complecti debemus, nec eos mox in amicitiam recipere: nec protinus eligendum est, quicquid se sponte offert: quando rubrum, spinásq; nos complectentes, ac sedulò prosequentes discutimus. Fidelis debet esse amicus alteri; quia amicum in aduersitate positum deserere, turpe est: fidelis sit, vt eum à calumniis tueatur: nam amicum qui non defendit, alio culpante, ille fugiendus est Hor. Lyricus.

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, re.
Hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Beneficia: Si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Studeat ergo homo amare Deum, & non amabit in homine nisi Deum: si amas amicũ, quia aliquid tibi præstat: non illum amas, sed illud, quod præstat. Amicus gratis amandus est propter se, non propter alium. *Hor. lib. 1. Satyr. 4.*

Amicitia nil dedit natura maius, nec rarius, quæ tamen inter pares contrahenda est. Vnde quidam ait.

Exige amicitias, & tibi iunge pares. *Ouid. lib. 3. de Trist.*

Gen. 2. Habes de amicitia. Lucæ. 14. Iud. 8.

Iud. 8. Lucæ 16.
Psal. 87.118.138. 2.Cor.8.
Esther. 5.
Oseæ. 11.
Cant.2.amore langueo.
1. Regum 18. de Ionatha, quem Dauid rex dilexit, sicut animam suam.
Iob. 20.

Amor Dei.

AMor est actus,quo voluntas diligit, vel acceptat aliquod obiectum conueniens. Iste affectus ad quatuor potest dirigi:ad Deum,& dicitur charitas:ad proximum,& dicitur dilectio:ad æterna,& dicitur affectio:ad diuitias,& dicitur cupiditas,Hic amor mundi quatuor inducit,ambitionem,obliuionem,carnalitatem,cupiditatem, Prou. *Qui amat vinum,& pinguia,non ditabitur.* Qui amat,ecce ambitio:vinum,ecce obliuio:& pinguia,ecce carnalitas:non ditabitur,ecce cupiditas. Amoris dulcedine nihil iucundius in hac vita,si tamen collocetur in Deo:in quo est veræ dilectionis plenitudo. Nulla passio violentior, nulla rapacior, quæ minus sinat animam esse sui iuris,cum sit omnium passionum prima origo. Prou.21.

Quæ præstantior seruitus, quàm ipsi inseruire?
Quæ maior spes,quàm ipsum timere?
Quod studium vtilius,quàm Deum quærere?
Quod dignius opus,quàm Dei voluntatem facere. *Vbi amor,ibi oculus.* D.Bern.

Summum bonum diligere, est summa beatitudo. *Quid petit Deus à te,nisi quòd diligas eum,& ambules in viis eius?* Deut. 4.

Amor est pædagogus, ducens nos ad Deum, qui dat homini gratiam, custodit à peccato, ornat pœnitentem, eleuat animam:sicut ignis eleuat vapores aquæ,dum eam calefacit.

Quatuor inducunt nos ad Dei amorem.
- Timor pœnæ,
- Dolor pœnitentiæ,
- Spes veniæ.
- Amor iustitiæ.

Ita sanè quater vocatur Anima in Canticis. *Reuertere,reuertere Sunamitis, reuertere reuertere,vt intueamur te.* Reuertere Cant.

tere per timorem pœnę, per dolorem pœnitentię, per ſpem veniæ, per amorem iuſtitiæ.

Duo ſunt gradus diuini amoris. { Deum diligere, Ordinatè diligere.

Si verè diligitur Deus, diligitur, vbicunque inuenitur, in ſeipſo, in proximo, intus, & foris, ſurſum, & deorſum, longè, & propè.

Amor Dei quatuor effectus producit in nobis. Vnit certè diuinus amor, cuius indoles talis eſt: vt per ſeipſum accedat ad Deum, & illi cõſtanter hæreat, familiariter percunctetur, conſulatque de omni re. Nec mirum, ſi id præſtat diuinus amor; quia in humanis (vt Plautus ait) amaſiæ viſio amanti ebibit ſanguinem. cum tacitum viuit ſub pectore vulnus: ita oramus, *Fiat voluntas tua*: concordat Apoſtolus. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum illo.*

{ Vnit, & rapit. Transformat, adeo enim amor ſua vi immutat amantes, vt vix cognoſcantur. Cauſat peccati odium, & animi languorem.

Aug. in ſuis meditationib. cap. 31.

Amoris diuini dulcedo in tribus cognoſcitur.

In recordatione remiſſionis peccatorum. *Suauis Dominus vniuerſis.*

In recordatione beneficiorum Dei. *Memoriam abundãtiæ ſuauitatis narrabunt.*

In guſtu vitæ æternæ. *Guſtate, & videte, quoniam Dominus.* Vnde legitur de B. Anſelmo, qui volebat ſibi exſiccari viſcera propter amorem Dei. Quod tamen non eſt intelligendum de viſceribus propriè: ſed intelligit intimos carnis appetitus: vel ſiccationem viſcerum vocat vulnera charitatis, qua anima languet ex Chriſti abſentia, & in pectore, atque in corde magnum facit incendium.

Bonauentura in 4. Sen.

Quatuor ſigna amoris in peccatore. { Cognitio peccati, Detectio vulneris, Satisfactio, Sancta conuerſatio.

Amare conuenit Deo, non quatenus dicit affectum aduentitium, ſed prout amare dicit bene velle. { Peccatores, Incipientes, Proficientes, Perfectos,

Amat Deus præcipuè quatuor hominum genera.

Pecca

Peccatores diligit Deus, ob carnis infirmitatem, sed nõ peccata. *Misereor super turbam: quia triduo sustinent me, nec habent quid manducent.*

Triduum peccatoris est.

Velle, Scire, Posse, — Hæc in peccatore deessent, nisi suppleret clementia Saluatoris.

Amor Dei duplex. — Absolutus, & est diuina voluntas. Respectiuus, qui respicit ordinem naturę, & diuinæ voluntatis conformitatem. Ideò amor amore impeditur: neque succedit amor vtilis, nisi noxius secedat.

Diligendus est Deus tripliciter. — Integraliter, Fideliter, Perseueranter.

Integraliter, quia in toto corde: sed quid est ex toto corde? vt omnia alia, vel diuitias, & honores postponas. Arbor non crescit multùm, nisi priùs virgulta resecentur; ita cor hominis non diliget Deum ardenter, nisi proprio amore denudetur. Deuteron. *Circuncidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Deum tuum ex toto corde tuo.* Deut. 30. Requirit Deus totum cor. *Fili mi, præbe mihi cor tuum*; quia illud potest implere solus, qui solus creare potuit. Auguſt. *Totum exigit te, qui fecit te totum.* S. Aug. Imitandi sunt, qui in arte schachica præstant: priùs enim deliberant, in qua sede possint collocare peditem, vel equitem, ariphilum, & eiusmodi, ne ab aduersario victi succumbant: ita amans per omnia debet collocare amorem suum in tuto. Decepta es, ô anima, si credis simul habere sponsum tuum Christum, & adulterum diabolum. Non est censendum purum aurum, nisi in igne probetur, ac separetur à scoria: nec censendus est purus amor, si habeat aliquid carnalitatis commixtum: ita Pilatus miscuit sanguinem Christi sacrificio Galileorum. Luc. Hoc proinde fit, quando id, quod debet diligi secundùm spiritum, carni tribuitur. Gal. *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini.* Luc. 12. Gal. 3. Debet itaque Deus diligi integraliter. id est, ex toto corde, ratione creationis, & recreationis. Ber. *Ecce Domine, quia fecisti me, debeo me amori tuo totum: & tantùm debeo, plusquam* D. Bern.

quam meipſum, quanto tu maior es mé, pro quo dediſti teipſum. Secundò diligendus eſt Deus Fideliter, hoc eſt ipſum diligere ex tota anima: ſicut ipſe dilexit nos; quia maluit Chriſtus propriam animam ſeparari à corpore, quàm ab eo ſeparentur animæ noſtræ: ita portò fecerunt Martyres, qui deſpecta præſentis vitæ luce, contemptóque ſuorum corporum cruciatu, ſæuientem mundum pro Dei amore vicerunt. *Sapien. 3.* *Fideles in dilectione acquieſcent illi.* Fideles appellat ſapiens veros amatores; quia fidelem amorem tormentum non ſeparat: labor non laſſat: theſaurus non *Rom. 8.* ſuperat. alienus: amor non occupat. Rom. *Quis nos ſeparabit à charitate chriſti?* qua ſcilicet Deus dilexit nos, vt exponunt B. Ambroſ. Auguſtinus, & Chryſoſtomus. Tribulatio, id eſt afflictio corporis: vel potiùs per tribulationem omne genus aduerſitatis comprehendit, anguſtia, ſiue anxietas, quæ eſt conſilij, animique inopia, quæ præ difficultate contingit. Hac premebatur Abraham, cum dixit vxori. *Dic quod ſoror mea ſis,* &c. amanti itaque ſunt omnia dulcia. Omnia grauia, leuia, inania & propè nulla facit amor. *D. Auguſt.* *Nihil eſt fortius animo* (ait Aug.) *charitatem habente: ſi occiderit* *Iob. 8.* *me, in ipſo ſperabo.* Iob. Canis ſequitur dominum ſuum, etiã inuitum. Mulier capta amore carnali omnia ſuffert; labores exiſtimat nuptiarum iocum: multò magis id in nobis effecit diuinus amor. Auguſt. *Si tanta portat nobis cupiditas, quare tanta non portat charitas?* & Chryſ. *Si nauis pericula, maris glacies, & frigora agrorum cultoribus. Vulnera militum leuia exportabilia ſunt ſpe lucri temporalis: quanto magis, qui Deũ amat, nullum debet ſentire periculum.* Nam ſicut ferrum cali-*D. Auguſt.* dum (teſte B. Auguſt.) dum tunditur, dilatatur: frangitur autem frigidum. Sic homo non eſt aptus bene operari, niſi *Iren. 1.* calefactus fuerit igne charitatis. *De excelſo miſit ignem in* *S. Auguſt.* *oſſibus meis, & erudiuit me.* id eſt ad bene operãdum, Amantis anxietas non ſinit eum dormire: dolet, & non ſentit: laborat, & non laceſcit: deridetur, nec aduertit: idem. *Qui a-*
Geneſ. 31. *mat, non laborat.* exemplum de Iacob Gen. *Die noctuq; æſtu*
Cant. 8. *vrebar, & gelu: fugiebat ſomnus ab oculis meis.* Cant. *Si dederit homo totam ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione ſua habenda, quaſi nihil deſpiciet eam.* Glo. Vbi abundat amor æternorum: mox vileſcit amor terrenorum.

Aman

Amandus est Deus ratione { Attinentiæ, Deliciarum, Beneficentiæ, Retributionis.

Ratione attinentiæ, quia pater noster est. Matth. *Patrem nolite vocare super terram. Vnus est enim pater vester, qui in cœlis est. S. Deus.* si filius naturaliter amat patrem, vtpotè habens ab eo partem corporis: eò magis tenemur Deum diligere, qui corpus, & animam ex nihilo creat. Vnde. Aug. *Amandus est genitor, sed præponendus est Creator.* Ecc. *In omni veritate tua dilige eum, qui te fecit.* Matt. 23. B. Augu. Ecc. 7.

Secundò amandus est Deus; quia delectationes in dextera eius. Ber. *Si tanta inuenitur delectatio in portiuncula creatura, quanta inuenietur in ipso Creatore?* Aug. *Quicquid præter Deum est, nihil est, dulce non est.* Dulcedo mellis tollit omnem alium saporem. Licèt impius (vt ait Isidorus) dulcedinẽ Dei non sentiat, quia de febre iniquitatis palatũ cordis amisit. Ber. Aug. Isid.

Amandus est causa beneficentiæ. Ber. *Multum de nobis Deus meruit, quia seipsum nobis in pretium dedit.* Nullum lignum est adeo humidum, quod in fornace non accendatur, Carbones succensi sunt ab eo. Ber.

Ratione retributionis, quia ab eo sperantur bona, quæ oculus non vidit, nec in cor hominis intrauit. 1. Cor. 2.

De amore Dei habes.

Deut. 6. 7. 10. 11. 30. Ioſue. 22. Pſ. 17. 46. 109. 114. 118. 144. 146. 148. Prouerb. 3. 50. Ecc. 13. 45. & 43. 45. Dan. 14. Mal. 1. Ioſ. 3. 8. 14. 15. 15. 17. 21. — Matth. 17. 22. Lu. 6. 7. Rom. 5. 8. 9. 12. Cor. 2. 13. 14. 2. Cor. 5. 6. 12. Gal. 6. Eſt. 1. 2. 3. Tim. 12. 2. Tim. 1. 2. 3. 10. 2. 3. 4.

De amore ſui.

CHaritas tres habet oculos. Diligimus Deũ toto corde, id est toto intellectu, vt { In Deum, In proximum, In seipsum, } Diliges Dominum Deum tuum, hic est primus oculus: & proximm, hic est secundus. Sicut teipsum: hic est tertius.

nullum in confessione Trinitatis relinquas errori locum: tota anima: id est voluntate, vt nihil ei contrarium velis: tota mente, id est in memoria, vel nil reminiscens, quominus de eo sentias.

Amor proprius, est veluti lapis pretiosus, qui si plumbo addatur, perdit valorem: si auro, acquirit: ita proprius amor, si collocetur in Deo, est pretiosus: si in terrenis, est vilis.

D. Chrisſ. Omnium malorum causa est amor sui. Chrisſ. *Et radix & fons hominem excæcat, & perdit. Vehementer claudit oculus*
D. Greg. *amor priuatus* (ait Greg.) *qui nimis amat se, perdit se; quia nimis solicitus est sui, nimis sibi blanditur. Qui amat animam suam,*
Ioan. 12. *perdit eam.* Vnde B. Aug. *Si malè amaueris: tunc odisti. Si bene oderis: tunc amasti. Disce ergo amare te, non amando te: quisquis enim amat se, hallucinatur, ac cæcutit in eo, quod amat.*

Magna stultitia est seruum proditorem nutrire, & furem, qui ad patibulum te adducit.

Terra quò magis ferax, eo plures herbas producit. *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos producet tibi.*
Gen 3. Gen. Amor proprius, græcè φιλαυτία peruertit iudicium: offuscat rationem: obscurat intellectum: corrumpit voluntatem: concludit salutis ianuã: venatur honores. Nimirum sua sponte (non aliter, atque hedera) iuuenit quò se alliget.

Vocauit Deus Abraham, & ait. *Egredere de terra tua.* id est, omnia relinque, propter Deum: vnde in Abraham notantur quatuor signa dilectionis

- Omnia relinquere propter Deum.
- Carnem suam affligere.
- Propriam gloriam non quærere.
- Propriæ voluntati abrenunciare.

Amor proprius est, velut cor in corpore: corpori imperat: & hanc molem vi sua moderatur: est sicut vermis, qui corrodit lignum, in quo oritur, & sicut blatta, quæ comedit vestes, *Qui delicate nutrit seruum suum.* id est, corpus suũ à pueritia sua: postea inueniet eum contumacem, id est,
Prouer. 16. Sozom. in Tripart. hist. lib. 8. cap. 1. spiritui repugnantem. Dorotheus Thebeus monachus quotidie lapides ad mare colligebat: annuatimque fabricabat hospitium ægrotis. Huic laboranti quidam dixit. cur ita conficis corpus tuum? cui ille, quia me (inquit) illud occidit.

Amor proprius est triplex.

- Naturalis.
- Criminalis,
- Spiritualis.

Amore

Amore naturali quisque se ipsum diligit. Eph. *Nemo vnquam carnem suam odio habuit.* Nemo est vnquam, qui ad naturæ sensum sic obsurduerit, vt corpus proprium, vel oderit, vel neglexerit; vtcunque gibbosum, obesum, macillentum, deforme, onerosum, & infirmum; immo quæ deformia sunt in eo, abdit. Iste amor nec laudabilis, neque vituperabilis, cum à natura sit: licèt amore ordinato homo diligat imaginem, & similitudinem suam, & vult sibi ipsi bonum, quod congruit. Talis amor est debitus, rectus, & bonus, de quo August. *Rectus amor omnes affectiones animæ rectas habet: metuit enim peccare cupit perseuerare, dolet in peccatis, gaudet in operibus bonis.* Talis amor placet Deo, & ordinat ad diligendum Deum corporaliter. *Eph. 5.* *B. Aug. 14. de Trin.*

Amore corporali homo seipsum diligit: quòad hominem exteriorem: ita primi Angeli in seipsis quiescentes, non fecerunt circulum in Deum, à quo recedentes periere.

Amore spirituali homo seipsum diligit quòad animam. Homo seipsum amans est velut Ericius (ait B. Isidorus) nam cùm primùm videt arborem fructibus onustam illuc conscendit, & poma spinulis quibus tegitur, inuoluit, mox ad cauernam suam graditur: quibus exoneratis, catuli eius nutriuntur: ita ardens sui amator. Es. *Ibi habuit foueam Ericius, & enutriuit catulos suos.* *B. Isid.* *Es. 34.*

In inferno nil aliud ardet, nisi propria voluntas. *Cesset propria voluntas* (ait D. Bernardus.) *& non erit infernus.* *D. Ber.*

Sed vnde profectò oritur proprius amor, nisi ex nimia familiaritate sui ipsius? sibi viuit homo, nec alterius miseriâ suspicit. Hoc est grauissimũ in homine malum (dicebat Plato.) quia nõ poterit esse sui iudex æquus, & incorruptus.

Sola voluntas inter Deum, & seipsum intercedit. Quò magis elongaris à Deo, eò magis ad teipsum accedis. *Duas ciuitates fecerunt duo amores, ciuitatem Dei fecit amor Dei, vsque ad contemptum sui. Ciuitatem diaboli, fecit amor sui vsque ad contemptum Dei.* *B. Aug.*

Frigidum illud verbum (meum & tuum) sunt causa omnis mali, clamat Apostolus. *In nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes, auari, superbi, parentibus inobedientes.* ponit amorem proprium, vt radicem omnis mali: ideò qui seipsum quærit, seipsum inueniet.

Verus amator debet abnegare seipsum, id est, proprio amori, & voluntati renunciare: homo in se habet corpus & spiritum: quò ad corpus, dicit, abneget se, id est, relinquendo diuitias, & delicias, in spiritu autem sunt duo intellectus, & affectus: intellectus iudicat, & affectus appetit, & vult. Debet ergo nedum se abnegare, sed semetipsum: Socrates, cùm post sudorem à palestra collectum, videret alios ad potum confugere, vt sitim explerent: ipse bibere solus noluit: & cum interrogaretur, cur bibere nollet. *Ne consuescam* (inquit) *obsequi affectibus.*

Septem considerationes repellunt à nobis proprium amorem. Breuitas vitæ, qua facilè contemnit omnia, qui se cogitat moriturum: sumus enim similes bullæ, fluxi, & momento caduci: est enim bulla tumor in aqua, præcipuè cum bullit, qui repentè excitatur, & repentè euanescit.

Angustiarum consideratio *In mundo pressuram habebitis.*

Consideratio periculi. *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius.* Consideratio eorum, qui perierunt. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.*

Consideratio seruitutis. *Datum insipientis non erit vtile tibi.* Ingratitudo mundi. Ecc. *Si largitus fuerit, assumet te, & si non habuerit, derelinquet te.*

Ecc. 23.

Consideratio obliuionis sui, & Dei.

In amore proprio potest esse inordinatio, quando homo superbit, vel in aliquo excedit: vel circa bonum naturæ, vel circa bonum legis: cùm quærit quietem carnis vsque ad contemptum Dei.

De amore proximi.

AMor Dei, & proximi ab vna radice prodeunt, & ad vnam fidem tendunt. In sphæra, quando lineæ recedũt à centro, à se inuicem etiam elongantur. Benedixit Deus primo diei, quia vnus. *Et manè dies vnus.* Non legimus benedixisse secundæ diei, quia numerus binarius est numerus diuisionis. Fons, qui in alto oritur, facilè ad ima declinat. Vnde Aug. *Nemo potest veraciter esse amicus, nisi primitùs fuerit amicus ipsius veritatis.* & Grego. *Per amorem Dei, amor proximi gignitur, & per amorem proximi, amor Dei nutritur.* sicut aqua non ascendit, vltra quam oriatur.

Gen. 1.

B. Aug. D. Greg.

Amandus est proximus. Et proximus ille est, qui est tibi prope:

prope: vel qui est valde propinquus. & omnis homo dicitur proximus alteri, vt sunt eiusdem naturæ, & debent inuicem benefacere: vnde proximus dicitur beneficus.

Quatuor sunt creaturarum genera.
- Aliquæ habent esse, vt lapides.
- Aliæ vegetari, vt plantæ.
- Aliæ sentire, vt bruta.
- Aliæ vegetare, sentire, & intelligere, vt homo.

Solus homo est tibi proximus inter has creaturas: quia est tibi propè quoad quatuor gradus. ita *Homo homini Deus* (vt in prouerbio est,) vt intelligas quantum ab homine alienum est, homini iniuriam facere. Vnde (ait B. Aug.) *Omnis quippe homo omni homini est proximus: nec vlla cogitanda est longinquitas generis, vbi est naturæ communis.* Angeli quoque dici possunt proximi, à quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia.

B. Aug. in Psal. 118.

Nomine proximi intelligimus quemlibet, cuius dilectio, & amicitia est grata dilecto. Est autem proximus nomen relatiuum; quia nullus potest esse proximus, nisi proximo, vt notat August.

Diligendus est proximus, sicut teipsum, i. ad quod teipsum, vel in quo teipsum, vel quo ordine teipsum. i. ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro: vel quo amore teipsum: vel sicut teipsum, est velle proximum condiligere, Deum super omnia.

Ioann. Gerson magnus conscientiæ consolator parte 3. de diuersis tentationibus diabuli.

Multiplici amore diligit homo seipsum, videlicet.

Amandus est proximus amore naturali, qui est ipsa res sua sponte amabilis amore, qui est actus voluntatis, quo voluntas acceptat obiectum sua sponte amabile amore affectiuo, & effectiuo si potest. Amore amicitiæ, quo diligit amicũ propter se. amore
- Generali.
- Naturali.
- Animali.
- Amore amicitiæ.
- Amore beneuolentiæ.
- Amore concupiscẽtiæ.
- Amore complacentiæ.
- Amore firmo,
- Amore concordiæ.
- Amore grato. *Fatuo non erit amicus.*
- Amore honesto. *Ab*

re complacentiæ, quo sibi complacet in amore. Finis præcepti est charitas, non vtique habitus charitatis, sed actus: sicut etiam in actu charitatis consistit nostra beatitudo.

amicis honesta petamus.
Amore integro. *cum amico tuo tractas causam tuam.*
Amore fructuoso. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas fortis.*
Amore syncero. In corde, & in ore.
Amore rationali. Arbitrario, & affectiuo.

Item amandus est amore gratuito, non ex præcedentibus meritis, sicut Christus dilexit nos. Aug. Vera amicitia non pensanda est temporalibus commodis: sed gratuito amore peroranda.

Amandus amore recto, non reflexo ad terrena: alioqui non est amare amicum, sed seipsum in amico, sicut canis non relinquit ossa, quandiu aliquid inuenerit, quo nutriatur. Vinea quandiu fructificat, custoditur: amoto fructu,
Isa.50. deseritur, & bestiis exponitur. Isa. *Derelinquatur filia Syon, sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* Quando, scilicet, non sunt fructus: tales sunt, sicut pulli vulpium, qui quando non inueniunt lac in maternis vberibus, mordent dentibus, & lacerant, & tanquam extranea
Gal.5. reputant. Gal. *Quòd si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consummamini.* quibus verbis arguit Galatas iracundiæ, & feritatis: eò tendens, vt seruent charitatem, & vnum sapiant.

Amandus est amore discreto. Nam amor discretus viros amat, & eorum vitia prosequitur. Rom.
Rom.13. *Dilectio proximi malum non operatur: qui enim proximum diligit, neque adulteratur, neque mœchatur, neque furatur, neque huiusmodi quicquam aduersùs proximum operatur.* Vnde ait Glossa. Qui diligit homines: aut quia iusti sunt: aut vt sint iusti, diligere debet: qui aliter se diligit, iniustè se diligit, quia ad hoc se diligit, vt sit iniustus.

Prouerb.17. Amandus est amore perseuerantiæ. Prouerb. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Amor meretricius tandiu durat, quandiu durat beneficium. Flores eò gratiores, quò re-
Eccl.7. centiores. Eccl. *Est amicus socius mensæ, & non permanet in*

die

die necessitatis. i. tribulationis. Sic discipuli comitati sunt Christum ad nuptias: at in passione, eo relicto, fugerunt: de quibus ait Seneca. *Mel muscæ, cadauera lupi, frumentum formicæ prædam, non hominem sequitur ista turba. Incertum est* (ait Greg.) *in prosperitate vtrum possessor, vel prosperitas diligatur.* Seneca.

Amandus est quoque amore reciproco, vt sit rota in medio rotæ, id est, alter debet habere alterum in medio sui, id est, in corde, per dilectionem, & amorem: sicut inter duo specula imago vnius resultat vsque ad intima alterius: & vt ferè vnum habet, aliud in medio sui, quatenus imago vnius in altero splendet. ita inter proximos tanta debet esse conformitas, vt alter alterum in seipso iugiter contineat: vt dicere possit illud Lucæ. *In medio vestri sum.* Lucæ 22. Contractus amoris sit intrinsecus. Prouerb. *Marsupium sit vnum omnium nostrum.* Prouerb. 1.

De proximo habes.

Deut. 23. Ingressus vineam proximi tui.
Tobiæ 5.
1. Regum 14.
Zach. 14.

De amore inimicorum.

NIhil tam ab homine constat alienum, quàm odisse hominem: quippe qui à consortio, & concordia vitæ homo appellatus esse videtur. quod Græcè ὁμογνὼς concors. ὁμόνοια, i. concordia, consensus dicitur: sic homini nihil magis cõsentaneum, quàm diligere hominem, cum eóque amicè agere. Amor inimicorum, est veluti radius solis, qui penetrat intima terræ, & producit mineralia in viscеribus terræ: ita amor inimicorum producit in nobis mutuæ charitatis affectum.

Amor Dei, & proximi sunt duæ alæ animæ, quibus ad sublimia eleuatur.

Amandus est inimicus triplici ratione: sed inimicus propriè est, qui odio aliquem prosequitur, atque mala ei procurat.
- vt Christum imitemur,
- vt magis lucremur.
- ne ingrati iudicemur.

Primùm vt Christum imitemur, *qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis*: dilexit nos amore alto, amplo,

grato, perpetuo, & nunquam interrupto. *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christus.* Ephes. id est cum essemus mortui per peccata, conuiuificauit nos. Nos Christo conuiuimus, cùm quo Deus nos simul viuificauit.

Ephes.2.

In tribus præsertim cognoscitur hæc nimia, & superabundans charitas Christi.

- Omnem paupertatem in seipso habuit.
- Amicos suos morti exposuit.
- In seipso mortem pertulit.

Matth.5. Ita nos Christum imitari debemus. *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* Qui ergo bene vult inimico suo (ait Aug.) Deo similis est. Nec ista superbia, sed obedientia est; quia ad imaginem Dei facti sumus.

B. Aug. super Psalm.70.

Ier. secundo.

Matth.18. Vt magis lucremur. Valet mutua charitas ad faciliorem orationum exauditionem. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* Qui enim diligit inimicum, carbones ignis coacervat in caput eius: tunc adiungit quis prunas ad caput, cum ei lædenti tantùm abest, vt vicem reddat, vt etiam bona præstet, ne per hoc illum faciat grauiori pœnę obnoxium, si beneficij gratia minimè discedat ab odio. Vel ad aliam accommodari potest sententiam, vt per carbones ardorem charitatis intelligamus: fit enim nonnunquam, vt inimicus crebris victus beneficiis odiorum rigore emollito, calorem in mentem charitatis excipiat, ac sic de inimico amicum fieri ita perspicuè declarat. Origen. in Hierem.

2. Cor. vlt.

Prouerb.

Origenis.

Valet etiã ad dulciorem præsentis tristitiæ consolationem. *Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici consilijs anima dulceratur.* Aqua marina potui quidem inutilis est, & insuauis: verùm alit pisces: commodè transmittit, quocunque velis proficisci: importandis, exportandísq; rebus seruit. Inimicus est velut horologium, quod & si intemperatè sonet, excitat tamẽ nos à somno. Ciuitas, quam finitimus hostis inuadit, sobrietatem, & vigilantiam docet: leges obseruat diligẽtius, & rectius administrat Rempub. Ideo amor cordis in hostibus est collocandus, in quibus est fructuosior, & magis vtilis. Mercatores libentius exercent

Prou.27.

exercent merces, ex quibus maius lucrum emergit. In terra magis fertili iacitur semen: fortior est ignis, qui ardet in aqua, vel humido; quia inuenit, quod sibi resistit. *Sibi diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* quasi dicat paucam, vel nullam; quia canes, & bruta, & pagani hoc idem faciunt.

Tertiò, ne ingrati videamur, debemus inimicum diligere: nam ex charitate omnes diligendi sunt, tam boni, quàm mali: propinqui, extranei, amici, & inimici. Omnis enim, qui potest à nobis bene pati; vel bona passione exteriori, vel bona dilectione passiua, est noster proximus. quod probatur sententia subtili ex parabola Lucæ: ille est proximus, qui fecit misericordiam: qui tamen erat extraneus. *Vade, & tu fac similiter.* id est ille sit sibi proximus, cui potest benefacere. Proximitas siquidem est relatio æquiparantiæ. Vnde B. Aug. cum dicit *Diliges proximum*, nomine proximi omnem hominem vult intelligi. *Luc.* 10. *B. Aug.* 1. *de doct. christ. d.*

Non est vera charitas, nisi affectu diligat omne diligibile. S. Bonauentura ponit duplicem affectum amoris. *Bonauen. in* 3. *dist.* 30.

{ Innocentiæ,
{ Beneficentiæ.

Affectu Innocentiæ tenemur inimicos diligere: at diligere affectu beneficentiæ perfectionis est. Quare pium est laborare pro vita proximi saluãda: quia supponendum est, si est bonus, euadet melior: & ita sibi, & aliis proderit sua bonitas: si malus supponendum, quòd corrigatur. Hoc enim est piè iudicare. *Scot.* 3. *sen. dist.* 30. *in fine.*

Adde, debemus proximum, & inimicos nostros diligere, vt præmium consequamur. Vnde B. Aug. Si te aliquis homo diues in hoc seculo vellet adoptatiuum filium facere, quo modo seruires: aliquoties turpissima sustineres seruitia, vt ad caducam, & fragilem hæreditatem illius peruenires. Quod ergo alius sustinet propter substantiam terrenam, sustine propter vitam æternam. *D. Augusti. in serm. de S. Stephan.*

Gen. 49.
Exod. 23.
1. Reg. 2.
Isa. 26. 59. 66.
Psalm. 8. 16. 53. 118.

De inimicis habes

Ierem. 12.
1. Thess. 2.
Rom. 2. 11.
Sap. 2.

De Anima.

Vide Ioann. Gerſ. tract. 2. ſuper Mag.

ANima,quæ eſt præcipua pars animalis(vt ait Guliel-mus Scotiſta)dicitur ab animando : ſicut ſpiritus dicitur à ſpirando : vel vt alij deducũt ab à,id eſt ſine, & næma, id eſt ſanguis,eo quòd ſit ſine ſanguine, id eſt macula fœditatis.Alij deducunt ab ἀεὶ quod eſt vita,& νέμειν quod eſt tribuere, eo quòd anima vitam tribuit. Ego puto verius animam deduci ab ἄνεμον id eſt ventis,quod ſpiritus ſit. Vnde anima rationalis debet quàm maximè ſpirare ad cœleſtia bona. Eſt autem anima præcipua pars animalis, maximè hominis,cuius eſt immortalis. Quamobrẽ Ariſt. peripateticorum princeps vocat actum corporis, quia eſt forma perficiens, quæ informat corpus, & dat eſſe illi, & viuere,tanquam rector, & motor corporis.

D. Auguſt. in lib. de ſpiritu. & etiam. c. 24.

Anima ſortitur diuerſa nomina, iuxta varios effectus, quos producit in nobis. Dicitur anima,dum vegetat:ſpiritus, dum contemplatur : ſenſus,dum ſentit : animus, dum ſapit prudenter:mens, dum intelligit:ratio,dum diſcernit: memoria, dum recordatur : voluntas, dum conſentit. Iſta non differunt in ſubſtantia, quemadmodum in nominibus : quoniam omnia iſta, vna anima eſt.

Animæ dignitas perſpicuè habetur ex triplici cõditione.

Prima eſt creationis;quia ab ipſo Deo creata eſt immediatè. Secunda eſt conditio durationis. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt:& non tanget illos tormentum mortis. Sap.* *Sap. 3.*

Tertia conditio eſt ratione finis; eſt enim naturæ tam nobilis,quòd Dei eſt capax. Vnde (ait D.Bernard.) *Cæteris omnibus occupari quidem poteſt,repleri omnino non poteſt.* Capax enim Dei eſt, & quicquid Deo minus eſt,non eam adimplebit,Matt. *Quid prodeſt homini,ſi vniuerſum mundum lucretur: animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua.* Aug. ſicut non eſt à carne,ſed ſupra carnem, quod eam facit viuere:ſic non eſt ab anima, ſed ſupra animam,quod eam facit beatè viuere;quia vt vita carnis anima eſt:ita beata vita hominis Deus eſt.

D. Bernard.

Matth. 16.

Aug. lib. de vera Innocentia. cap. 167.

Multa

Multa facere debet Anima, vt rectè subiiciatur Deo, & perpetuo timore illi inseruiat.

Primò effundere se coram Domino, per deuotionem. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam.* August. *Soliloq.* ca. 10. *Omnia Domine sub pedibus hominum subiecisti, vt solus homo super omnia tua constitutus, tuus esset solus.*

2. Leuare se ad Deum. *Ad te leuaui animam meam.*

3. Subiicere se per humilitatem. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?*

4. Renuere omnem temporalem consolationem. *Renuit consolari anima mea.*

5. Soli Deo per fidem viuere. *Iustus autem ex fide viuit.* *Abac.* 11.

6. Dona Dei scrutari. *Ideo scrutata est anima mea.*

7. In bonis Domini demorari. *Anima eius in bonis demorabitur.*

8. Delectari, & exultare. *Anima mea exultabit in Domino, & lætabitur in salutari suo.*

9. Deum desiderare super omnia. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum.* *Psal.* 42.

10. Quamdiu viuit, Laudare Deum.

Anima peccato obnoxia sanitatem consequitur.

- Per peccati cognitionem, de qua ait B. Aug. *Si homo cognoscit, Deus ignoscit.* *Aug.*
- Per peccati detestationem. Esa. *Si reuertamini, & quiescatis, salui eritis.* *Es.* 30.
- Per perfectam cordis contritionem. Psalm. *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* *Psal.* 146.

Animam cæcutientem tria illuminant.

- Fides. *Respice, fides tua te saluum fecit* Luc. *Luc.* 18.
- Dilectio. *Vnge collyrio oculos tuos.*
- Apocal. *vt videas.* id est, dilectione. *Apoc.* 3.
- Sacra verbi Dei auditio Greg. *Nullum adeò certum perditionis signum, vt non libenter audire verbum Dei.* D. Greg.

Anima

Vide hab. doctorem sanum & maturè li. 2. dist. 18. q. 1.

Anima non est ex traduce, vt anima sit decisa ab anima: neque est ex traduce, vt sit propagata, vel educta de materia tanquam per aliquod principium effectiuum: verùm immediatè creatur à Deo: vnitur autem corpori quadruplici ratione.

Primò, vt ostendatur nouum exemplum beatæ vnionis, quæ est inter Deum, & spiritum.

Secundò, Anima seruiens Deo in corpore maius habet meritum. Nam vbi est maior pugna, ibi maior victoria, & per consequens maior corona.

Deinde, vt ex defectibus corporis habeat causam humiliandi; Vnde D. Bernardus. *Quid superbis cinis: cuius nasci culpa: viuere pœna: mori angustia?*

Quartò, vt sicut in hac vita meretur cum corpore: ita in futura cùm corpore coronetur.

De Animæ Immortalitate habes.

Gen. 37. Credidit Iacob spiritum Ioseph esse in inferno.
2. Regum 12.
3. Regum 17. orat Helias. Reuertatur, quæso, anima pueri huius in viscera eius.
Thobiæ 2.
Mar. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus.
2. Cor. 5.
Phil. 1.

De aspectu Diuino.

QVæ pretiosa sunt, libenter solent inspici: nam aspicere, est oculis aliquid contemplari: aspicere quoque conuenit Deo, quem nihil latet, sed omnia illi sunt præsentia, omniáq; intuetur. *Oculi Domini multò lucidiores sole, circunspicientes omnes vias hominum.* Ecc. Dicitur autē Deus quendam aspicere, cum succurrit, aut approbat vt. *Respexit Deus munera Abel.* approbauit.

Eccles. 24.
Genes. 4.

Quatuor modis aspicit Deus.

- Per incarnationem,
- Per gratiæ infusionem, præsertim verò erga tria hominum genera, erga peccatores, erga tribulationes sustinentes, erga pœnitere volentes.
- Per flagellationem.
- Per approbationem.

Aspe

Aspectus Dei septem effectus producit in nobis,

- Timorem diuinum incutit.
- Bonum propositum inspirat.
- Culpam remittit.
- Tempus redimit.
- Peccatores punit.
- Dona Dei multiplicat.
- Ab omni miseria liberat.

Primò siquidem timorem diuinum incutit: sicut reus ex aspectu iudicis terretur: sic peccator ex Dei aspectu. *Rex enim, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo* Prouerb. *Qui respicit terram*, id est cor terrenum, *& facit eam timore.* Prou. 20. Psal. 103.

Honora eum, qui vniuersa respicit. Matth. Matth. 25.

Secundus effectus est boni propositi inspiratio. Dimitte vniuersa delicta mea. *Respice in me, & miserere mei.* Psal. 31.

Culpā remittit per gratiā. Psal. *Remisisti iniquitatē peccati mei.* nec mirum, quia oculi domini, quasi flamma ignis: cor verò peccatoris, quasi gelu, quod ignis calore soluitur.

Tempus redimit. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt:* quasi mercantes, & ementes. Tempus hoc loco occasionem sonat, siue opportunitatem, quam vult Paulus Apostolus emi cæterarum rerum dispendio. Ephes. 5.

Tribulationibus quoque, & flagellis peccatorem punit, & ad se adducit. Exod. *Iam aduenerat vigilia matutina: & ecce Dominus respiciens super castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubes.* id est, intolerabiles imbres. *& subuertit rotas curruum.* auferens operatores feruentes ad patrem. Exod. 14.

Dona sua multiplicat. Eccl. *Deus in terram respexit*, & in hominem humilem, & repleuit eam bonis suis spiritualibus. & Psal. *Valles abundabunt frumento*: per valles (ait Cassiodorus) intelligit humiles; quia nihil his humilius, qui in quadam terræ concauitate descendunt. Hi frumēto abundant: sicut ille publicanus, qui nec oculos audebat ad cœlum erigere, nec aliqua meritorum præsumptione confidere: ideò frumento abundabat. Eccl. 25. Psal. 64. Cassiod. in expos. Psal. 64.

Ab omni denique miseria liberat. *Miserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende lumen miserationum tuarum:*

Aspe

Aspectus malus, multa mala inducit.
- Gulam prouocat,
- Auaritiam incitat,
- Superbiam prouocat,
- Iram concitat.
- Accidiam fouet.
- Ad libidinem inflammat.

Genes.3. De primo Genes. *Vidit mulier lignum, quòd esset bonum ad*
Matth.14. *vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile.*
B. Ambr. De secundo. *Ostendit ei omnia regna mundi.* Vnde B. Ambros. *Mens auari semper aurum, semper argentum videt.*
D. Bern. De tertio (ait D. Bern.) *Lucifer videns filium Dei æqualem patri, voluit assimilari ei, vt esset æqualis. Vnde dixit in corde suo, similis ero Altissimo.* Accidit diabolo diuinam æqualitatem appetenti, vt Bufoni (vt vulgus dicit) de quo fabulæ narrãt, qui volens boui assimilari in amplo prato depasceti, adeò intumuit, vt statim medius crepuerit.

De quarto, habes exemplum de fratribus Ioseph, quem cùm viderent fratres à patre maximè diligi, tanto persecuti sunt odio, vt nec quicquam possent ei pacificè loqui.
Gen.28. De quinto. Accidiosus visa temporis intemperie, non audet exire ad opus, sed torpescit in domo.
Eccles.24. De vltimo. Eccl. *Propter speciem mulieris multi periere, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Dauid videns Bersabeem, captus est amore illius. Quare Christus ait. *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si oculus tuus scandalizat te, abscide eum,* id est remoue omnes affectus, &
Iren.4. passiones ab illo sensu prouenientes. *Oculus meus deprædatus est animam meam. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.* Vnde Beatus Augustinus in Reg. *Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habetis oculos impudicos; quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius.* Castitas non amittitur, nisi per mortale, ergo talis aspectus est mortale.

Ex quo apparet, quàm graue sit, festis diebus hinc inde vagari, vbi diuersa peccata committuntur: facies earum ventus vrens. Nam aspectus mulierum quendam afflatum, & instigationem libidinosam in aspicientem generat.

Vrit

Vtrque videndo
Fœmina.

Habet oculus palpebras, vt repellat quicquid noxium illi euenerit: & cilia, quia mouent, & repellunt aërem circunstantem. Cùm aliquis inflectit oculos aliorsum, necesse est, vt visione multarum rerum permotus valde afficiatur.

Aspectus hominis debet esse.

Gratiosus, Dolorosus, Virtuosus, Rigorosus, } Vt illatæ iniuriæ obliuiscatur. Vt æquo animo sustineat. Vt virtutes amplexetur. In comminationibus.

De aspectu Euæ incauto habes.
Gen. 4. 6. 9. 12. 34. 38. 39.
Exod. 29. Dan. 13.
2. Reg. 11. de aspectu in incauto Dauid.
Dan. 12. de aspectu senum in Susannam.

De benigno aspectu Dei habes.
Gen. 18. 30. 31. 32.
Exod. 22. 23. Num. 12. 14. 15. 23.
Iosuæ 10. 28.
Danielis 3. 13. 14.
Ioannis 2.
Matth. 15.
Lucæ 15. 19.

De Baptismo.

BAptismus, id est lotio, vel lauatio Græcè, baptizare apud nos lauare est. Aulus Gel. Lauatrinas, vel aquariola appellat, vbi quis commodè lauari potest: & baptismata Iudæi appellabant lotiones corporum, & vasorum. *Aul. Gell. in noc. Atticis. Lotio est vsus, vel affectus aquæ, ait D. bon. lib. 4. dist. 3. q. 1.*

Tria sunt sacramentalia, ceu præludia, quæ baptismum ipsum præcedunt.

Baptismus Ioannis, Exorcismus, Cathechismus, } Baptismus iure habebat eiusmodi præparatoria, tanquam ianua paradisi, & sacramentum fidei, quo initiamur: vt simus Christiani. Est enim primum fidei sacramentum, quasi basis, & fundamentum totius Catholicæ disciplinæ.

Baptismus Ioannis, exterius præparabat ad baptismum Christi, à quo tantùm differt, quantum præparatio à medi

medicina. Ipse solus erat minister baptismi. Exorcismus cohibebat potestatem diaboli. Cathechismus erat ad instruendum intellectum baptizandi. Baptismus Ioannis nõ dicitur sacramentum, sed sacramentale, siue præparatio ad sacramentum: sicut torneamentum, in quo milites assuescunt, non est bellum. Est ergo veluti transitus inter sacramenta veteris, & nouæ legis. Conuenit cum sacramentis veteris legis, quò ad significandum; quia non efficiebant, quod figurabant quò ad materiam: conuenit cum baptismo nouæ legis; quia in aqua pura, & lustrali. *Ego baptizo vos in aqua, ipse autem baptizauit in Spiritu sancto:* id est, per me non datur Spiritus sanctus, vt purificati dicantur filij: hoc enim Saluatori reseruatum est. Nam per baptismum Ioannis, non conferebatur gratia ex opere operato, nec ex consequenti remissio peccatorum: nec propterea superuacaneus censendus; quia excitabat baptizatos ad deuotionem habendam. Præparabat homines ad baptismum Christi, & reuocabat Iudæos à circuncisione.

{ Christus baptizari voluit à Ioanne triplici ratione.
Vt manifestaret virtutem humilitatis.
Vt approbaret baptismum Ioannis.

B. Aug. in lib. quæst. veteris & noui testa. Vid. Aug. li. 1. contra Iulianum.

Vt monstraret in descensu columbæ Spirtum sanctum, vel quia contactu suæ carnis mundissimæ tribuitur Christo, non ministro baptizandi; quia teste Aug.) Si pro diuersitate ministrorũ baptismus esset (quia diuersa sunt merita) diuersa essent baptismata.

Ven. Beda. B. Aug. lib. 2. de baptis. Paulus Cortesius, vir alioqui disertissimus li. 4. dist. 1. tenet in omni genere aquæ posse fieri baptismum, & nimodo

Baptismus rectè in aqua institutus est, triplici ratione. Primò, aqua conuenienter repræsentat diuinam gratiã, vel ex communi vsu: vel quia sponte fluida est, humida, & perspicua: ita in baptismo fit mitigatio concupiscentiæ, ablutio culpæ, illuminatio animæ. Homo peccando tria mala incurrit, immunditiam, ignorãtiam, & concupiscentiam, à quibus in baptismo liberatur: quanuis peccati fomes maneat in nobis ad exercitium.

Multiplex est effectus baptismi, primus est effici membrum Christi, eius sanguine aspergi, passionem eius sacratissimã participare, atque regenerari in filios adoptionis, qui prius eramus filij perditionis & per Spiritum sanctum (deposita vetustate) quotidie renouamur in cognitione,

tione, & amore Dei, quem effudit in nos abundè: id est ad omnium peccatorum remissionem, & copiam virtutum.

- Per remissionem peccatorum, eripimur de potestate tenebrarum.
- Per copiam virtutum, transferimur in regnum filij Dei.
- Per remissionem peccatorum incipimus non esse, quod fuimus.
- Per copiam virtutem, incipimus esse, quod non fuimus.

Secundus effectus est donari, perfundi, & imbui Spiritu sancto, quo regenerantur, & nascuntur, qui baptizantur in nouum hominem: fiuntque filij adoptionis Dei. Paul. ad Gal. *Quicunque in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis.*

Tertius affectus est, ascribi regeneratos, vt iam filios effectos in hæredes Dei, & cohæredes Iesu Christi. Hæc tria ordine quodam tangit B. Paulus ad Titum, cùm ait, *Secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christũ seruatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius hæredes simus, secundùm spem vitæ æternæ* quibus verbis succincta breuitate, & mysterioso quodam tropo, effectus baptismi explicat: dum ait, *effudit*, alluditad baptismum: quia quæ humida sunt, effundere solemus: *abundè*, legit sacer Hieronymus, *opulenter*: legit D. Augustinus, *ditissimè*.

Quartus effectus est formitis refusio, vel repressio. Vnde ad Rom. ait Apostolus. *Vetus homo noster simul cum Christo crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato.* Vetus homo, id est, *fomes peccati, & veteris Adæ reliquiæ*: hæc concupiscentia crucifigenda est, & fidei claua pulsanda, comminuendáque, ne loris diruptis effusio cursu vitiorum percurrat campum: ibique per omnis generis vitia, flagitiáque grassetur. vt destruatur corpus peccati: atque vigiliis, & orationibus, ac virtutum studio exhauriatur.

Quintus effectus est, imprimit characterem, qui dicis quandam assimilationem, & configurationem ad Christũ, Assimilatio fundatur in qualitate, & est signaculum sacramentale: ideò gratiam significat. Immo quoquo modo

tamen maneat species aquæ. quod autem in aqua solum hoc est diuina institutione. Vide Iacobus de Val. super Psal. 50.

Pau. Gal. 3.

Ad Titum. 3.

Rom.

præparati; ideò habet aliquam similitudinem cum gratia: & quoquo modo assimilat, & distinguit gregarios homines ab his, qui non sunt de grege. Et quia datus est ad distinguendum; ideò est indelebilis, & æternaliter perseuerat: & cum semel fuerit impressus, non potest amplius imprimi. & hoc habetur ex diuina institutione, quæ est rationabilis, & omnis rationis regula.

Alius effectus baptismi est, aperire ianuam paradisi: quod significatum est, quando Christo baptizato aperti sunt cœli. Vnde baptizatis diuini numinis charismata impertiuntur, & cœlorum ianua reseratur.

Vltimus effectus baptismi est, quia baptizatus efficitur membrum Christi, & filius eius, iuxta illud Ioannis. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* quare vngitur Christianus chrismate in vertice, vt discat Christum imitari, & ei perpetuò inhærere. *Ioan. 2.*

De ritu vario baptizandi, vide Hugonem libro. 11. de sacramentis, parte. 6. cap. 10. & 11. & clarius Vid Gab. in 3. sen. dist. 6. q. 3. in ceremonialibus seruanda est consuetudo (ait Richardus) quia illa non pertinent ad essentiam baptismi, sed ad sacramenti solemnitatem.

De figura baptismi habes.

Ex. 14.
Ezec. 47. *& conuertit me ad portam Dom.*
1. Cor. 10. *Nolo enim vos ignorare fratres.*
1. Petri 3.
Zacariæ 14. *In illa die erit fons patens*, &c.

Marci 16.
Ioan. 3.
Matth. vltimo
De Baptismo Christi
Mat. 3.
Lucæ 3.
De Baptismo Ioannis.
Matt. 2.
Marci. 1.

De Beatitudine.

BEatus ille dicendus est, qui est in eo statu, quo habet omnia bona, neque vllo indiget, vt modò sit virtus, & perfectio: immò etiam est complemẽtum omnium perfectionum, & virtutum. Caret enim omni defectu, & propriè competit Deo; quia nullo indiget, qui essentialiter est beatus, habens in se ipso omne bonum: ita beati dicuntur, qui sunt in bonis, nullo adiuncto malo. Vnde B. Augustinus *B. Aug.*

nus. *Beata vita est, cùm illud, quod hominibus optimum est, habetur, & amatur.* Nam beatitudo est bonum glorioſum, copioſum, & delicioſum. Quod omnis homo naturaliter appetit: vel est bonum, quo habito completè, est bene habenti: quia cui fœlicitas adest, nihil prorsus deest. Vnde B. Aug. exclamat, *O amatores mundi, non est requies, vbi quæritis: beatam vitam quæritis in regione mortis, non est hîc. quo modo beata vita ibi, vbi nec vita?* *Scotus in 4. dist. 49. B. Aug.* *Iob. 36.*

Si cuipiam nuncietur aliquod sibi peculium iure hæreditario contingere, gaudet, omnia æquo animo patitur. Iob Annunciat amico, quòd possessio eius sit: vita æterna debetur nobis iure hæreditario; quia si filius, & hæres. Debetur etiam nobis ex venditione, vel emptione. & tanti valet, quantum habes: libenter dicitur res emi, in qua quis nec falli potest, nec damnificari. *Considerauit agrum, & emit eum.* & statim subiicit *gustauit & vidit; quia bona est negociatio eius.* Petrus emit eam martyrio crucis. Paulus obtruncatione capitis. Bartholomæus. decoriatione corporis. Stephanus, lapidatione. Laurentius, vstione. Antonius, corporis flagellatione, de quibus B. Greg. ait. *Quis sanctorum sine tribulatione coronatus est? facta præcedentium recolamus, & grauia non erunt, quæ sustinemus.* *Prouer. vlti.* *B. Greg.*

Duplex est beatitudo corporis, & animæ:

in corpore habent beati.	
Pulchritudinem,	Voluptatem,
Velocitatem,	Sanitatem,
Fortitudinem,	Immortalitatem.
Libertatem,	

In anima habent.
- Sapientiam,
- Amicitiam,
- Concordiam,
- Potestatem,
- Honorem,
- Securitatem,
- Gaudium.

Habent sapientiam, quæ est sapor entium.

Amicitiam impertransibilem.

Concordiam indefectibilem: quia intellectus est perfectus in scientiis, voluntas in delitiis, Irascibilis in eminentiis.

Potestatem habent, quia omnia possunt in eo, qui confortat.

Psal. Honorem. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.*

Securitatem habent, quia beata vita esse non potest, nisi sit secura, & immortalis. Probat hoc B. Augustinus: quia si amitti potest, aut ergo beatus amittit iam nolens, & tunc non est beatus; quia non habet quicquid vult: aut volens, aut neque volens, aut neque nolens: ad vtrumque illorum membrorum sequitur, quòd non est beatus, quia non amat beatitudinem: immò si volens amittit, odit eam: si neutrum, non appretiat eam, nec ergo est vita beata.

B. Aug. 13. de Trin. 7. cad. d.

Vid. Scot. in 4. dist. 49. q. 6.

Gaudium quod { Proficit. Profit. Et sufficit.

Adhuc duplex est beatitudo { *Altera viæ,* *Altera patriæ.*

Gabriel in suo Canone lect. 67.

Beatitudo viæ dupliciter accipitur: vno modò pro operatione, seu dispositione perfecta, qua quis disponitur in via ad beatitudinis patriæ consecutionem; non propterea quia boni bene viuere volunt (nam hoc volunt etiam mali) sed quia rectè viuunt, quod mali nolunt. *Beatus vir, qui suffert tentationem; quia cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ:* deinde accipitur beatitudo viæ pro mundana, ac temporali prosperitate, de qua ait Seneca. *Non est ille beatus, quem vulgus appellat,* ideo nominis beatitudinis indignus.

Iacobi 1.

Seneca lib. 6. Epist.

Beatitudo patriæ à doctioribus bifariam accipi solet. Pro operatione intellectuali optima, qua clarè attingitur obiectum: ex quo colligitur, beatitudinem consistere in præstantissimis actibus animæ, i. in actu intellectus, & voluntatis, quo intimius vnimur, & coniungimur Deo, quam vnis in vtroque actu consistat: cuius rationem assignat Richardus; quia esse beatitudinis vitæ humanæ consistit in perfecta vnione animæ rationalis cum Deo. Hæc autem vnio includit animæ vnionem cum Deo, secundùm omnem sui potentiam, secundùm quam vnibilis est cum eo immediatè. Potentia autem animæ rationalis non tantùm est intellectus, sed voluntas: & per quamlibet illarum vnibilis est cum Deo immediatè. Accipitur quoque beatitudo patriæ pro statu intellectualis naturæ optimo, secundum

Rich. Mediavillanus lib. 4. dist. 49. q. 6. art. 1.

cundùm speciem omne bonum essentiale, & accidentale comprehendens. In quo statu sunt.

- Pulchritudo venustatis.
- Fortitudo potestatis.
- Limpitudo claritatis.
- Longitudo diuturnitatis.
- Plenitudo satietatis.
- Perfecta charitas.
- Vera libertas.
- Æterna securitas.
- Corporum velocitas.
- Diuitiarum copia.
- Deliciarum voluptas.
- Concordia, & pax.
- Bonorum dignitas.

Primò, inuenitur ibi pulchritudo venustatis. *Fulgebunt iusti, sicut sol in regno patris eorum.* Non est quærenda pulchritudo in præsenti vita, quæ statim, sicut flos, marcescit, & cadit: si ergo te pulchritudo delectat, ad hanc ciuitatem festina: erit fortitudo potestatis, quia Beatus seipso potest quicquid vult, & nihil mali: si ergo potentiam desideras, illuc propera.

Erit ibi limpitudo claritatis, & cognitio veritatis, quia ibi se manifestabit ipsa veritas, & sapientia increata: *cognoscemus Patris potentiam* (ait D. Bern.) *filij sapientiam, Spiritus sancti benignissimam clementiam.* D. Bern. *Quid est, quod non videant, qui videntem omnia vident?* D. Gregor.

Ibi erit longitudo diuturnitatis, ibi nullus moritur, quia nullus oritur: sed iusti in perpetuum viuent, & salus iustorum à Domino; vbi nullus intrinsecus morbus, neque extrinsecus: sed summa in carne sanitas, & in anima tota tranquillitas: quia Christus erit vita tua, nec te senectus consummet.

Ibi erit plenitudo satietatis. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psal. 16. Christus cibus tuus, ne esurias: potus tuus, ne sitias. *Non esurient, neque sitient amplius.* Apoc. 7. Hæc, quæ hic patimur, trãseunt, & omnis huius seculi pompa, & deliciæ, & curiositas interibunt, & secum ad interitum trahunt amatores suos. Sed illic non indigebimus vestimento, vbi eri-

mus immortalitate veſtiti: nec cibus nobis deerit, quando ipſe panis viuus, qui propter nos è cœlo ad terras vſque deſcendit, ſua præſentia noſtras animas ſatiabit. nec potus nobis deerit, præſente fonte vitæ: æſtus illic non patiemur: illic enim erit refrigerium noſtrum, qui nos ſub vmbra alarum ſuarum protexit, & protegit. Frigus illic non patiemur; eſt enim ibi ſol iuſtitiæ, qui ſuo amore calefaciens corda noſtra, radiis diuinitatis ſuæ illuminabit oculos noſtros. Non ibi fatigabimur: nobiſcum enim erit virtus noſtra. Non ibi dormiemus, vbi nullæ ſunt tenebræ, quæ excludere poſſint permanentem diem: nulla negotiatio: nulla ſeruitus: nullum opus. Et quid illic acturi ſumus? fortaſſe quod ſcriptum eſt. *Vacate, & videto, quoniam ego ſum Deus.* Vacatio ipſa contemplationis erit opus noſtræ actionis: vt contemplantes delectemur, & delectabiliter contemplemur videre bona Domini.

Auguſt. lib. de Symb. tract. 2.

Pſal. 45.

Ibi eſt pulchritudo per amœnitatem, diuinæ per fœlicitatem, ſecuritas, quæ non perturbatur, fœlicitas, quæ non minuitur.

Poteſt quoque diſtingui Beatitudo, vt detur beatitudo beatitudine cõſcientiæ. *Beati qui lauant ſtolas ſuas.* beatitudine experientiæ. *Beati viri tui, & beati ſerui tui.* beatitudine innocentiæ. *Beatus quem elegiſti.* beatitudine patriæ. *Beatiſſimam prædicauerunt.* beatitudine ſcientiæ. *Beatus, qui intelligit.* beatitudine ſpei. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* beatitudine timoris Dei. *Beatus qui timet Dominũ.* beatitudine viæ. *Beatam quippe me dicent omnes generationes.*

Apoc. 11.
3. Reg. 10.
Pſal. 64.
Cant. 6.
Pſal. 40.
Pſal. 31.
Pſal. 3.

De beatitudine habes.

Matth. 25. ibunt hi in vitam æternam.
Matth. 22. erunt ſicut Angeli Dei.
Pſal. 83. in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

De Benignitate Dei.

BEnignitas eſt liberalitas quædã, & munificentia. Licèt benignitas ſignificare ſoleat promptam & liberalem largitionem: tamen ſæpè ſumitur pro affectu amoris, quo quis afficitur erga alium, vt ei benefaciat, aut ignoſcat iniuriam facienti: vt idem ſit benignitas, quaſi bona igneitas cùm quis eſt mitis, & pacificus erga omnes.

Verùm iſta videntur adinuicem venire in diſcrimen benignitas,

nignitas, amor, beneuolentia, amicitia, charitas, dilectio, concordia, & beneficentia. Benignitas est prompta largitio. Amor est quoddam generale ad amorem licitum, & illicitum. Beneuolentia (vt ait philosophus) est, qua alicui bene volumus, & optamus voluntate rationali. Amicitia dicit mutuam amationem & reamationem: beneuolentia dicit solam amationem; qua quis bonum vult alteri, etiam si ille non reamaret amantem. Charitas est, qua diligimus Deum propter se, & proximum in Deū, & propter Deum. Dilectio est actus primus, & principalis, procedens ex habitu charitatis. Concordia consistit in conformitate mutuæ voluntatis personarum. Beneficentia consistit in effectu exteriori, charitatis, & liberalitatis, vel pietatis: qua quis alteri benefacit reipsa. Concordia propriè consistit in solo affectu interiori voluntatis, sicut beneuolentia.

Dei benignitatem explicat Moyses: antequam enim diceret Deus *Fiat lux.* præcessit. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* *B. Aug. lib. 1. super Gen.*

Tria præse ferunt benignitatem Dei.
- Peruersorum conuersio,
- Peccatorum redemptio,
- Æternorum collatio.

Peruersorum conuersio. *An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* *Rom. 1.*

Peccatorum redemptio. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei.* *Ad Tit. 3.*

In æternorum collatione. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.* *Psal.*

De benignitate Dei, qua miseretur & dat gratiam ad operandum, habes

Psal. 64. 68. 84.	Lucæ 6.
Sap. 1. 7.	Rom. 2.
Ioël. 2.	1. Cor. 13.
	Tit. 3.

De benedicendo Deo.

BEnedicere est bonū alicui imprecari. Benedicit Deus, cum largitur dona, benedicit homo, cum optat bona.

Benedicendus est Deus, quia nos.
- Sanauit,
- Redemit,
- Illuminauit.

Primò, nos sanauit; ideò venit in mundum, vt nos sanaret, & saluaret. *Magnus ad nos* (ait D. Augustin.) *venit medicus: quia magnus vbique iacebat ægrotus.* iste medicus pro infirmo suo sudauit. Lucæ. *Factus est sudor eius, tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram.* potionem amaram suscepit, & sanatus est mundus æger. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Augustin. *Fusus est sanguis medici, & factus est medicamentum frenetici.*

D. Aug. Lucæ 22. Psal. 68. Augustin.

Secundò, benedicendus est, quia nos redemit, *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, &c. Gratis venundati estis & sine argento redimemini. Qui tradidit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.*

Lucæ 1. Isaiæ 52. Thess. 2.

Tertiò, quia nos illuminauit. Anima illuminata per gratiam videt defectus suos, quos prius non videbat: sicut atomi in radio solis apparent, & non in vmbra: ita minima peccata in conscientia illuminata, *Accedite ad eum, & illuminamini.* sed multi fugiunt hanc lucem, vt noctuæ, & bubones, qui diligunt opera tenebrarum. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem:* nunquam ergo interiora nostra (vt Aug. ait) silere debent à benedictione Domini, alternent pro tempore sonos vocum, perpetua sit vox interiorum.

Psal. 33. Ioan. 3. Super Psalm. centesimum.

Benedictio, qua Deus benedicit homini, est gratiæ infusio, & beneficiorum suorum collatio. Triplex est Dei benedictio.

{ Influentiæ, Affluentiæ, Confluentiæ. de quibus Isa.

Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas.

Isa. 44.

De benedictione Dei habes.

Gen. 1. 9. 12. 30. 32.
Lucæ 24.
Matth. 16.

De benedictione, qua homo benedicit Deo.

Iud. is obtenta victoria de Syfara, Delbora, & Barach cecinerunt.
Gen. 14.

Paral.

Paral. 16.
Tob. 3. 4. 8. 13.
Iud. 13.
Dan. 2. & 3.
Neemiæ 9.
Iosuæ 22.
} Matth. 2. 4. 11.
} Luc. 1. 3. 24.

De benedictione, qua homo benedicit homini, habes.

Tobiæ 13.
Gen. 14. 42. 49.
Num. 2. 3. 8.
Leuit. 9.
Num. 23.
Deut. 24. 33.
Iosuæ 22.
Ruth 2. 3.

De Charitate.

CHaritatem vocat B. Augustinus motum animi ad fruendum Deo propter seipsum: & se, atque proximo, propter Deum. Adde charitatem, & prosunt omnia: detrahe charitatem, & nihil prosunt cætera: charitate ergo diligimus Deum propter se, & proximum propter Deum, & in Deum. *Lib. 3. de doct Christiana.*

Charitas, secundū Theol. est rectissima animi affectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum; & eò splendidius floret (vt ait Cortesius) quò Deo est propior. Nam cum ortum ex fœlicitate nanciscatur, nullo modo nobis naturæ vi parta inest. *In 3. sent. dist. 27. Pau. Cort. in distin. 7.*

Sed spiritus afflatu illabitur, gratum reddit Deo in omnibus mandatis eius sine querela. Hoc vinculo ligantur cœlestia, atque in corporibus nostris elementa confœderantur. De hoc B. Augustinus ait. *ô quàm forte est vinculum tuum, quo Deus ligari potuit.* Hoc vinculum vocat B. Paulus. *Vinculum perfectionis.* D. Bonauent. *Vinculum ligans.* Gerson. *Charam vnitatem.* Dionysius. *Virtutem vnitiuam.* Verùm charitas est triplex.

{ Increta, Infusa, Acquisita, } Increta est ipse Deus, siue diuina voluntas, sine qua nullus Deo est gratus.

Infusa diuinis influxibus in nostras voluntates illabitur, hoc est, à Deo infunditur, & dicitur.

Infusa, Effusa, & Diffusa. } Infusa, quia infunditur à Deo. Effusa, quia extra, per bona opera relucet.

Diffusa, quatenus ad interiora bona opera diffunditur.

Charitas facit hominem. { Fortem, Diuitem, Patientem.

Fortem, *Quis nos separabit à charitate Christi?*

Fortis dicitur, qui non facilè succumbit.

Facit diuitem; quia vbi est charitas, nihil obesse potest. Si quis haberet lapidem tantæ virtutis, vt quicquid tangeret, esset aurum, magno quidem esset pretio: charitas quicquid tangit, illud est meritorium, sine qua nihil meritorium est. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum.* Vnde B. Augustinus. *Habe charitatem, & fac quicquid vis: ex hac radice non potest procedere nisi bonum.* Item. *Tolle inuidiam, & tuum est, quod habeo: liuor separat, charitas coniungit. Suadeo tibi emere aurum, vt locuples fias.*

1. *Corin.* 13. *B. Augus.* *Apocal.* 3. *Prouer.* 10. *Psalm.* 1.

Charitas sanat. *Vniuersa delicta operit charitas.* Charitatis fructus sunt imputribiles, à qua non excidit nec flos, nec folium, nec fructus. *Et folium eius non defluet.*

Psalm. 1.

Charitas creata potest augeri effectiuè à Deo: meritoriè per bona opera, nō autem potest minui per peccatum: non per veniale; quia stat cum charitate: non per mortale, quia simpliciter tollit charitatem, remittitur quidem feruor charitatis per veniale, non tamen tollitur.

Rich. in 1. *dist.* 17. *art.* 2. *q.* 3. *Gabriel eadem dist.* 4. *q.* 4. *Petr. Aliacensis q.* 9. *art.* 3.

Perfectio charitatis in quatuor cognoscitur, contemplando Deum, cauendo vitium, non timendo supplicium. Affectando præmium.

Charitas patriæ est perfecta, quia habet.

Raynerius in summa.

- Impossibilitatem offensæ.
- Tranquillitatem ab omni solicitudine.
- Actualem continuitatem in Dei contemplatione.
- Claritatem in Dei lumine.
- Libertatem ab omni passione.
- Securitatem ab omni tentatione.
- Perpetuitatem in omnis boni possessione.

Charitas

Charitas est sicut stellæ, quæ magis in nocte, quàm in die lucere videtur: ita charitas magis in aduersitate, quam in prosperitate dignoscitur. Non extinguetur in nocte lucerna eius. Vnde B. Augustinus de charitate ait. *Charitas in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus tentat: in duris patsio- nibus fortis est: in bonis operibus hilaris est: in temporalibus ditis- simæ: in hospitalitate latissima: inter bonos fratres lætissima: inter falsos patientissima.* *Prou. 31.* *B. Aug. lib. de laudibus charitatis.*

De Cogitationibus.

COgitare est aliquid mente tractare; est enim frequentatiuum à cogo, quòd mens plura in vnum cogit. Cogitare itaque est mente agitare, & sensus interiores ad originem suam reuocare. Richardus definit cogitationem hoc modo. Est improuidus animæ obtutus circa sensibilia, ad euagationes pronus. *Richard. in li. de contemplatione.*

Cogitatio mala in anima, est primogenita Diaboli, & eius domiciliũ, quę statim est interficiẽda; quia parat catenam ad infernum. Vn. Greg. *Ex cogitatione delectatio oritur: ex delectatione affectio: ex affectione consensus: ex consensu operatio: ex operatione consuetudo: ex consuetudine desperatio: ex desperatione inuratio, ex qua falsa gloriatio: ex ea demum oritur æterna damnatio. Ille laudatur, ille prædicatur beatus* (ait sacer Hieronymus) *qui statim, vt cœperit cogitare, interficit cogitatus, & allidit eos ad petram: petra autem erat Christus.* *D. Greg.* *Sacer Hieron.*

Cogitationes sunt triplices.
- Inutiles. *Dominus scit cogitationes hominum, quia vanæ sunt.* Psal. & Perseus. *O curas hominum, ô quantum est in rebus inane!* *Psalm. 39.* *Pers. Poëta.*
- Culpabiles, vt cogitare peccata perpetranda.
- Fructuosæ, vt cogitare quomodo quis possit obedire Deo, & mandatis Ecclesiæ.

Inutiles quibus animus vagatur, & serpit sine fructu, atq; distrahitur ab oratione. *Meditati sunt inania, Dominus scit cogitationes hominum, quia vanæ sunt.* Mentem non interpellari cogitationibus, impossibile est: respuere eas, omni studenti possibile est: alioqui nec liberum in nobis maneret arbitriũ, nec in nobis staret nostræ correctionis industria. *Psalm. 2.* *Psal. 93.*

Culpa

Culpabiles sunt, vel à diabolo suggerente, vel à corde humano fouente & nutriente. *Fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis* Diabolus occultis conatur insidiis subtilissima calliditate mala pro bonis fraudulenter ingerere: sed magna profectò dementia est non aperire archam, vbi est thesaurus, ne fures suffurentur, & diabolo aperis cor tuum, qui furatur thesaurum gratiæ, & virtutũ. B. Macharius diuersas cogitationes malas à diabolo suggerente expertus est. Narrat quoque B. Aug. audiuisse à quodam, qui tam expressam, & quasi solidam speciem fœminei corporis in cogitando cernere soleret, se quasi vt ei misceri sentiens etiã genitalibus flueret: cogitationes fructuosæ à Deo humano cordi ingeruntur. *Meditatus sum cum corde meo.* corde suo meditari, est discretè, & vtiliter cogitare. Habent principes in egressibus suis ostiarios ante se cum baculo, turbam arcentes, ne comprimant eos, sic anima iusti, quando exit ad loquendum, vel audiendum, vel videndum, timorem habet pro ostiario: in discrimine quoque est thesaurus, vbi ostia sunt aperta: sic thesaurus cordis, quando os ad loquendum, & aures ad audiendum apertæ sunt: si claudis ostia tua, & feneſtras domus tuæ ad arcendam pluuiam, vel ventum: quare non claudis sensus tuos ad arcendas, & propellendas malas cogitationes? *Mors intrat per feneſtras.* opportunum itaq; remedium contra vagas cogitationes (teste D. Hieronymo) est odio cordis apponere ianitorem timorem Domini.

Ezec. 16.

Lib. 11. de Trinit. cap. 4.

Psal. 76.

Ierem. 9.

Quid amisisti, quia nihil est stultius quam sibi blandiri.
Quid commisisti, Quid offendisti, Quid incurristi. } Nam amisisti cælum, commisisti peccatum, offendisti Deum, incurristi infernum.

Considerandum est quid commisisti, considerare opus est: Vnde Ricardus ait. Si in corpore pollutio aliqua vigilanti contingat, & seminis fluxus, mortale est, nisi contingat ex naturali quadam infirmitate: si ex delectatione, mortale est, etiam si non voluntarium sit.

Rich. 5. Vi. in Cant. c. 25. B. Ambr. lib. de C. in & Ab.

Intra in cubiculum tuum. Quia cubiculum est mentis arcanum, cordisque secretum. Nam cogitationes mæ hominis sunt, veluti nebula eleuata à terra, quæ nõ dissoluitur,

uitur, nisi magno, & vehementi flatu: sic malæ cogitationes dissoluuntur vento Spiritus sancti: vnde nutriuntur tonitrua lamentationum. Cùm in ciuitate sit tumultus, sagaces homines occludunt ostia, stulti quidem prodeunt, & plerunque vulnerantur.

Cogitatio peccati confert ad quatuor obscura, quod in cogitatione peccati potest esse delectatio: & tunc vel est de eo, quod est mortale ex genere suo: puta fornicari, & occidere: & tunc vel placet delectatio, & operis consummatio, si adesset facultas: & est mortale: vel placet delectatio, & displicet operis consummatio: & est mortale. Si est propter vanitatem, est veniale, nisi immineret periculum: quia tunc peccaret mortaliter, non repellendo aduertentem.

- Ad cognoscendum,
- Ad cauendum,
- Ad delectandum,
- Ad perpetrandum.

Tria sunt remedia ad repellendas malas cogitationes.

Frequens electio.
Diligens cuitatio, vt intra eis non consentiantur, & extra non impleatur, & ita securus erit homo, quòd eiusmodi nullo modo erunt peccata mortalia: immo si resistatur, erunt magnæ virtutis.
Sedula repressio.

Quamuis homo cesset ab opere malo: si malam cogitationem habet in corde suo, non est sine culpa: quia occidunt nos cogitationes nostræ intra nos enutritæ, quia consumunt animam nostram veneno viperino. Bern. *Idcirco quanta maxima celeritate poteris, sordidas malarum cogitationum muscas in primo statim limine abigas.* Deus iudicat animam, quando titillat mala cogitatio, quæ si in peccato fuerit morosa, damnum infert. Vnde August. *Sicut vestimentum candidum sanguine aspersum, si mox fuerit lotum, candorem suum recipit: si insederit, & incoxerit, macula vix lauabitur.* sic mens humana, si surgentem cogitationem mox deleuerit, poterit suum retinere candorem: si autem diutius residere permiserit, vix cum magno labore purgatur. Hæc est ergo prima victoria secreti certaminis nostri, carnales cogitationes reprimamus, & cœlestia cogitemus. Aues ad prædam descendentes, & circa terram volantes faci

Gerson parte 3. tract. pro de notis simp.

Bern. ad soro rem.

B. Augu. in sermone de cogita.

facilius capiuntur, quàm quæ altius volant. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum* (vbi gloſſa ait) *laqueos diaboli facilè euadit in terris, qui oculos eleuatos habet in cœlis.* Cogitationes malæ hominis ſunt ſimiles capillis, qui ſunt ſubtiles, & facilè ſubintrant: vt latrunculi: ſunt ſicut muſcæ morientes, quæ perdunt ſuauitatem vnguenti, id eſt deuotionem orationis. Maior multitudo muſcarum ſedet ſuper ſcabioſum, quàm ſuper ſanum.

Prou. 1. *Eccleſ. 10.* *Bernard.*

Delectatio duplex aſſignari poteſt, naturalis, & voluntaria. In delectatione purè naturali non eſt meritum, neque demeritum: voluntaria vel eſt in Creatore, & eſt laudabilis, *Memor fui Dei, & delectatus ſum.* vel in creatura, & eſt triplex.

D. Bon. in 2. diſtinct. 24. *Ricar. ibid.* *Alex. in 2. part. tract. de peccato veniali.* *D. Thom. in 2. q. 74. arg. 8.*

- Propter Deum.
- Præter Deum.
- Contra Deum.

Propter Deum eſt laudabilis. *Delectaſti me Domine in factura tua:* vel præter Deum, & eſt veniale: vel contra Deum ſimpliciter, qua frangitur, Dei præceptum, & eſt mortale; Vnde illa delectatio eſt moroſa, non mora temporis, ſed conſenſus: nam cùm animus temere ſe diutius occupat, in varias errorum ambages ſolet incidere; & plerunque ad res turpiſſimas flecti: quare homo cogitare debet paſſionem Chriſti, mandata Dei, peccata ſui, inſidias diaboli, mortem propinquam, Sanctorum exempla, æternæ vitæ gaudia. tunc. *Cogitatio hominis confitebitur Domino.* debet homo cogitare paſſionem Chriſti. *Chriſto igitur in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini. Tanta eſt virtus paſſionis Chriſti* (ait D. Bern.) *quòd ſi eam mente firmiter haberemus, nulla libido peccati, nulla prævalere poteſt inuidia.* Cogitare debes mandata Dei, quæ præcepit tibi, illi cogitar Eccl. Debet cogitare propria peccata. *Et cogitabo pro peccato meo,* id eſt pœnam, quam merui, & damna, quæ feci. Pſal. 37. debet cogitare mortem, quòd ſi propinqua, incerta, amara: ſanctorum exempla, cogita generationes ſingulas. Greg. *Facta præcedentium recolamus, & non erunt grauia, quæ toleramus.* tãdem cogitare debet gaudia cœli. *Cogitaui dies antiquos & annos æternos in mente habui.*

Prou. 91. *Pſal. 75.* *2. Petr. 4.* *D. Bern.* *Eccleſ. 3.* *Pſal. 37.* *D. Gregor.* *Pſal. 76.*

De Cogitationibus habes.

Gen.

Gen. 37. 50. Ezech. 14. 38. Pal. 93. 143.
Ierem. 11. 18. Deut. 31. Prouerb. 12. 15. 16.
Iob 65. Mich. 2. 6.
Rom. 13. Zach. 7.
Oseæ 4.

De confessione.

CONfiteri est aliquid sponte fateri. & affirmare: & confessio est quasi simul, vel ex toto, vel vndique fassio: hinc dicimus in confessionem venire.

Confessio est triplex. Fidei, Laudis, Iustitiæ,

Nam vel nos confitemur excellentiam, & omnipotentiam Dei omnium creatorem vnum, & trinum: & dicitur confessio fidei: & est attestatio diuinæ perfectionis. *Qui me confessus fuerit, &c.* aut confitemur eius bonitatem, & misericordiam: & dicitur confessio laudis: aut confitemur iustitiam Dei, & iudicia iusta, occulta, vel manifesta: & dicitur confessio iustitiæ. de hac. *confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua,* id est, non solum ore, sed toto corde tibi sponte manifestabo. Est quoque confessio peccatorum, cùm quis accusat peccata sua coram sacerdote, auctoritatem habente spe veniæ consequendæ: accusat, ait, quia qui coram sacerdote se excusat, more Pharisæi Euangelici, se laudat. Deo autem nihil proprius, quàm cor confitens. *Matth. 10.* *Psal.*

Ad hanc confessionem tria concurrunt. Timor pœnæ, Dolor culpæ. Labor pœnitentiæ.

Timori pœnæ correspondet spes veniæ, dolori consolatio, labori retributio.

Ordo detestandi peccatum habet quatuor gradus.

Primus est peccatum agnoscere. Vnde ait B. Aug. *O homo, vtinam te agnosceres: quia si te cognosceres, tibi displiceres: nunc quia te non cognoscis, tibi places, & mihi displices: veniet autem tempus, quando nec mihi, nec tibi placebis.* S. Aug.

Secundus gradus est, peccatum agnitum pœnitudine corrigere: sicut lupus, dum ad prædam accedit, mordet pedem: qui obstrepit.

Ter

Tertius est, ad agenda bona se conuertere.
Quartus, bona opera custodire.

Confessio 3. { Mentalis quæ fit Deo,
Cordialis in anima, hæc est in foro animæ interius, sed hic non aperitur peccatum, cum Deo denudatum sit. 3. est vocalis, & fit in foro pœnitentiæ exterius.

Prima pertinet ad contritionem, & est necessaria vbique temporum, & locorum, cum voto tamen confitendi sacerdoti: hanc habent Infideles, sed sine fructu, quippè qui verum scopum non attingunt.

Secunda fit, cum quis confitetur peccatum proprium, sit ante te, quod non vis esse ante Deum: alioqui retorquebit Deus illud ante oculos tuos.

Augu. super Ioan. tract. 12.

Tertia fit homini sacerdoti, tanquam Christi vicario, & ministro. Hæc necessaria est ex institutione, & fructu, quia frustra datæ essent claues: quod est hæreticum, quare integra peccatorum confessio omnibus post baptismum lapsis necessaria est, ad purganda facinora, & ad veniam peccatorum promerendam.

Confessio tria bona facit quò ad Ecclesiam. { Reintegrat, Mundat,
Sacerdotis manus est velut manus Noë, qui intra arcam apprehēdit columbam. { Fiduciam præstat,

Sentus in 4. dist. 21. q. 2.

Nam tanquam iudex potest ligare, & soluere ministerialiter à culpa, & pœna æterna: sed quòad pœnam temporalem taxandam, in hac vita soluendam, est arbiter. Multis de causis confessio debet fieri sacerdoti.

Propter Dei gloriam. *Da gloriam Domino Deo Israel, atque indica mihi quid feceris.*

Iosue 3.

Propter iudicium sacerdotis, ad cuius officium pertinet iudicare de eiusmodi. *Ideo si inconfessus lates, inconfessus condemnaberis.*

Propter humilitatem. *Presbytero humilia animam tuam.*

Eccles. 4. Eccles.

S. August. Hom. 46. Deinde vt erubescat. Hæc est magna pars satisfactionis. *Est confusio adducens gratiam, & gloriam.* Aug. *Quid erubescit fateri,*

fateri, qui peccatis non erubuit coinquinari? noli ergo tabescere præ rubore, vel cervicosus præ dedignatione. Demum ad cautelam. *Non confundaris confiteri peccata tua.* Non habet quid timeat in futuro, qui confessionem fecerit de peccato. Cautela est, si peccator habeat aliquam displicentiam de peccatis, virtute absolutionis sacramentalis attritio fit contritio, & remittitur ei culpa peccatorum. *Scotus in 4. declarat hanc cautelam.*

Amara. Vnde. D. Hierony. *Quanta præcessit in opere delectatio, tanta sequi debet in confessione mentis amaritudo:* cuius indicia sunt, verecundia, & lachrymæ. *D. Hiero.*

Confessio esse debet.
- Cordialis.
- Voluntaria,
- Præmeditata,
- Festina. nota vnum.

D. Bonauentura ait. *Confiteri citò perpetrato peccato, est nimis durum: nimium differre, est periculosum:* ideò ait, *non audeo definire.* Innocentius tertius tenet, quòd statim, alioqui exponit se periculo. D. Thomas tenet, quòd statim, immo neque ad contritionem, quæ est magis necessaria; quis enim non tenetur statim confiteri. Præterea Ecclesia non præcipit, nisi semel in anno. Item ait. hoc non determinatur in iure diuino, neque in iure positiuo.

Nuda esse debet, quia vulnera abstrusa detegit, & morbū (vt dicitur) in vola ostendit.
- Integra.
- Nuda

Cordialis. Nam in corde sunt quatuor.
- Cogitatio.
- Memoria.
- Intelligentia.
- Voluntas.

Cogitatio est necessaria. *Recogitabo tibi omnes annos meos.*

Memoria ante, & post confessionem.

Intelligentia, vt intelligat magnitudinem, & multitudinem peccatorum.

Voluntas est, vt dimittatur peccatum, & veniam peccator consequatur. Basilius. *vbi taciturnitas confessionis est non est speranda venia criminis: & vbicunque peccatum tuum verbis excusare volueris, manet in te.* Confessio mundat, est enim veluti scopa. *Exercitabar, & scopabam spiritum meum.* bene ait, *exercitabar:* quia in confessione exercenda sunt lingua, ma- *B. Basilius. B. Aug.*

nus, & cor, in corde contritio, in lingua oratio, in manu operatio. In contritione dolcat de culpa. In oratione petat veniam; in operatione agat pœnitentiam. Scopa fit de virgis inutilibus: ita confessio de peccatis inutilibus. *Quem fructum habuistis in quibus nunc erubescitis?* Scopa mundat loca plana: ita confessio mundat conscientias. Confessio mundat, & omnia in vnum colligit. Vnde confessio dicitur, quasi simul in vnum fassio. peccator enim debet effundere quasi aquam cor suum. Vnde ait Hugo de san. Victore. *Ceteri liquores quando effunduntur, vel quadam pinguedine superlinita, vel sapore infecta vasa relinquunt: sola aqua sic effunditur, vt munditia vasis nullis eius reliquiis maculetur.* Quiergo peccata sua confitentes, aliqua, vel negligentiæ, vel erubescentiæ caussa effundere timent, quasi in vase cordis spissi liquoris reliquias retinent: qui verò peccatum omnino, sed non peccandi affectum eiiciunt, in vase saporem noxium adhuc seruant.

Hug. de S. Victore.

Debet esse voluntaria. *Nemo enim* (teste B. Augu.) *inuitus benefacit, etiam si bonum est quod facit, ex voluntate mea confitebor illi.*

Debet esse præmeditata: sicut infirmus primò purgatur, antequam suscipiat medicinam. Ber. *Magna insania est, prauis humoribus retentis in corde, potiores eijcere: sic bona sua foras per ostentationem emittere, & prauos honores,* id est peccata, *in corde retinere.* Is. *Lauamini, mundi estote: auferte malum cogitationum vestrarum: quiescite agere peruersè: discite bene facere.* Oeconomus rationem coram domino suo redditurus, lapillis prius secum computat. In hunc quoque modum facere debet peccator. Ecc. *Quæcunque trades, numera, & appende: datum verò & acceptum, scribe.* A duocatus coram iudice disputaturus primò rationes suas, & allegationes ordinat: ita peccator, Ecc. *Ante iudicium interroga te ipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem.*

D. Bern. *Isa. 1.* *Ecc. 42.* *Ecc. 18.*

Debet esse festina. *Præoccupemus faciem eius in confessione.* Sed quidam nolunt confiteri peccata sua, nisi graui morbo destituti, vel viribus fracti, dum peccata illos dimittunt, non illi peccata. Similes furibus, qui ad patibulum ducti confitentur eorum peccata. Ecc. *Sanus & viuens confiteberis.* exemplum habes de aduocato, qui nulla ratione

Psal. 94. *Ecc. 17.*

adduci

adduci potuit, vt peccata sua confiteretur. & cùm nimis ab amicis infestaretur, atque diuexaretur ad confitenda peccata, cœpit clamare, appello, appello, & ita miser diem suum infœliciter clausit. Pleriq; sunt, qui manus abluere tentant, cùm iam cibum sumpserint, & vineam putare, cùm maior pars vindemiata sit: isti vas lauare volunt, cum iam vinum infuderunt. Stultè sibi consulit medicus, qui materia nondum plenè euacuata, morbum curare præsumit: quippè quandiu ferrum est in vlcere, frustra medicina paratur. Quomodo morsum serpentis curare tentas, si adhuc veneno peccati laboras? *Exemplum.*

Debet confessio esse integra. Variis plagis oppressus non potest operari: ita vulneratus multis peccatis nequit diabolo resistere. *Dereliquit me virtus mea.* Glo. *quam habui ante peccatum.* Integra ergo sit secundùm omnem circunstantiam peccati. consideret qualitatem criminis. In loco, in tempore, in perseuerantia, in qualitate personæ; & quali hoc fecerit tentatione. Debet esse nuda. Nihil enim est nocentius animæ, quàm si peccatum in confusione dissimuletur. Vegetius de re militari ait. *Nihil magis in acie custodienda, quàm vt omnes milites incedendi ordinem seruent.* Quòd si exercitus fuerit diuulsus, grauissimum sustinet discrimen: quare peccator est velut simia, quæ omnia irridens, irrisionibus tandem capitur. Qui sanitatem desiderat, necesse est vt vulnus detegat. *Delictum meum cognitum tibi feci.* non operui, sed aperui, vt tu operires. Si homo nescit, Deus ignoscit abscondere peccatum suum, & ignem in sinu suo detinere: quando apostema ad interiora flectitur, ibique dissoluitur, inducit mortem corporalem: ita peccatum, cum à circunferentia sensuum ad centrum declinat. Ideo consulit. Ecc. *Non confundaris pro anima tua dicere verum.* *Psal. 39.* *B. Au. lib. de vera & falsa pœnitentia.* *Psal. 31.* *Ecc. 5.*

De confessione habes.

Gen. 3. Monuit Dominus Adam, vt recognosceret culpam.

Gen. 4.

Exo. 10. 11.

Numeri 12.

Neemiæ 1. Neemias confitetur peccatum.

Thobiæ 3.
Danielis 3.9.
Dauid reprehensus à Nathan peccatum suum patenter & humiliter est confessus 2. Reg. 12.
Iacobi vlt. *Confitemini alterutrum peccata vestra.*
Il. 43. Narra si quid habes, vt iustificeris.

De Confirmatione.

CConfirmare idem est, quod complere, roborare, & stabilire. de quo B. Petrus ait, *Confirmabit. solidabit que.*

Confirmatio, siue consignatio est signum cuiusdam roboris, qua Spiritus sanctus datur in robur: fit enim in fronte baptizati signum crucis, tanquam validissimum, & impenetrabile scutum aduersus dæmonis iacula: Vnde confirmati Apostoli, virtute magna reddebant testimonium
Act. 4. resurrectionis Iesu Christi. Dicitur Chrisma, vel vnctio: quemadmodum Pugiles antiquitus inungebantur, in cuius figuram Dauid vnctus à Samuele pugnauit aduersus Goliath.

Fit autem hæc consignatio in fronte, ad significandum audaciam confessionis, cuius impedimentum est timor, & verecundia: vel quia frons est locus euidentior, vt confirmatus plena fronte confiteatur Christum: *Corde enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* in fronte ergo fit: nam inter partes, que se offerunt sensibus, caput est dignius: in capite, facies: in facie, pars anterior: in parte anteriori frons, vbi est sedes verecundiæ: in fronte sunt fores sensuum.

De confe. dist. 5. Scotus in 4. Marci vl. Petrus de Aliaco fuerit. saluus erit. Et est tamen necessaria adulto, vt non contemnat, alioqui non est plenus Christianus: tunc iudicatur contemnere, quando oblata omnimoda opportunitate non suscipit eiusmodi sacramẽtum, & ita intelligitur illud dictum Vrbani Papæ de consec. *Omnes fideles per impositionem manus Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur.* Ideò quantum fieri potest, differenda non est confirmatio: ne si decederent,

in 4. q. 4. De consec. dict. 5.

tanto

tanto gloriæ gradu priuarentur. Vnde (ait Hugo.) Ab hac vita fine manus impositione, id est confirmatione migrare omnino periculosum est. Ex quo prosternitur Valdensium, & Lutheranorum impia hæresis, qui negant confirmationem esse sacramentum: sed potius ritum, & cerimoniam quandam. Sed si audirent fundamẽtum nostræ fidei, statim cessaret eorum admiratio: clarum in primis est ex Act. Apost. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* & Ecclesia tenet locum illum intelligi de confirmatione. ita exponunt omnes Doctores sancti. *Hugo lib. 2. de sac. par. 7. c. 3.* *Act. Apost. c. 8.* *B. Clem. Petri successor.* *B. Augustin.* *Cyprianus.* *Irenæus.* *Damasus Papa in epistola de episcopis, & alij.*

Confirmatio est quadruplex.
- Per glorificationem in cælo.
- Per sanctificationem in vtero.
- Per cõseruationem in mundo.
- Per vnctionem ab Episcopo.

Cõfirmatio trifariam fieri potest.
- Per virium firmationem.
- Per armorum additionem.
- Per membrorũ vigorationem.

Cum quis diligitur ad apicem dignitatis, acquiritur ei ius illius rei: verùm cùm à superiore confirmatur, firmatur ei magis illud ius: vt non ita de facili auferri possit: sicut dicitur de Salomone Rege, quòd eo in regno confirmato, regnum sibi magis adhæsit, & fortius: ita in baptismo quis assumitur ad dignitatem regiam, & sacerdotalem, vt se virtutibus regat. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* 1. Petr. 2.

Secundò confirmatur quis per armorũ appositionem: cùm forti adduntur arma, fortior redditur. Vnde Dominus dixit Apostolis. *Sedete in ciuitate, donec induamini virtutem ex alto,* id est armis fortitudinis Spiritu sancti: est autem gratia, quasi armatura quædam, quia in hoc deserto post transitum maris baptismi, contra vitia pugnamus. *Luc. vlt.*

Demum confirmatur quis per membrorum soliditatem: cùm puer nascitur, viuit quidem, sed nequit consistere: ita in baptismo viuit quidem, sed debet confirmari: in baptismo enim regeneramur ad vitam: sed in hoc sacramẽto consolidamur ad pugnã. Adimit pusillanimitatem, & audaciam præstat confitendi Christum, vt expedit. Idcirco nedum sacramentum confirmationis confert gratiam, quemadmodum & cætera sacramenta nouæ legis:

sed etiam auget gratiam,& eam amplificat:hinc Melchiades Papa ait. *spiritus sanctus,qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu,in fronte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam : deinde non auget modo,sed admirabili quadam ratione auget.* Nónne Petrus, qui Ecclesiæ petra, & fundamentum designatus erat,summam constantiam, animíq; celsitudinem præse tulerat,vnius mulierculæ voce perterritus, se Iesu Christi discipulum esse,non semel,aut iterum negauit,sed tertiò? At verò in die Pentecostes tanta virtute repletus est:vt nihil arbitraretur dignum posse ei contingere, quàm pro nomine Christi contumeliam pati. Gratia itaque confirmationis differt à gratia baptismali. huius rei accommodatum exemplum infert B. Dionys. Areopagita Athenarum Episcopus. Duæ luces naturales concurrentes in aliquo vno,vt luces duarum candelarum cõcurrentes in vno puncto aëris,non faciunt vnam lucem : sed sunt distinctæ suis essentiis, etiam quia characteres impressi sunt potentiæ spirituales ad diuersos actus,& ad diuersa officia exercenda;quia potentiæ distinguuntur per actus,& actus per obiecta. imprimitur enim in cõfirmatione character;quia sic exigit necessitas, vt recipiens possit coram aduersariis fidei intrepidè confiteri nomen Christi. præsupponit autem characterem baptismalem, sine quo nulla alia fieret impressio : nam sicut impossibile est aliquid figurari sine quantitate, quæ est principium susceptiuum figuræ : sic character baptismalis est potentia receptiua respectu omnium aliorum sacramentorum.

Hoc sacramentum quoque corroborat, & confirmat: ideo datur in robur, & plenitudinem ; quia fide requisiti audactet respondemus, & constanter confitemur, hanc esse fidem Christi. hoc quippè docet B. Petrus. *Quæ enim est gloria, si peccantes, & colaphizati sustinetis.* sed si bene facientes patienter sustinetis : quia oportet ad constantem confessionem animari, & verum Deum, & verum hominem confiteri.

Pet.1.Cant.2.

De Consolatione.

CONsolari est tristem, aut afflictum verbis, aut factis subleuare : vnde consolari ex con,& solor componitur.

tur. quod est quasi solidum reintegrare.

Est autem Consolatio triplex. { Temporalis, Spiritualis, Æterna.

De temporali Luc. *Veh vobis diuitibus, qui hic habetis consolationem vestram. Veh.* ait Theophyl. Dirigit in diuites huius seculi, quos & consolationem habere dicit. hoc est hic in præsenti seculo lætitiam accipere, & ridere, & in deliciis, ac laudibus claros viuere. Decet quidem ab hominibus laudari, sed prius à Deo: hæc mundana consolatio parum durat, vnde fugienda est: vel quia vana est, vel quia fastidium sui generat. *Luc. 6. Theophyl.*

Spiritualis est appetenda quia { Animam sanat, Terrena contemnit, Mentem illuminat, Mentem eleuat,

Tunc anima sana est, quando cœlestia appetit. *Quæ sursum sunt sapite.* Nam gustato spiritu desipit omnis caro: stultè admodum sibi consuleret, qui haberet bonum vinum, & turbidam aquam quæreret. *Col. 4.*

Terrena contemnit. Aug. *Gustaui te, & esurio: tetigisti me, & exarsi.* *D. Aug.*

De Constantia.

CONstantia est animi stabilitas quædam, & perpetua permansio, & pertinet ad fortitudinem: nam constare illud dicitur, quod est firmum, & fixum in bono. Vnde est constantia virtus, quæ est vnica filia summi regis, & finis virtutum, earúmque consummatio, totiúsque boni repositorium: & virtus, sine qua nemo videbit Deum. *Greg. lib. 1. Moral.*

Ad Constantiam quatuor pertinent. { Firmitas in his, quæ sunt fidei, Æquanimitas in vtraque fortuna. Firmitas loci. Firmitas contra ventos tentationum.

Firmi esse debemus in his, quæ fidei sunt, ne, velut parui fluctuantes, circũferamur omni vẽto doctrinæ. Eph. 1. Sicut columna erecta, quæ stat sub quocunque onere: ita de Mathatia, & filiis eius legitur, qui constanter steterunt. *Eph. 4. Mach. 2.*

Æquanimitas in vtraque fortuna, ne declinemus ad dexteram, vel ad sinistram.

Loci stabilitas multùm facit ad constantiam, quia *impossibile est* ait D.Bern.) *hominem in vno figere animum suum, qui non prius alicui loco affixerit corpus. Aëris mutatio corporis sanitati confert*: sic qui fugit vmbram corporis sui, in quo sensu ait B. Greg. *Non prodest locus, si desit spiritus.* Vnde Seneca. *Planta sæpius replantata difficilè conualescit.*

D.Bern.
Gregor.
Eccl.9.

Firmitas contra tentationes huius mundi. Eccles. *Non ventiles omnem ventum.* Vnde B.Bern. *Currite fratres, tota curia cœlestis vos expectat.* Aug.quoque. *Bonus si fuerit, qui tibi præest, nutritor tuus est. malus si fuerit, tentator tuus est. & nutrimenta libenter accipe, & in tentatione approbare esto aurum, attende mundum istum tanquam fornacem aurificis.*

B.Bern.
B.Aug.lib.de verb.Domini. Serm.6.

Constantiam quinque interimunt.
- Imprudentia,
- Peccatum,
- Impatientia,
- Timoris carentia,
- Animi fluxibilitas.

Eccl.27. Imprudentia, quia. *Stultus, sicut luna mutatur.*

Isa.53. Peccatum. *Nam cor impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest.*

Gen.4. Impatientia Cain occidit fratrem suum. *Vagus, & profugus eris super terram.*

Timoris carentia, nam timor est anchora mentis; facit enim hominem cautum, atque solicitum.

Animi fluxib. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. Iacob. Ille duplici animo est, qui vult duobus dominis seruire, Deo, & mundo: sed nimirum hic in duas partes claudicat. *Duo amores*, ait Aug. *mundi, & Dei, non se simul in vno capiunt pectore.* De quo ait sacer Hieron. *Difficilè est, immo impossibile, vt præsentibus, & futuris quis fruatur bonis, vt de del e is transeat ad delicias, vt in cœlo, & in terra appareat gloriosus.*

Iacobi 2.
B.Aug.
B.Hieron.

De Constantiæ virtute habes.

Iudit.9.16. Sap.5. 1.Mach.2.9. B. Ambr.3. de virginitate narrat de matre, & filiab. quæ amplexantes, & quasi choros ducētes proiecerunt se in alueum fluuij, ne à prædonibus castitatis dedecus paterētur.

De

De Contemplatione.

COntemplari, est quadam admiratione conspicua in sapientiæ spectacula cum admiratione suspendi. *Rich. de S. Vict.*

Contemplatio est consideratio rerum occultarum: nam contemplari est diligenter intueri, & res abditas considerare, à templo, id est à loco, qui omni parte aspici potest: vel ex quo omnis pars potest videri, quem augures templum nominabant. Vnde contemplatio est pabulum animæ, quo anima saturata quasi dormire dicitur, cum à terrenis sursum erigitur, & ad considerationem æternorum eleuatur. Vnde Greg. *Mens nostra nullo modo ad vim intimæ contemplationis rapitur, nisi prius sopiatur.* est ergo contemplatio optima, quæ mentem eleuat ad cœlestium eminentiam: in qua quantò diutius persistit, eò melior euadit. *B. Greg. S. Moralium.*

Ideo ait Prosper de vita contemplatiua. Actiua vita, habet solicitum cursum: contemplatiua, gaudium sempiternum: in ordine creaturarum conspicimus altiores esse pulchriores, & lumine clariores. *Prosper de vita contemplatiua.*

Contemplationis motus secũdùm Dionysium est triplex. { Rectus / Obliquus / Circularis } *Dionys.*

Motu recto contemplamur Deum, in quo consistit omnium nostrarum actionum finis, atque æterna perfectio gaudiorum: motu obliquo, nosmetipsos: motu circulari, cœlestia: & hoc motu anima ad superna fertur.

Actiua, & contemplatiua vita assimilantur sepulchro, duplici ratione: tum primò, quia sepulchrum nõ viuentes, sed tantùm mortuos recipit. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Vnde Gregor. *Quid sepulchri nomine, nisi contemplatiua vita signatur, quæ nos (quasi ab hoc mundo mortuos) sepelit, dum à terrenis desideriis susceptos in intimis abscondit?* Actiua quoque vita sepulchrũ est: quia à prauis nos operibus mortuos tegit. *Col. 3. Greg.*

Secundo ratione absconsionis: quia in sepulchro corpus absconditur: ita contemplatiui attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. Contemplantes in terra paleas, metunt in cœlo panem.

Contemplationis octo sunt præcipui effectus.
- Raptus,
- Vnio,
- Transformatio,
- Languor,
- Liquefactio,
- Inebriatio,
- Spiritualis iucunditas,
- Iubilus.

Primus effectus est Raptus, & est eleuatio potentiæ superioris super potentias inferiores, vnde inferiorum actus ligantur, vel ita debilitantur, vt superiorem potentiam in sua operatione nequaquam impediant. Quemadmodum ferrum rapitur ad magnetem: sic anima terrenis subleuata obscuras ruinas vitat, Deumq; finem, ac principium suũ esse cognoscit: hinc Boëtius. *Hoc quicquid placet.* Cum itaque anima sit simplex, indiuisibilis, quocunque se diuertit, tota se vertit: tunc anima defecit, vt ait Dauid. *Defecit in salutari anima mea.* tunc fit absorptio spiritus.

Boëtius meto. 10. lib. 3.

Hoc quicquid placet, excitatq; mentes,
Infimis aluit tellus cauernis.
Splendor, quo regitur, vigetq; cœlum,
Vitat obscuras animæ ruinas.

Hugo. Contemplatio tres comites præexigit.
- Lectionem
- Meditationem
- Orationem,

Lectio inquirit: Meditatio inuenit: Oratio postulat: contemplatio degustat: Lectio solidum cibum ori apponit. Meditatio masticat, & frangit. Oratio saporem acquirit. Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ reficit. In vita contemplatiua quatuor considerandæ sunt.
- Actus spiritualiter viuendi.
- Actus contemplandi.
- Motiuum ad contemplandum.
- Dilectio consequens.

Primum consistit in charitatiua dilectione: secundum est actus contemplandi, qui consistit in intellectu: tertium voluntatem respicit, quæ ex amore mouet intellectum ad contemplandum: dilectio consequens pariter est in voluntate.

De

De contemplatione habes.

Gen. 12. 13. 15. 18.
Gen. 30. item Gen. 24. de contemplatione serui Abraæ.
Gen. 42.
Exod. 2.
Psalm. 36.
Iob. 39.
4. Reg. 4.
Hest. 14.
Matt. 19.
Luc. 10.
Rom. 1. 10. 21.
Ephes. 1. 2.
Col. 1. & 2. Io. 2.
Act. 2. 9. 10.
Ephes. 1. 2.
Apocal. 1.

De Contritione.

CONtritio variè appellatur contusio, angor animi, flens animi demissio ex scelerum memoria, animi mors cum obiurgatione sui: & dicitur contritio à con, & tero. Sicut lapis frangitur, quando in partes frangitur: conteritur verò, quando in minutas partes: ita cor frăgitur, quando incipit recedere à peccato: conteritur, quando totaliter destruitur affectus peccati: quod est plenè à peccato recedere. Exemplum: de grano bene contrito fit panis sapidus: ita tritura cordis (vt Aug. ait) est pietas, & humilitas. Qui se conterit, ita scitur sibi: se habeat iratum, vt Deum habeat propitium: se habeat iudicem, vt Deum habeat defensorem. Quare Paulus Cortesius appellauit contritionem, contusionem, quæ fit, cùm cor pœnitentis conteritur, secundùm omnes circunstantias requisitas ad peccatorum remissionem.

Contritio est dolor pro peccatis, voluntariè assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Quia contritio est dolor: ideò vbi non est dolor, non potest esse contritio, vt in cœlo: & quia dolor iste est gratia informatus; ideò contritio non est in inferno: & quia est dolor meritorius (nam in contritione est effectus meriti satisfacientis) ille locus purgatorij non est locus merendi: sed solùm satisfaciendi: quare in purgatorio non est propriè contritio. Dicit ergo: contritio est dolor (quia contraria contrariis curantur remediis) voluntariè assumptus, vt distinguitur à dolore illato violenter: nisi enim dolor esset voluntarius, non esset meritorius; quia non placent Deo obsequia coacta pro peccatis, contra multos, quibus plerunq; grauior

est

est mors propinquorum, quàm animæ propriæ detrimentum cum animo confitendi, & satisfaciendi. Quia non est perfectum totum integrale absque suis partibus. Dolor in contritione, debet esse vehemens: sed quantitas contritionis attenditur, non circa mensuram temporis, sed doloris, qui debet esse.

- Acer.
- Acrior.
- Acerrimus.

Acer, quia offendimus Deum Creatorem omnium: acrior, quia offendimus patrem nostrum spiritualem: acerrimus, quia offendimus Redemptorem nostrum. Acer, quia omisit: acrior, quia commisit: acerrimus, quia amisit. Omisit bona, commisit mala, amisit æterna. Acer quia Deum offendit: acrior, quia peccatum defendit: acerrimus, quia vitam amisit.

- Acer, quia amisit prætèritæ vitæ portionem.
- Acrior, quia diuinam possessionem.
- Acerrimus, quia æternæ gloriæ benedictionem.
- Acer, quia obligatur æternæ ditioni.
- Acrior, quia prauæ habitationi.
- Acerrimus, quia æternæ damnationi.

Contritio est velut feruor in musto, qui facit ebullire totam vini substantiam: virtute cuius purum ab impuro separatur, & à vini substantia tota fæculantia purgatur: & ad fundum dolij descendens totam vini substantiam puram reddit: sicut per calorem ignis rosæ resoluuntur instillatione, pondere: vel mola stillat oleum ab oliuis. vapores nube inclusi calore dissoluuntur.

Tria habet vera contritio
- In oculis lachrymas.
- In labiis confessionem.
- In anima compunctionem.

- Lachrymæ lauant,
- Confessio exprimit.
- Compunctio purgat. Qui non habet cordis compunctionem, non habet mundam orationem.

Peccata contritione eneruantur: in confessione occiduntur, vt iam non viuant: in satisfactione annichilantur: vt non reuiuiscant, nec in culpa, nec in pœna.

Con

Contritio tria facit.
- Diabolum fugat, sicut fumus expellit hominem è domo.
- Animam purgat, sicut mare vomit cadauera, & ad littus transmittit.
- Et ipsam sanat: sicut medicina corporis primò turbat, deinde sanat.

Contritio comparatur torrenti: quicquid ei obuium fuerit, suo impetu reijcit: sic fluctus lachrimarum reijcit sordes ab anima. Similis est pluuiæ, cui succedit aër serotinus.

Contritio humilis trahit ex corde peccatoris venenum culpæ, & mitigat morsum, & tristitiam conscientiæ. Sicut musca, quæ viuens est esca araneæ: mortua; & contrita, est morsus araneæ medicina: sic peccatum in homine viuens pascit Diabolum: sed cùm mortificatur per contritionem, tunc virtus diaboli euacuatur.

Quatuor modis anima conteritur.
- Memoria peccatorum.
- Recordatione futurarum pœnarum.
- Considerationè peregrinationis huius vitæ.
- Desiderio supernæ patriæ.

Sed quidam sunt, qui habent quidem memoriam peccatorum, sed ad horam, voluntate peccandi interius remanente. Ad quod facit illud Ieremiæ. *Ecce constitui te super gentes.* id est peccata carnalia, *& regna*, id est peccata spiritualia: vt euellas scilicet radicem malæ voluntatis in contritione. Nam sicut radix manens in terra iterùm repullulat, & subolescit, ita peccatum in anima: est enim sicut serpens in sinu, sicut venenum in stomacho, sicut fures in domo. Ieremiæ.

In contritione sunt duo apprimè necessaria.
- Spes,
- Timor,

Inter has duas molas comminuitur cor humanum. Timor deprimit. Spes eleuat. Deuter. 24. *Non accipies loco pignoris superiorem, aut inferiorem molam, sed vtramque. Oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.*

Con

Contritio est triplex. { Extensiua, Intensiua, Longæua.

Extensiua ea est, quæ se extendit ad omnia peccata; est enim contritio displicentia de peccato, vt est offensiuum Dei: immo se extendit ad peccata, quæ pro tempore committi possent. Eadem ratione contritus tenetur in generali velle pati magis quamcunque pœnam, quàm peccare: & hæc intensiua dicitur.

Longæua durare debet per totam vitam: nam teste B. Aug. *Vbi dolor finitur, deficit pœnitentia. vbi deficit pœnitentia, nihil relinquitur de venia.* Deus absoluens hominem à pœna, & culpa æterna, ligat eum vinculo perpetuę detestationis peccati. Immo, ait D. Thomas: si peccatum prius commissum, & iam per pœnitentiam dimissum, in memoriam veniens placeat voluntati, relabitur in illud, & si non idem numero, simile tamen in specie. In quo sensu, ait B. Augu. *Nullum scelus Deo tam abominabile fit, quàm præterita peccata vnicuique nostrum dimissa, reminiscendo, gaudere.*

Hugo. de San. Vict.

D. August.

Dub. Dubitaueris fortè, an contritio excedere possit peccati deformitatem, & esse nimia: & si sola potest auferre reatũ pœnæ, ad quid confessio? audi. Cõtritio non est nimia, quæ fit in parte rationali, cùm fit occasione peccati, quatenus est offensiuum Dei: sicut neque amor charitatis potest esse nimius, in parte tamẽ sensitiua potest & amor esse nimius: & contritio. *Rationabile obsequium vestrum.* addo, quia contritio potest tantùm intendi, vt deleat omnem pœnam, & tamen confessio, & satisfactio est necessaria, non propter remedium, sed propter præceptum. addit D. Thomas, & propter incertitudinem; quia non est certus, an sua satisfactio fuerit sufficiens ad tollendum totum reatum.

Rom. 12.

Septem sunt contritionis considerationes.

Prima est, considerare post se præteritæ vitæ prauitatẽ, temporis amissi iacturam, morum peruersitatem. Hierem.

Ierem. 2. *Vide vias tuas in conualle, scito quid feceris.*

Secunda est, ante se considerare Christi passionis acerbitatem, mortis necessitatem, diuini iudicij seueritatem. Hebr. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.*

Hebr. 10.

In dextera debet perpendere peccator diuinorum beneſi

neficiorum abusionem, diuinæ misericordiæ benignitatẽ, Sanctorum omnium offensam.

In sinistra, fallaciam Diaboli.

Infra acerbitatem ignis infernalis, pœnam interminabilem.

Intra spiritualium donorum carentiam, peccatorum sorditatem, diabolicæ subiectionis miseriam.

Supra se diuinam indignationẽ. Hier. *Scito & vide, quia malum, & amarum reliquisse te dominum Deum tuum.* *Hierem. 2.*

Quinque ad veram contritionem pertinent.

Motus liberi hominis arbitrij super omnia diligendum,

Motus liberi arbitrij in detestatione peccati.

Infusio gratiæ gratum facientis,

Expulsio culpæ.

Præuentio diuina, quæ liberum arbitrium mouet, & excitat ad ea, quæ dicta sunt.

De Corde.

COr est præcipua pars in animali, à quo vita, iuxta sapientis dictum, procedit, græcè καρδία præcipua inter viscera, & vitæ sedes. Vnde Rabbi Moyses. Sicut se habet cœlum ad vniuersum: ita cor ad corpus animalis. cœlum nunquam quiescit, & semper mouetur: & cor pulsu manifestatur: quare custodiendum est, sicut vas pretiosis thesauris plenum, & sicut castrum inter hostium impetus. Vnde *Omni custodia serua cor tuum.* tanquam vas pretiosum, quod carius emitur, & in eius fractura maius damnum consequitur, & difficilius reparatur, & ideo diligentius custoditur. D. Paulus. *Sciat vnusquisq; vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* vas suum, id est corpus suum, in quo hospes omnis immunditię auctor inhabitat: ideò qui castè viuit, tersius, & mundius seruat corpus: ita sanè domum Dei decet sanctitudo. Sanctum enim, & mundum debet esse vas illud, in quo pretiosi liquores sapientiæ, & gratiæ infunduntur: si enim tanti fit vas, in quo ossa, & cineres Sanctorum reconduntur, quid mirum si corporis, & sanguinis Domini mensa cordis nostri mũditiem exigit? Vnde cor dicitur, quasi corban apud Hebræos, quod latinè munus, vel oblatio dicitur. *Prouerb. 4.* *1. ad Thess.*

Cor

Similitudo. Cor hominis est veluti radix arboris, q̃ est { Viua. Fixa. Solida. Humida } Cor hominis radix dicitur, quia sicut hortorum cultores omne studium suũ in excolenda plantarum radice ponunt, & aquis irriguis, & molli terra fouent: & sic cultæ, lætæ, & procerè consurgunt: ita vir pius cordis puritati summa cura inuigilare debet.

Ea ratione cor hominis viuum esse debet; cor si quidem est primum principium membrorum, & virium vitalium quo ad esse. Debet vir pius facere quemadmodum aranea, cùm videt telam fractam, nũquam venatur, nisi prius fuerit reparata: atque exordiũ sumit à medio telæ, nihil extrema reputans, quandiu mediũ fuerit fractum: ita remanente interius fractura peccati, non essent meritoria opera exteriora. *Munda prius quod intus est.* in picturis primus color est albus, qui facilè recipit peregrinas impressiones.

Similitudo.

Matth.

Debet esse fixum cor, per spem. *Paratum cor eius sperare in Domino.*

Debet esse solidum, per charitatem. *In charitate radicati.*

Debet esse humidum, per deuotionem. *Ad humorem mittit radices.*

Ita Deus cor viuum, fixum, solidum, & humidum respicit, aperit, tangit: respicit, vt respiscat: aperit, vt gratiam suscipiat: tangit, vt ad feruentem orationem moueatur: nam per consensum transfertur cordis dominium: ante ostium cordis habet Diabolus sedem suam, cum toto suo exercitu.

Cor (teste D. Bern.) in quatuor affectibus est, quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas, siue contristeris.

Cor peccatoris dicitur desertum quadrifariam.

Ociositate, quæ sterilis est.

Negligentia ad bonum promerendum. Nihil nobis vicinius est corde nostro: & tamen sæpius euagatur.

Quia à feris inhabitatum reptilia, quorum non est numerus.

Vel quia infructuosum est, idcirco obdurescit cor, & tria incommoda patitur.

Act. 7. Spiritui sancto resistit. *Dura ceruice, & incirconcisis cordibus & auribus vos semper Spiritui sancto resistitis.*

In

In cunctis Diabolo inseruit. *Cor durum, & induratum nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus mouetur, minus non cedit, flagellis induratur; tandem concludit, neque Deum timet, nec hominem reueretur.* *D. Ber.*

Demum mortem incurrit. *Secundum enim duritiam tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram in die iræ.* ita obduratum cor in suo proposito perseuerat, quasi ad victoriam plus quàm oportet; vt pote neque consiliis salutaribus vult acquiescere. *Rom. 2.*

Illud cor dicitur durum, quod est inhabile ad suscipiendum, stabile ad permanendum, forte ad resistendum: ita cor dicitur durum; quia est inhabile ad impressionem gratiæ suscipiendam. *Dist. 47.*

Dicitur quis durus in verbo; quia durè respondet in intellectu: quia praue retinet in capite per inobedientiam. *Simil.*

In corde, quia non credit; immo deprimitur magis: sicut videmus in torculari, quòd per immensitatem ponderis superpositi vinum effluit, & racemorum massa exsiccatur.

Dicitur obdurata; quia est in peccato stabilitum: vel quia Deum, & eius mandata impugnat. Isti sunt veluti lapides in aquis, qui licèt continuè aquis rigentur: non tamen inde mollescunt; quin potius duriores euadunt. ad hunc quoque modum obstinati in sordibus suis magis sordescunt, malitiæ suæ præmia expectantes: nam diabolus contra eiusmodi obstinatos allegat præscriptionem. Obduratio cordis non est culpa, sed pœna, & importat subtractionem gratiæ, vel inhæsionem culpæ, & firmitatem in peccato: nam obstinatus est, qui in suo peccato perseuerat, quasi ad victoriam, plusquam oportet: vel qui consiliis salutaribus non vult acquiescere. Caussa duritiei, est extractio humoris. Cato fit dura, cum liquor exprimitur, & humor eliquatur. Causa deficiens, est liberum hominis arbitrium gratia destitutum. *Vides famelicum, neque vis pascere si non pauisti, occidisti: causa mortis in casu est defectus cibi.* ille non occidit, sed permisit occidi: quare omni custodia seruandum est cor, quo nil fugacius est, quodque semper extra effunditur, & effluit. Vnde apes sunt imitandæ, quæ à natura edoctæ ostia aluearis, in quo mellificant, succis amaris illiniunt, vt se, & fœtus proprios à venenosis morsi- *Simil.* *Simil.*

bus aranearum defendant: in hunc sanè modum facere debet peccator, ita cor suum amaritudine inungere, ne venenosæ cogitationes subintrent. *Cor sapientis, vbi tristitia. Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non morabitur extraneus.* Sed impœnitens est, sicut equus ulcerosus, qui dum tangitur in vulnere, recalcitrat, Cor contritum ad Deum dirigitur, & à Deo corrigitur. D. Basilius exponens illud Psal. 7. *Et diriges iustum* ait. Iustus dicitur rectus, & rectum cor, quod rectificatum est.

Ecc.7. Prouerb.14.

Via dirigendi cor ad Deum, est triplex. Humilitatis.
Cordis directio est amare, quod amandum & eo amore, quo est amandum, timere timenda, desiderare desideranda, & sic omnia recta tendunt in Deum. Sapientiæ. Concordiæ.

Psal. 50. Cor peccatoris trifariam scin-
Iere. 24. ditur.

- Per contritionem, vt effluat sanies iniquitatis. — *Cor contritum, & humiliatum.* Ps.
- Per compassionem ad proximum, vt effluant viscera pietatis. — *Dabo eis cor, vt sciant me.*
- Per amorem ad Deum, vt exeat fluuius amoris. — *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.*

Prou. 4. Cor hominis habet vim, nedum recipiendi, & conseruandi, sed & attrahendi. *Christum habitare per fidem in cordibus*
Eph. 3. *vestris.* Ideo cor hominis debet esse profundum, vt profundè recipiat: altum, cùm quis mente rapitur. *Accedit homo ad cor altum,* id est, ad cor Christianum, *& exaltabitur Deus,* scilicet, per contemplationem. Habet cor nostrum simili-
D. Hier. tudinem speculi (ait sacer Hiero.) quod rem obiectam repræsentat, & effigiat.

Debet quoque cor nostrum esse mundum: nam sicut tabella albo colore dispositа, facilius recipit alios colores, & diutius retinet: sic cor mundum diutius retinet, & facilius imbibit diuina charismata. Vnde omnis veræ sanctitatis, & religionis fons, in corde est, à quo externa opera dimanant. Quocirca quisque cordis puritati, atque custodiæ potissimum studere debet: vt Deum in seipso hospitem

pitem recipiat: sicut enim corpus humanum, si à iuncturis suis fuerit auulsum, extra locum sibi à natura destinatum violéter collocaretur: ita cor nostrum extra Deum. & propterea cauendæ sunt duæ particulæ, quæ in carne non veterascunt, & hominem ad peccatum trahunt, cor, & linguâ: quia noxias cogitationes, quas cor machinari senserit, lingua pandit. Quare est molliendum cor, abluendum, deprimendum, exercendum, fouendum, vniendum.

Molliendum, quia. *Cor durum malè habebit in nouissimo:* nam & ipsa natura docet, quę non dedit nobis cor æneum, lapideum, vel osseum: sed carneum. *Eccl.*

Abluendum est cor. *Laua à malitia cor tuum.* Deus enim est summa puritas, qui pascitur inter lilia. *Ierem. 4.*

Deprimendum est cor tuum. *Deprime cor tuum*, ideſt, inclina per humilitatem. Nam deprimere, est deorsum premere: quod fit per humilitatem. *Eccl. 11.*

Exercendum est cor, & in oratioue ad Deum erigendum est.

Fouendum est cor. Nam homo carnalis dicitur vecors, quasi derelictus à corde.

Vniendum, Dominus in Osea comminatur. *Veh duplici corde:* pollicetur quoque dare cor vnum. *Osee. 10.*

Cor nisi vnitum sit, nunquam à peccato separatur, & nulli compatitur: correctionem non accipit, sed contemnit. Lupus ictum sagittæ non timet, sed duritiæ pellis eam reiicit: ita peccator in vitiis inueteratus non recipit correctionem. Musca non separatur à sanguine sine ictu mortis: ita *Cor durum malè habebit in nouissimo.* *Ie. 22.*

De Corde habes. *Eccl. 3.*

Gen. 17. 18. 20. Psal 21.
Exod 10. 31. Ierem. 4.
Matthæi 22. Dan. 7.
Can. 8.

De Correctione fraterna.

COrrigere, est ad rectum reducere quod erratum est. Vnde fraterna correctio, est admonitio fratris de emendatione delictorum, ex fraterna charitate.

Est autem correctio bipartita, prima est actus iustitiæ vindicatiuæ, & est coercere à malo per inflictionem iustæ

pæne. Hanc habent prælati, & exercent in subditos: altera est actus dilectionis, quæ est per amicabilem instructionē boni. Primam habet solus Prælatus. Verùm plerique sunt iudices mundi, qui sunt instar statuæ Herculis, vel Mercurij; habent quidem clauam, & caduceum, quibus minentur: at nunquam percutiunt. Alteram habet omnis fidelis, cum sit actus charitatis.

At actus charitatis duplex esse potest, ne proximus peccet: & si peccet, emendetur. Si quis seruaret vestem tuam ab igne, est charitas: sed si personam, erit maior charitas: ad extremum, si seruaret animam, est maximus actus charitatis.

Verùm quidam correctionem audiunt, & corriguntur.

Quidam audiunt, sed non corriguntur.

Exempla. Quidam nec audiunt, nec audire volunt, nec corriguntur. Primi sunt similes pergameno, vbi scriptura facilè abradi potest: secundi papyro, vbi scriptum deletur quidem, sed manet macula, & litura quædam. Tertij sunt similes ferro, & incudini; incus enim etsi calefiat exterius: intus tamen viget frigus.

Fraterna correctio fieri debet quadrup. ratione.

D. Chrys. Primò, vt peccator peccatum suum, & seipsum agnoscat. *Correctionis initium est, cognoscere se peccasse.*

Secundò, vt de peccato doleat, & seipsum emendet.

Tertiò, vt se deformem cognoscens reformetur optimè: ac iustissimè viuemus, dicebat Diogenes. *Si quæ in alios reprehendimus, ipsi non faciamus.*

Quartum, vt si peccatum videns conniues, peccati particeps videris, Non propterea valet dicere. Ego sum peccator, & quomodo cæteros corrigam? Audi. non me latet, quòd qui vult alios corrigere, seipsum prius corrigat, oportet. Solebat irasci, desinat, vt sit patiens: erat audax, sit mansuetus: erat inuidus, sit humanus; erat lasciuus, sit castus. Sed attende, quia correctio sit vel per modum increpantis: & tunc prius teipsum corrige, vel per modum supplicationis, quæ est communis bonis, & malis. vel, vt ait D. Thomas, correctio consideratur, vel quòad essentiale, vel quòad idoneum. Essentiale est emendatio fratris, & fundatur in recto iudicio rationis: & ita peccator quòad hoc potest alium peccatorem corrigere; quia peccatum,

D. Bon. 4. dist. 19.

D. Thom. 32. 3. ar. 5.

& est

& est valida ratio, non corrumpit bonum naturæ quò ad idoneitatem. Peccator redditur indignus, vel ratione grauioris iniquitatis, vel ratione superbiæ intensioris, vel ratione propriæ condemnabilitatis.

Sed dices, quando peccatum est occultum, debet ne statim denunciari? dico cum Richardo, & aliis præstantissimis viris: aut peccatum est occultum omnino: aut est in promptu, vt sciatur: vel iam iam ad aliorum aures perceuit: si est notorium, debet denunciari illi, qui potest corrigere; vt si quis fuit scandalizatus in crimine, ædificetur in pœna: si verò nondum ad notitiam peruenit, adhuc denunciandum est, vt futuro scandalo occurratur: si est occultum, & speratur emendatio, & lucrum fratris, admoneatur primò, & differatur denunciatio: si non speratur emenda, & peccatum nõ sit infectiuum (vt est hæresis) nec damni illatiuum (vt est furtum) tunc differatur denunciatio: si infectiuum, vt hæresis, denuncietur: si damnum infert, vt furtum, videatur, si est maius damnum furtum, vel fama delinquentis, & sic maiori damno obuiandum. *Rich. in 4. Anton. par. 2. tit. 9. ca. 6. Durandus. in 4. dist. 19.*

Dices forsan, nonnè actus charitatis est sufferre peccatorẽ? cedo, tenemur sufferre peccatorẽ, id est, non turbare, vt beneuolentia emẽdetur: ideò omnibus debemus fraternæ correctionis officiũ impendere, sub spe diuini auxilij.

Correctio debet habere iustam causam, à qua oriatur: iustum modum, quo exequamur: iustum finem, ad quem ordinetur. *Iustè quod iustum est, exequaris.* Causa necessaria est in fraterna correctione; quia cum sit spiritualis eleemosina, non datur nisi indigenti. Modus quoque est admodum necessarius. *Deut. 16.*

Verùm circa modum correctionis seruandæ sunt sex conditiones, vt sit diligens consideratio.

Charitas,
Animositas,
Lenitas,
Prudentia,
Discretio,

Habenda est in primis consideratio personæ delinquentis, quia in re dubia (teste magno Gregorio) non datur certa sententia. *D. Greg.*

Charitas adhibenda est: vt nihil nocēdi cupiditate fiat, nihil inhumaniter, sed omnia consulendi charitate; charitas siquidem similis est molæ aquariæ, quæ & acri aqua, & leni oleo acuit ferrum. Ad hunc modum debet esse correctio acris, sed non crudelis. Acris, ne negligatur: sicut plumbum in igne positū splendescit: diu tamen detentum facilè diflat, & in aërem dissoluitur. Et quemadmodum nolentibus acceptare rationem ostensiuam, fit argumentum ducens ad impossibile: & morbi qui non curantur emplastro, purgantur cauterio, quod est corporis cloaca.

Similitudo.

Similitudo.

D. Hieronym. ad Amandum presbyt.

Putridæ carnes ferro indigent, & cauterio. & venena serpentino pelluntur antidoto. & quod satis dolet, maiori dolore expellitur.

Non debet esse crudelis: quia correctus illud dicere posse.

Nunquid ego sum canis, quia venis ad me cum baculo? Petro vniuersalis Ecclesiæ pastori dictum est. *Conuerte gladium in locum suum.* Paterfamilias domi habet gladium, quo furem depellat, & virgam, qua filium corrigat. Nimia enim pietas dissolutionem disciplinæ parturit.

Duplex itaque est modus curandi, per leniora, & per acriora medicamina; alioqui vlcus nullum remedium habet, nisi aperire, & scalpello rumpere queas, vt sanies latens egrediatur. Quare imitandus est chirurgus, qui, vt infirmi vulnus suauius aperire queat, quibusdam vnctionibus linit, vt putredinem educat, quæ sine fine vagare-

Similitudo.

tur, si eam medicinalis increpatio non deficcaret. In quo sensu dicit B. August. *Duo sunt nomina, homo, & peccator: quia peccator est, corripe; quia homo est, miserere.*

Animositas quoque adhibēda est: sed quidam sunt, qui in corrigendis erroribus persimiles sunt imaginibus, quæ in hortis, & vineis collocantur ad terrendas aues, quæ vi-

Similitudo.

dentes arcum, & sagittas timent quidem, & fugiunt: sed cùm nullam viderint sagittam ab arcu emitti, super caput volitant, saltant, & sordibus coinquinant: quare vehemens debet esse correctio, sed cum ratione facta: quia seuera, & nimis acris, & indiscreta correctio, est veluti nouacula

Isid.

dentata, quæ valde offendit, abradendo pilos. hæc (vt Isid. ait) non emendat, sed percutit. Animositas adhibenda est,

ne

ne sit remissus ; quia facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi. Si vides pulicem in veste, purgas:& tamen pateris labem in anima: quæso considera teipsum,ne actu tenteris.

Lenitas quopue perneceſſaria eſt; quia temperandus eſt affectus. Psalm. *Superuenit mansueto, & corriptemur.* Vnde Socrates admonitionē serui in tempus distulit. Cæderem te,inquit,nisi irascerer. *Homines quippe sumus,& à vitijs non sumus alieni.* qui corrigit, cum lenitate multa faciat:multa lenitate opus habet, qui corripit: vt qui corripitur, æquanimiter toleret sectionem. Non videtis medicos quando vrunt, vel secant aliquos, cum quanta lenitate opus curationis exercent? Sit itaque amor in corrigendo, sed non emolliens rigor,sed non exasperans stilus:sed non immoderate sæuiens pietas:sed non,plusquam expediat, parcēs: sed ô tempora,ô mores, cadit asinus,& succurritur ei : cadit anima,& non est,qui releuet eam prudentia:vt consideret qualitatem criminis,atque personæ. Si quis laboret dolore dentium, vel digitorum, confestim vocat medicū: sed cum grauioti morbo est implicatus, veluti phreneticus,atra bili, vel insania affectus, ob morbi vehementiam non recipit medicum,sed explodit,vel fugit.

Psal.66. *D.Chryſoſt. in Epiſt. ad Heb.hom.30.* *D.Bern.* *similitudo.*

Ad extremum discretio adhibenda est, sine qua virtutes sunt vitia. Cytharæ chorda si tantisper asperè,& indiscretè pulsetur, frangitur. sibilus tenuis taurum alterat, equum mitigat. Discrēta esse debet, vt non quæras, quem corrigas,nec impietatem in domo iusti : verùm cum sese offert occasio:sed intellige quæ sunt proximi,ex te ipso.

Corripit Deus ad emendationem,& quos diligit, castigat. *Beatus,qui corripitur à Domino.* Iob. *Prouerb.24.* *Iob 5.& 36.*

Corripit in iudicio,cùm moderatur castigationem in hac vita. *Ierem.10.*

Corripit in ira,cum dat pœnam æternam.

Corripit iustus in misericordia ; quia corripit ad emendationem. *Amos 5.*

De bona correctione habes.

Leuit.9.	Exod.1.& 18.
Eccl.19.	Iosuæ 22.
1.Cor.4.	Iud.20.
1.Tim.2.	Paralip.26.

2. Tim. 2. Dan. 9.
Iob 6. Thob. 2.
Prouerb. 14. Gal. 1.
Matth. 7. Psalm. 17.
Gen. 11. & 13. Leuit. 26.
B. Anselmus super epistola ad Timoth.
B. August. de charitate.
Idem de verbis Domini.
D. Gregorius in Registro.
Item in pastorali.
Cassiadorus epistola 3.

De Custodia.

CVstodire est diligenti cura seruare aliquid, ne amittatur: vnde custodia, est actus custodiendi: Vnde Dauid petebat ori, & cordi custodiam apponi. duplici enim munimine opus est: vt nec cogitatio iniqua sapiat, nec praua voluntas in fatua verba erumpat.

Tria ab homine sunt custodienda. { Interiora, Superiora, Exteriora,

Deut. 4. Interiora, vt anima. Deut. *custodi temetipsum, & animam tuam sollicitè.*

D. Greg. in Reg. *Custodiens rem sibi datam, hostis declinat insidias.*

Eccl. 2. Superiora, vt mandata Dei Eccl. *Qui timent Dominum, custodiunt mandata.*

Iosuæ 23. *Sitis ergo solliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt:* Ios.

Cant. 3. Exteriora, vt bona proximi. Cant. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.*

Corpus suum vnusquisque tenetur custodire.

D. Bern. in par. ser. Solet dici, ait D. Bern. *Bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit.*

Maxima virtus est parta possidere, vt quidam ait.

Ouid. 2. de Arte amã. *Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.*

Casus ineſt illic, hic erit artis opus.

In bona custodia animæ aperiendæ sunt aures ad audiendum.

{ Cor ad intelligendum.
Os ad loquendum:
Oculi ad videndum.

Debemus

Debemus aperire aures ad audiendum: sicut ianuæ castri aperiuntur domino. Dominus aperit mihi aurem: ego autem non contradico. Isa. *Retrorsum non abij.* & Iob. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* Aperiendum est etiam cor ad recipiendam illuminationem in intellectu, & gratiam in affectu. *Ego sto ad ostium, & pulso: si quis mihi aperuerit, intrabo, & cœnabo cum eo.* Apoc. Ostij nomine cor hominis intelligit, nunquam cessat, nunquam otiatur. Dominus ideò stat, & pulsat paratus semper intrare, iuuare, illuminare, erigere, & confortare: sesequè nobis ad nutum donat; ideò non debes diffidere, si velis pœnitere: pulsat Dominus manu beneficiorũ, & virga flagellorum. Non est animi bene instituti donum recipere, & donantem à se abdicare. Vnde Cant. *Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* pulsat quoque virga flagellorum. Aug. *Magna Dei ira, quando peccatori parcit Deus:* ad hoc enim parcit, vt in æternum puniat, & magna Dei misericordia est, in præsenti misericordiam non consequi.

Isa. 1. *Iob.* 42. *Apoc.* 3. *Cant.* 5. *D. Aug.*

Aperiendum est etiam os nostrum in custodia animæ. *Os suum aperuit sapientiæ.* Prouerb. Aperiendæ sunt manus ad operandum. *Manus suas aperuit inopi.* aperiendi sunt oculi ad præmia cæli, & ad pœnas Inferni. *Aperi oculos tuos, & saturare panibus.* Prouerb. *Lena oculos tuos in directum.* Ierem. ita.

Prou. vlt. *Prou.* 20. *Ierem.* 3.

- Mala cauemus.
- Pacem habemus.
- Vitam fouemus.

Mala cauemus; quia Prouerb. *Anima & gladij in vita peruersi, custos animæ suæ longè recedet ab eo.* Cauendum est ab insidiis diaboli. narrat quidam auctor de Catto, quem rusticus posuit in arca, vt custodiret caseum à muribus, qui ad extremum mures, & caseum comedit: ad hunc modum nobis cum diabolo plerunque euenire solet.

Prou. 22. *Michol. in lib. de omni & nullo.*

Cauendum est à murmuratione. Sap. *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest.* custodienda est manus, ne mala operetur.

Sap. 1.

De Corpore Christi.

Circa Corpus Christi tria perpenda sunt.
- Infallibilis fidei veritas.
- Rationabilis, dispositionis congruitas.
- Inuiolabilis obseruationis continuitas.

CIrca primum considerandum est, quòd sub specie panis, & vini realiter continetur corpus Christi. Vnde sciendum est, quòd quando sacerdos ista verba pronunciat, scilicet. *Hoc est corpus meum, &c.* panis transit in corpus Christi: & vinum in sanguinem vertitur: illa verbi virtute, qua. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis:* qua, *omnia dixit, & facta sunt. Qua vxorem Loth, in statuam salis mutauit. Qua virgam Mosaycam vertit incolubrum. Qua flumina, & fontes Aegypti conuertit in sanguinem: Et aquam in vinũ: & verbum Eliæ ignem de cœlo iussit descendere.* Verbum Christi non poterit panem in carnem mutare? Certè maius est de nihilo aliquid creare, quàm quod est, in aliud mutare. Item si potuit corpori mortuo, vt Lazaro, & corpori insensibili, vt Adæ, vitam inspirare: & de terra insensibili facere rem sensibilẽ: quare non poterit panem in carnem mutare? Item homo educit de terra ferrum quotidie, & de cinere vitrum: sed Deus est longè potentior: ergo, &c. Item, si quæras, quomodo credam ibi esse corpus Christi, cum videre non possim: respondeo. Credis iumenta, & omnia animalia exisse de terra, & tamen exiisse non vidisti. Et te proauũ, & abauum habuisse, tamen non vidisti: quare ergo nõ credis ibi esse corpus Christi sub illa specie panis, licet non videas? Nonne Fides est argumentũ rerum non apparentiũ? Item quærunt hæretici, quomodo possit quotidie ab hominibus manducari corpus Christi, qui si mons esset magnus, totus comestus esset. Respondeo: Sicut de quinque panibus quinque milia hominum satiauit: & de quibus maiores reliquiæ remanserunt, quàm essent quinque panes. Sic potest ipse totam Ecclesiam de corpore suo pascere, absque sui decremento. Item calor, & splendor ignis, & odor rosæ, & sapientia hominis se omnibus communicant (quantum in se est) sine sui detrimẽto. Similiter & sol omnibus se communicat: sic & candela candelis multis

Ioan. 1.
Gen. 19.
Exod. 4.
Exod. 7.
Ioan. 2.
4. Reg. 1.

sine

sine sui decremento ignem, & lucem monstrat. Et sicut mulier Sareptana quotidie comedebat de farina hidriæ, & non diminuebatur farina, nec oleum in lechito. Mulieri alteri Elysæus oleum multiplicauit. Item idem propheta inuitatis suis cibaria multiplicauit. Sic tota Ecclesia quotidie sumit corpus Christi, sine decremento sui. Item, sicut vna vox prædicatoris eadem numero auditur ab omnibus, ad quos potest peruenire: sic Deus potest facere, vt vnum corpus Christi numero ab omnibus recipiatur sacramentaliter. Item, aliqui mirantur, quòd in vna hostia tam parua, sit totum corpus Christi, in omnibus partibus illius hostiæ simul vnitis, ita quòd in nulla parte sit totum: & tamen, si hostia diuidatur in partes, est totum in qualibet parte: & non mirantur, quòd in vno speculo appareat tota imago, & vnica: & si diuidatur speculum in partes, quot essent partes speculi, tot essent integræ eius imagines. Itē, quidam mirantur, quòd in modica specie sit tantum corpus & totum: & non mirantur, quomodo in speculo appareat magnum, & ingens templum. 3. *Reg.* 4. 3. *Reg.* 18.

Secundò, est rationabilis dispositionis congruitas, vt in susceptione corporis Christi suam conscientiam vnusquisque examinet, mundet, & disponat. Quia qui vult ponere pretiosum liquorem in aliquo vase, probat, vtrum mundum sit, sanum, vel corruptum. Sic facere de se debet, sacramentum altaris susceperus.

Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat: Item sacerdos, quoties ad mensam corporalem accedere debet, manus suas lauat, & manibus illotis non comedit: & tamen ad mensam Domini manibus illotis accedunt mali sacerdotes, nec lauant, per mensem, vel amplius, non accedentes. Quod dicitur. *Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum.* Item sunt multi, qui in præparatione cibi corporalis volunt laborare à mane in horam tertiam: in præparatione tamē cibi spiritualis, vix volunt laborare per dimidiatam horam. Modus præparandi tangitur in Exod. vbi legitur de agno paschali. *Non comedetis ex eo crudum quid, vel coctū aqua: sed assum tantum igni.* Crudum comedit ille, in quo ignis charitatis deest. Coctum aqua comedit, qui in de *Cor.* 11. *Exod.* 12.

in delitiis,& fluxu luxuriæ viuit. Assum igne,qui passionẽ domini recolit;ita vt *in meditatione eius exardescat ignis charitatis.* Debet etiam comedi *cum lactucis agrestibus*, id est, cum dolore, & amaritudine cordis pro peccatis. Pondera, quòd dicitur in libro Sap. quòd manna ad calores solis liquefiebat: sed ad ignem indurescebat: Sic corpus Christi, quod per manna signatum est,quando ab anima recipitur, vbi est calor solis,id est charitas,quæ illam liquefieri facit, & solui in diuinum amorem,& deuotionem.Cant. *Anima mea liquefacta est. vt dilectus locutus est.* Quuando verò recipitur ab anima,vbi est calor ignis malæ concupiscentiæ, indurari facit eam per obstinationem. *Probet ergo se homo*,vtrùm in eo sit calor solis,vel ignis: *& sic de pane illo edat,&c.* Item recipiendũ est etiam in sindone munda (id est,in puritate cordis) & in sepulchro, in quo nondũ quisquam positus sit:nõ ponat ergo aliquis corpus Christi,vbi iam est diabolus; quia nulla conuentio Christi ad diabolum.Vnde sicut Iudas per osculum tradidit eum Iudæis:sic sumens indignè corpus Christi, tradit eum dæmonibus, quantum in se est, dum collocat illud in loco, qui est in potestate diaboli. Ideo de tali conqueritur Dominus. *Manus tradentis me mecum est in mensa.* Augustꝰ. *Magis peccât,qui tradunt peccatoribus membris christum, quàm qui crucifixoribus Iudæis tradiderũt eum.* Præterea maiorem quis iniuriam domino suo facere non potest,quàm si eum in vincula detrudat,atque in sordes proiiciat:hoc facit indignè sumens Corpus Christi. Corinth. *Qui manducat, & bibit indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.* glo. pœnas Christo dabit, ac (si ipsum occiderit) punietur. Ambr. *Qui indignè christum sumit, idem est, ac si ipsum interficiat.*

Sap. 6.

Cant. 5.

Cor. 11.

Tertiò inuiolabilis obseruationis continuitas,id est diligens custodia post susceptionem. Si quis in pixide, vbi corpus Dominicum est positum, fœtidum aliquid,vel lutum posuerit,infidelis quippe iudicaretur. Qualis ergo iudicandus est ille,qui os suum,in quo Dominicum corpus recipit, malis verbis: vel cor suum prauis cogitationibus polluit ? Prouerb. *Qui custos est Domini sui, glorificabitur.* Item, si tantum est peccatum Deo negare hospitium: maius certè videtur (postquam receptus fuerit) eum ab hospitio

Prou. 27.

spitio suo expellere; Vnde quidam ait.

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

Si tantum offenditur Deus, quando discipuli eius non suscipiuntur, vt dicitur, Luc. *Quod Sodomitis remissius erit in die iudicij, quam illis, qui non receperint vos.* quantum credendus est Deus offendi, quando sibi negatur hospitium: & præcipuè à suis? Ioan. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Item, talis similis est Iudæ, qui, postquam ad mensam Domini comedit, eum tradidit hostibus suis, Eccl. *Est amicus socius mensæ, & non permanet in die necessitatis.* Tales similes sunt Iudæis, qui in ramis Palmarum, floribus, canticis, & hymnis cum laudibus Dominum honorificè susceperunt: & postea eum iniuria, & contumelia eiecerunt. Proditio enim est magna, dominum suum hospitio recipere, & postea hostes inducere, qui eum gladiis, & fustibus eiiciant: quod faciunt, qui eum primò recipiũt, & postea peccata committunt. Nimirum cor eius rumperetur, si quis videret se ab vxore sua è domo eiici, & adulterum ab ea recipi: sic Deus cùm videt se contemni, & de domo sua eijci, & vitia, & diabolum recipi. Ioann. *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me.* Si alius id est diabolus, venerit in nomine suo, ipsum recipietis.

Luc. 10.

Ioan. 1.

Eccles. 6.

Tripliciter autem quis accedit ad susceptionem huius sacramẽti: vel per comparationem eius ad id, quod sumitur, cuius dignitatis non est proportio cõueniens: sic nulla creatura dignè sumit. *Nunquam potest homo iustificari comparatus Deo.* Secundò, per comparationem ad consecutionem effectus: & sic indignè accedit. Tertiò, per comparationem ad culpam, quam manducando contrahit: & sic indignè accedit, & peccat mortaliter. Opponitur autem huic indignitati (teste D. Bonauentura) sufficiens præparatio, quæ est expulsio omnis peccati, reuerentia, & dilectio.

Ioan. 5.

D. Bon. lib. 4. distin. 9. qu. 2. Gab. ibidem. Iob. 25.

Verùm quidam se præparant verè: quidam probabiliter: quidam neutro modo. primi dignè accedunt: qui verò sunt impreparati, indignè.

De Decimis.

DEcima est tributum, siue homagium Deo debitum. Sicut enim nõ reddens homagiũ domino suo, hæreditate priuatur: ita non soluens decimam, hæreditatem perdit

perdit. Nam veteres ex vna quaque re decimam Diis offerre consueuerunt.

Interest autem inter decimas, & primitias. Primitiæ frugum: decimæ verò aliorum.

Triplici ratione institutæ sunt decimæ: primò, ex parte Dei in recognitionē vniuersalis dominij: cùm enim deus ex magna sua liberalitate nouem partes rerum creatarum nobis concesserit, decimam partem sibi retinuit: Vnde

Leuit. vlt. Leuit. *Omnes decimæ terræ, siue de fructibus, siue de pomis arborum Domini sunt, & illi sanctificantur.*

Secundò, ratione cōsentaneum est, vt Ecclesiæ decimas soluamus, à qua tot bona accipimus quotidie: hoc modo decima semper fuit in præcepto iure diuino, secūdùm rationem iustitiæ, quę exigit, vt qui metunt spiritualia à mi-

Gen. 47. nistris Ecclesiæ, dent eis temporalia. Vnde Gen. Sacerdotibus in Ægypto cibaria ex horreis publicis dabantur.

Gerson. in reg. mor. part. 2. Tertiò, ratio dictat, quòd qui inuigilat circa salutem animarum, & Reipublicæ, vtilitatem habeant, vnde viuere possint: & propterea solutio decimarum sacerdotibus est de iure diuino, quatenus inde sustententur.

Gen. 14. Melchisedech, obtulit Abrahæ, tanquam dei vicario, decimas omnium rerum, quas habebat.

Gen. 28. Iacob decimas de omnibus dedit.

Recipientes decimas debēt esse clerici domino seruientes: qui non debent superflua quærere, sed necessaria, & Deo inseruire, atque diuinis semper assistere. Ezechias in-

2. Par. 29. struxit sacerdotes. *Vos elegit Dominus in hæreditatem sibi, vt stetis coram eo, & ministretis, & cremetis incensum.*

Nulla consuetudo cōtraria soluit hominem ab obligatione reddendi decimas; quia hæc obligatio fundatur su-

De Thom. quol. 2. art. 3. per ius diuinum, & naturale: ideò tenentur semper homines reddere decimas, si Ecclesia exigat, contraria consuetudine non obstante. Deus autem voluit decimas in noua lege dari, vt ex substantiis nostris Deum honorantes, gratias Deo agendo acquiramus gratiā Spiritussancti. In veteri autem testamento, fuit signum perfectæ curationis ab omni morbo peccatorum, quæ expectabatur fienda per Christum. Nam denarius est numerus perfectus, etiam in yia Platonis, & primus limes numerorum, vltra quem non

proce

proceditur, nisi replicando præcedentes numeros. Et ita qui dabat decimas, protestabatur, quasi figuratè, & in quodam signo ad se pertinere imperfectionem, & expectare perfectionem futuram per Christum.

Et ita decimatio est actus moralis, sacramentalis, & figuralis.

Moralis, inquantum est alicuius partis donatio ad substentationem eorum, qui sunt diuino cultui deputati. Morale enim, & iustum est, *vt de altari viuat, qui altari deseruit.* 1. *Cor.* 6. Sacramentalis, inquantum est donatio alicuius partis ad Dei honorem. In fide mediatoris ob curationem morbi originalis. Figuralis, quatenus donatio decimæ partis facta summo sacerdoti, significabat curationem vtilem fiendam per futurum summum sacerdotem Christum.

Quadruplex præmium consequuntur hi, qui fideliter, & deuotè decimas persoluunt.

- *Primum*, est abundantia temporalis.
- Secundum, est corporis incolumitas.
- Tertium, est infusio gratiæ, multiplicatioque virtutum.
- Quartum, est copiosa salus in patria.

De Decimis habes.

Deus respexit ad Abel, & ad munera eius, quia de melioribus obtulit gregis. Cain verò despexit; quia de corrosis, & vilioribus terræ nascentibus, obtulit. *Gen.* 4.

Debent sacerdotes decimas recipientes, Deo vacare. *Num.* 18.

Debent de suis redditibus pauperibus errogare. *Deut.* 18.

De Dolore.

Dolorum septem sunt differentiæ. est enim dolor.

- Deponendus.
- Recolendus.
- Appetendus.
- Assumendus.
- Sustinendus.
- Abhorrendus, &
- Præcauendus.

Primó. dolor deponendus. Et hic est dolor alienæ fœlicitatis. Iste dolor regnat in inuidis, qui similes sunt buffoni, qui (vt dici solet) odorem florentis vineæ sustinere non potest. Et quibusdam serpentibus Indiæ, qui statim fugiunt, quando vident florere arbores aromaticas: quas etiam

etiam corrodere dicuntur, ne floreant, eo quòd odorem florum earum sentire non valent. Sic inuidi prosperitatem proximorum videre non possunt: & de ipsorum infortunio gaudent. Istis dicitur, Eccl. *Laqueo peribunt, qui oblectãtur casu iustorum: dolor consumet eos, antequam moriantur.* gladius enim inuidiæ cor eorum perforat, incessanter cruciat, secundùm illud poëticum.

Eccles. 27.

Iustius inuidiæ nullus est, qui primitus ipsum
Corrodit, auctorem excrutiatq; suum:

Exemplum de rubigine, quæ paulatim consumit ferrum: & sequitur.

Risus abest omnis, nisi cùm fecere dolorem.

Similes sunt Diabolo, qui nunquam lætatur, nisi quando videt alterius malum. Psal. *Quorum os malis plenum est, & amaritudine, & dolo.*

Psal. 13.

Secundò, est dolor recolendus. Et hic est dolor Dominicæ Passionis, ad quam considerandam inuitamur. *O vos omnes, qui transitis per viam, &c.* Ob cuius memoriam pingi semetipsum fecit in parietibus, in cuius figuram cruces quoque in compitis eleuantur. Cuius dolor signatur per dolorem capitis, cuius dolori condolent omnia membra corporis, nisi corrupta sint, vt patet in paraliticis: vel abscisa, vt in mutilatis: vnde *Caput meum doleo, &c.* Quantus debeat esse dolor iste, dicitur. *Dolebunt super eum, sicut doleri solet super mortem vnigeniti.* cuius dolor est summus, & cõtinuus. *Doleo super te, frater mi Ionatha, doleo super te: sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam.* Verba sunt Sanctorum, passioni Christi, tanquam fratris, aut filij compatientium.

Tren. 1.
4. Reg. 10.
Zach. 12.
2. Reg. 50.

Tertiò, est dolor appetẽdus. Et hic est dolor contritionis, quam petebat, Iob. *Dimitte, vt plangam.* & benedicit, *dimitte me*, quod est donum. Exemplum illius in dialogo, qui petiit inducias vsque mane, & habere non potuit. sequitur. *Vt plangam paululum dolorem meum Vt plangam* (dicit) non vt gaudeam: aut mala, quæ feci, faciam. Porcus dimittitur crescere, vt postquam fuerit magnus, & pinguis, occidatur: aut de fure, qui semel, vel bis dimissus, iterum in furto deprehensus suspenditur. sequitur. *Antequam vadam & non reuertar.* Est enim infernus ad instar Dædali, cuius facilis est ingressus: sed negatur egressus.

Iob. 10.

Nassam

Nassam faciliter intrant pisces: sed inde exire nesciunt. De illo dolore dicitur. *Dolor meus super dolorem, in me cor merens.* Bilis exprimit dolorem; quia dolori cordis debet addi dolor satisfactionis, hoc est dolor pœnalis: non enim sufficit pœnitere, nisi addatur satisfacere: dum tamē tempus habeamus: sicut non sufficit velle se acquitare debito, nisi sequatur solutio. Sequitur. *In me cor meum mœrens*; mœror enim contritionis eicit sordes ab anima. Exemplum de torrente, qui quælibet obuiantia sibi suo reiicit impetu. Magdalena per flumina lachrymarum lauit maculas peccatorum: aqua, ignem extinguit, medicamentum, dolorem linit. Quantus autem debeat esse dolor cōtritionis, dicitur Oseæ. *Colligata est iniquitas Ephraim.* Vinculo scilicet malæ voluntatis: vinculum enim ita ligat fasciculū, quòd nec vnica palea decidat: & circulus ita stringit dolium, quòd nec gutta quidem possit exire, nisi perforetur. Sequitur *Absconditum est peccatum eius, sicut gladius in corde.* Exemplum de stulto, qui non permisit extrahi gladium de corpore vsque ad vesperam, & statim mortuus est: peccatum in anima, serpens est in sinu, vel venenum in stomacho, vel latrones in domo. Sequitur. *Dolores parturientis inuenient eum.* Nota, quòd mulier cum maxima delectatione concipit: & cum vehementissimo dolore parit, ita quòd nullum membrum est in parturiente, quod non doleat. Sic nec minimum membrum debet esse in corpore quod non satisfaciat. Cum enim omnia membra fuerint instrumentum vitiorum, debeant esse simul instrumenta pœnitentiæ. Exemplum de Magdalena, quæ de se tot fecit sacrificia, quot habuit delectamenta *Torsiones, & dolores tenebunt, quasi parturientes dolebunt.* Ier. 8. Os. 13. Is. 13.

Quartò, dolor est assumendus. Hic est dolor compassionis. Membra siquidem adinuicem doloribus suis condolent: vnde si patiatur vnum membrum, statim aperitur os, ad quærendum remedium: auris, ad audiendum consilium, oculus, ad videndum: manus, ad signādum. Cum igitur omnes simus vnum corpus in Christo; alter autem alterius membra, sicut dicitur. Debemus adinuicem compati: sin contra, non pertinemus ad corpus Christi. huius doloris habemus exemplum. *Audite obsecro vniuersi populi,* Rom. 12. Tren. 1.

& videte dolorem meum. Iuuenes mei, & virgines abierunt in captiuitatem. Videre, quòd magister compatitur iuuenibus, & virginibus; quas captiuauerat Diabolus: quia talibus magistris insidiatur, & aduersatur. Est enim sicut venator, qui delicatiora quærit animalia; qui etiam per tales magister lucratur, quando sunt in exercitu suo: sed pauci sunt qui condoleant proximo, similes canibus, quia percussum canem, & vlulantem omnes lacerant, persequũtur, & mordent. Cum enim abundant diuitiis, visitantur, & frequentantur: quando rediguntur ad paupertatem, contemnuntur, & reiiciuntur. Arbor visitatur & obseruatur diligenter, tempore fructuum: sed ablato fructu, despicitur, & cunctis exponitur: vt patet in vineis, quæ clauduntur tempore fructuum: quibus perceptis, postmodum etiam feris exponuntur.

Quintò, est dolor sustinendus. Hic est dolor mundanæ aduersitatis. Huius exemplum habetis in capite nostro *Is. 53.* Christo, de quo dicitur Isa. *Verè dolores nostros ipse tulit, & languores nostros ipse portauit.* Scimus, quòd non est possibile, quòd caput doleat: & cætera membra sine dolore remaneant, secundùm illud poëticum.

Cui caput infirmum, cætera membra dolent.

Cum igitur caput nostrum Christus tot dolores sustinuerit, iustum est, & necessarium, quòd dolores in præsenti sustineamus; alioqui membra eius non essemus. *Vnde* *Iob 14.* de bono milite dicitur Iob, *Caro eius, dum viuit, dolebit.* *2. Matt. 6.* *Duros cordis sustineo dolores.* Est igitur hic dolor sustinendus. *In* *Ecc. 2.* *dolore sustine: & in humilitate tua patientiam habe; quoniam in* *Psal. 68.* *igne, &c. Omnes enim ad laborem nascimur. Ego sum pauper, & dolens, &c.* Ideò puer (tanquam propheta sui) nascitur plorans, pugil nudus, & inermis aggreditur bellum. Ad hoc enim nascimur, vt in continua pugna versemur, vt in exilio) & necessarium mortis dominium sentiamus. Propter *Iere. 20.* hoc conqueritur Propheta. *Quare de vulua egressus sum, vide laborem, & dolorem, &c.*

Sextò, est dolor abhorrendus. & hic est dolor vltimæ resolutionis, de quo. *Defecit in dolore vita mea, & anni mei, nõ* *Psal. 30.* *audierunt vocem tuam Domine.* Sequitur. *Et ecce mortui sunt in* *Baruc. 2.* *doloribus pessimis.* Malus est dolor mortis; quia separat ab amicis

amicis,& cognatis. Pessimus est; quia animam à corpore separat. Ideo timendus, quia subitus. Scintilla citè extinguitur:& fumus citò dispergitur. Rosa, quæ nunc rubet, mox marcescet. *Cum dixerint, pax, & securitas: tunc repentinus superueniet interitus.* Ecce,quòd subitus,& incertus fulgur momentò dissoluit magnam turrim. Sequitur. *Quasi dolor parturientis.* Ecce, quòd grauissimum est in partu, quando ruptis carnibus, extrahitur fœtus à ventre: sed in morte cuius libet extrahetur anima à corpore. Sequitur. *Et non effugient.* Ecce, quòd ad perpetuum, & quasi necessarium. Mirabile, si euadere possunt, quando ex vna parte Diabolus,ex altera autem mors circundat. *Circundederunt me dolores mortis, &c.* Sunt enim aliqui, qui desinunt esse, sed non penitus. Sic videmus, ex pellibus animalium fieri sotulares, & alia humanis vsibus necessaria: sed cadauer nulli res deseruit;nisi quia post resurrectionem generalem consolidabitur: propter hoc dicitur. *Deficiant peccatores à terra,& iniqui.* ita vt non sint. *Omne opus corruptibile in fine deficiet:& qui operatur illud,cum illo peribit.*

1. Tim. 5.

Psal. 17.

Psal. 103.

Eccl. 4.

Septimò,est dolor præcauendus; Et hic est dolor æternæ damnationis: & hunc dolorem aggrauat acerbitas incomparabilis:illic enim vlulabunt miseri præ dolore,sicut lupus in pedica captus, & sicut decoriatus. *Serui mei laudabunt præ exultatione cordis.* Vrsus præ angustia spiritus vlulabit.& hoc innuitur,vbi dicitur. *Quòd manducabunt linguas suas præ dolore.* Quò verbo præcipuè tangit aduocatos. Aggrauat etiam hunc dolorem anxietas immitigabilis? nulla enim erit spes alleuiationis. Propter quod igitur blasphemabunt Dominum,à quo nullum expectabũt remedium, desperati. *Blasphemabunt Deum cœli præ doloribus,& vulneribus suis.* Omnes enim medici simul nullam possent eis exhibere medicinam. *Insanabilis est dolor tuus propter multitudinẽ iniquitatum tuarum.* Aggrauat insuper & hunc dolorem æternitas interminabilis. Nulla spes erit vnquam euasionis: tunc enim dicetur eis cum derisione illud. *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis,quas succendistis, de manu meâ factum est hoc vobis,In doloribus dormietis,si dormitis.* supple: quod erit impossibile. Etenim dormiet in igne, vel in tanto quis dolore:tunc dicent miseri illud. *Dolores inferni cir-*

Is. 55.

Apoc. 16.

Apoc. 16.

Ierem. 30.

Is. 50.

Psal. 17.

cunde derunt me, præoccupauerunt, &c. A quibus nos liberet, qui iudex est viuorum, & mortuorum, & introducat in gloriam suam.

De Eleemosina.

ELeemosina, est benigna suffragandi voluntas, quæ egentissimo cuique suffragatur. Et dicitur quasi aqua miserationis, vel quasi actus diuini mandati: vel Elij, & Moys, quasi aqua Dei; vel à voce ἔλεος id est, misericordia.

Eleemosina dari debet { Festinanter, Abundanter, & Hilariter.

Prouerb. 3. Primò dari debet eleemosina festinanter. Quia; *Qui citò dat, bis dat. Ne dicas amico tuo vade, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare. Cor inopis non affligeris: & non protrahas domũ an-*
Ecc. 10. *gustiatis.* Attendere debent hic illi, qui per manus proprias in vita sua nulli volunt distribuere: sed per manus alienas post mortem suam, expectantes sibi medicinam dari post
Eccl. 18. mortem contra consilium Sap. *Ante languores adhibe medicinam.* Melior est vna candela ante, quàm duæ retro. Eleemosina, quę datur in vita, est lucerna, quæ præcedit aliquẽ, præmuniens viam, ne in lutum cadat, vel præcipiter in foueam. Illa, quæ fit post mortem, est sicut lucerna, quæ defertur alicui post tergum, quæ non custodit eum, ne cadat
Aug. in foueam inferni. Augusti. *Considerate, fratres, quòd multi subitò bona sua perdiderunt: quæ studiosè recondebant: & quorum pœnituerunt; quia non audierunt consilium Domini, dicentis. Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Chrisosto. *Congrega substantiam, vbi habes patriam.* Qui enim collocat thesaurum in terra, non habet quod speret in cœlo. Veh qui aspicis in cœlum, vbi nihil habes repositum.

Quis iudicaret pauperem diuitem, cui in alieno hospitio seruiatur auro, & argento in mensa? & nihil licet ei ex-
Iob 27. tra portare. *Diues, cùm dormierit, nihil secum affert.* Amb. *Non sunt bona hominis quæ secum ferre non potest.* Sola misericordia comes est defunctorum. Hoc ergo tuum reputa, quod pauperibus erogasti: quicquid enim pro mundo fecisti, perditum habe. Mundus enim est tanquam bursa per-
Aggæi. 1. forata, vbi quicquid ponitur, totum elabitur. *Qui congregauit merces, posuit eas in saccum pertusum.* In mercibus magis

lucrauitis

lucratiuis ponunt mercatores nummos. Et in terra magis fertili iacitur semen. Mercatores autem attendũt diligenter, cui magis credant merces, & vbi reponant. Sic & tu scias, cui credas credentias tuas: & illi soli committas, qui potens est depositum tuum seruare. *Scio cui credidi, & certus: quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex.* Item, Semen gelu, vel glacie pressum, & retardatum vberius fructiferat aliquando. Sic eleemosina, quæ in aduersitate præstatur, maiorem habet remunerationem: & illa, cui detrahitur, quàm quæ laudatur. *Sit eleemosina tua in abscondito, &c.* 2. Tim. 1. Matth. 5.

Secundò, debet dari eleemosina abundãter. *De altissimo secundùm donatum eius.* Id est sicut se, & sua dedit tibi. Sic tu & te, & tua tibi. Sicut enim nihil retinuit erga te: sic tu nihil retineas erga ipsum: sicut fuit largus: sic & tu ei. *Quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* Nullus potest se excusare à collatione eleemosinæ, licèt pauper sit: quoniam aliquando tantùm placet Deo obolus, quem pauper pro Deo erogat: sicut si diues daret centum denarios. Libenter emeret aliquis pauper carnes, vel vinum, si tantùm crederet se habiturũ pro vno denario, quantum diues pro centum. *Iustus miseretur, & tribuet.* glo. semper est iusto aliquid, quò det, saltem orationem. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ tantùm, non perdet, &c.* Chrysost. *Si videris inopem, & dixeris. Iuuenis, & sanus es, nihil agens, quare non laboras? hic dicet tibi: cum sanus sis, nihil agis eorum, quæ tibi Deus iniunxerit? Dicit autem. Qui non laborat, non manducet. Si verò dicas, semel, vel bis dedi, quid ergo? Non indiget rursum cibari, qui semel est cibatus?* Item, vinea illa libentius sumptuosè colligitur, quæ bonum vinum affert, quàm illa, quæ prauum, vel nihil. Sic pauperes magis inuitandi sunt, quàm diuites; quia remuneratio maior habebitur. Melius est lucrari in vilioribus, quàm perdere in gemmis, & pretiosis. Sic melius est pauperibus, & vilibus dare, quam diuitibus: de quibus nullum luctum habebitur. *Cum facis conuiuium, in cœnam noli vocare amicos, & diuites, &c.* Item, creditor dando pecuniam ad vsuram, plus lucratur, quàm debitor. Sic qui dat eleemosinam, lucratur magis, quàm qui accipit. Diuites autem quod tri- Tob. 1. Psal. 36. Matth. 10. Luc. 14.

Prouerb. 19. buunt pauperibus, Deo ad censum mutuant. *Fœneratur Deo, qui miseretur pauperi:* Vnde glo. ait, centuplum accepturus: est enim beatius dare, quàm accipere.

Tertiò, debet dari eleemosina hilariter, & bona intentione. *Non ex tristitia, vel ex necessitate: hilarem enim datorem*
2. *Cor.* 9. *Chrysost.* *diligit Deus. Cum tali vultu respicit Deus ea, quæ facis, cum quali*
Eccl. 35. *facis. In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Oculus enim interioris semper debet præcedere manum operationis.
Prouerb. 4. *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.* Non quid detur, refert, sed qua mente detur. Æquauit opes animo, qui exiguum tribuit libenter.

Quare in eleemosina tria cõsiderantur. { Actus interior. Actus exterior. Et fructus.

Ad actum interiorem, inuitat Deus.

Ad actum exteriorem, inuitat natura, & lex.

Ad fructum, inuitat triplex vtilitas: temporalis, quia multiplicantur bona temporalia: spiritualis, quæ à morte liberat.

Iucundus homo, qui miseretur & commodat. bene dicit, *commodat.* quia redditur ei multiplicatum.

Diuina acceptatio. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Decet hos Scotus in quæst. de Praxt. In actu interiori quoque consistit Christiana liberalitas: quia & pauperes possunt esse liberales. Vnde B. August. *Si tu potes dare eleemosinam, da: si non potes, affabilem te fac,*
B. Aug. super Psal. 103. *scilicet per consilium, & compassionem. coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo, charitas non de sacculo erogatur.*

Zacheus non amplius publicanus, sed filius Abrahæ tangit conditiones ad veram eleemosinam requisitas, cùm ait. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. Ecce quò ad promptitudinem:* quia nemo inuitus bene facit, etiam si bonum est, quod ipse facit. *Dimidium.* quia si multum fuerit, abundanter tribue. *Bonorum:* quia debet esse bona, & non de rebus marcidis: propria, non de rebus alienis. quare ait, *meorum.* de malè acquisitis non debet fieri eleemosina, quando scitur dominus. his enim opibus vti non licet, quæ vel rapinis, vel furto, siue fœnore parantur: Cum satis notum

notũ sit, eiusmodi opes his reddi debere, quibus adimũtur. Est enim species furti, de alieno largiri. *Do.* liberè, & voluntariè; quia nihil turpius est vænali misericordia. *Paupe-ribus.* quia (vt S. Leo ait.) *Habẽtibus dare, nihil est, quàm perdere.* Perpende itaque, quòd dare eleemosinã pauperi, & pietatis & iustitiæ est, si consideras indigentiã: dare eleemosinam, pietatis est, si consideras indigentiã proximi: & debitum tibi impositum: & pietas, & iustitia est, quia teneris dispẽsare superflua. Hoc siquidem docet natura in arboribus, quæ & foliis & fructibus exuũtur, vt nobis subueniãt. *D. Thom. 22. q. 33.*

Continentur autem opera misericordiæ his duobus versiculis.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solare, remitto, fer, ora.

Visitare infirmum, potare sitibundum, cibare famelicum, redimere captiuum, tegere nudum, condere defunctum, consulere dubitanti, docere ignorantem, castigare delinquentem, consolari tristem, remittere iniurias, ferre patienter aliorum infirmitates, orare pro omnibus.

Verùm triplex eleemosina assignari debet.
- In corde, compatiendo proximo.
- In ore, consolando, & compatiendo proximo.
- In opere, subueniendo proximo in necessitate.

Præterea tria sunt eleemosinarum genera.
- Dare egenti.
- Dimittere lædenti,
- Corrigere delinquentem.

Modus faciendi eleemosinam consistit in his tribus, vt fiat.
- Velociter,
- Latenter,
- Hilariter.

Velociter, Seneca. *Quantum moræ addidisti, tantum gratiæ subtraxisti.* Latenter. *Te faciente eleemosinã, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Hilariter. *Melior est bucella panis cum gaudio, quàm domus plena diuitijs cum iurgio.* Solent mercatores thesauri pondere grauari, vel vbi timent fures, & sicarios pecuniam suam aliis committere, à quibus litteras accipiunt: has litteras Christus tradit nobis, vt centuplum pro simplo accipiamus in patria, ad quam ipsi *Matth. 6. Proverb. 17.*

Marc.9. tendimus. *Si quis dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.*

Eleemosina tria bona facit. { Deum placat, Meritum augmentat, Bonum multiplicat.

Deum placat, quia *Fiducia magna erit coram Domino eleemosina omnibus facientibus eam.*

Meritum augmentat. *Qui miseretur pauperi, beatus erit.*

Bonum multiplicat. *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem:* id est, cum ratione, & discretione prouidet pauperibus, & egenis.

Habes de eleemosina.

Tob.12.
Prouerb.15. & 3. Psal.40.
Eccl.3.
Daniel.4.
Isa.58.
Matth.10.
Matth.25.
2.Cor.9.

De Exemplo.

EXemplum Græcè ὑπόδειγμα: est autem duplex, malorum scilicet, & bonorum. Malorum exemplum nobis relinquitur, vt à peccato caueamus. Bonorum autem, vt eorum exemplo proficiamus. Vnde dicit Dominus vnicuique fideli. *Vade, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est in monte:* (Mons iste sacra scriptura est.) vade igitur, & lege scripturam: & ibi inuenies malos propter peccatum punitos crudeliter: bonos autem, præmiatos nobiliter. In exemplum autem nobis relinquuntur.

Exod.25.

Primi parentes, vt caueamus à peccato inobedientiæ.
Sodomitæ, vt caueamus à peccato carnalitatis.
Israëlitæ, vt caueamus à peccato infidelitatis.
Niniuitæ, vt caueamus à peccato instabilitatis.
Memoria Sanctorum, vt ad virtutes tendamus.

Primò in exemplum nobis relinquuntur primi parentes, Adamus scilicet, & Eua, vt caueamus à peccato inobedientiæ, & temeritatis: qui non solùm peccatum inobedientię commiserunt: sed alia etiam peccata mortalia perpetrarunt:

petrarunt. Et propter peccatum inobedientiæ mortem temporalem incurrerunt. *Adam exemplum meum adoleſcentiæ meæ.* Qui videret medicum ob alicuius medicamenti potionem mori, non libenter poſt eum de illa potione biberet: ſic qui videt Prælatum, vel patrem ſuum, vel alium malo opere, vel alio veneno peccati ſpiritualiter mortuũ, non debet eum ſequi. *An guſtare poterit quis, quod guſtatum affert mortem?* Iac. 1. Iob.

Secundò, relinquuntur nobis in exemplum Sodomitæ, vt caueamus à peccato carnalitatis. Ciuitates Sodomorum, & Gomorreorum in cinerem redigens, euerſione damnauit. Exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt. Qui videret aliquem in ignem præcipitari, & comburi: vel foueam, & ſuffocari: vel in aqua ſubmergi, non ſequeretur eum: ſed vitaret. Sic nec iſti ſunt imitandi, nec alij eorum ſimiles: quia ex eorum imitatione mors ſequitur æterna. *Mandabatur, vt ſi aperiret ciſternam, & non operiret eam: & caderet bos, vel aſinus in eam.* id eſt aliquis ſimplex exemplo eius peccauerit, *dominus ciſternæ reddet pretium*, id eſt, condignam pœnitentiam: *& alias mortuum erit ſuum*, id eſt, peccatum ei imputabitur. 2. Pet. 2. Exod. 21.

Tertiò, relinquuntur nobis in exemplum filij Iſraël, vt caueamus à peccato infidelitatis. *Feſtinemus ingredi in illã requiem, ne quis incidat in Chriſtum incredulitatis exemplum.* gloſſ. In qua patres noſtri fuerunt, qui propter incredulitatem ſuam terram promiſſionis non intrauerũt. Quando illi, qui ſciunt viam, errant, non eſt mirum, ſi illi errant, quia neſciunt: & tamen fatuus eſt, qui ſcienter ſequitur deuiantem. Libri, qui ſcripti ſunt ad exemplaria falſa, ſolent eſſe falſi. Ideò non eſt mirum, ſi multi ſunt mali, & corrupti: quia exempla eorum, ſcilicet prælati, & parentes mali, corrupti ſunt. *Ideò ad primates, & ipſi magis fregerunt iugum, &c.* Et tamen non ex hoc ſumus excuſati: quia ſi ſacerdos vineam ſuam, quando florere incipit, vindemiaret, nemo exemplo illius ſimiliter de ſuo faceret. Quomodo exemplo illius animam tuam perdis: cum exemplo illius nolles denarium perdere? Item ſi videres aliquem malum mercatum facere, exemplo illius caueres tibi de ſimili. *Cane ne imitari velis abominationem gentium.* Hebr. 4. Hier. 5. Deut. 18.

Quartò, ponuntur nobis in exemplum Niniuitæ, vt cauleamus à peccato instabilitatis; quia non steterunt in pœ-
Nau. 3. nitentia. *Ponam te in exemplum, & omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet. Vastata est Ninive.*

Quintò, in exemplum relinquitur nobis memoria Sanctorum, vt ad virtutes tendamus. Debemus enim respicere Sanctos, qui nos præcesserunt, vt defectus nostros cogno-
Iob 23. scamus, & emendemus. *Respiciet homines, & dicet: peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus, non recepi.* Et nota, quòd dicit, respiciet: sicut antiqua exemplaria respiciuntur, vt prauitas, & falsitas nouorum librorum: antiqui enim San-
Act. 3. cti exemplaria nobis sunt, vt illis nos conformemus. *Dicit Petrus claudo, respice in nos.* Et sicut scriptor, qui vult verè scribere, semper habet oculum ad exemplar; alioquin falsum sæpe scriberet. Sic & nos ad vitam Sanctorum respi-
Gal. 24. ciamus. *Æmulamini bonum in bono semper.* Cæmentarius quando ponit, & aptat modulum ad lapidem, defectum lapidis percipit. Et carpentarius signum mensurans linea, & regula, tortuositatem illius, & gibbositatem cognoscit. Sic si mensuraremus vitam nostram ad vitam, & pœnitentiam Sanctorum, & antiquorum Patrum, quasi nullam reputaremus. Sen. *Nisi ad regulam, prava non corriges.* Item, vnà semper, ad quam viuas, regulam prehende, & ad illam omnem vitam tuam exequère. Item, cera recipit formã, quam in sigillo inuenit. Et metallũ, qualem inuenit in modulo, siue tortam, siue rectã: sic iuuenes formam viuendi, quam inueniunt in antiquis. Sed multi sunt, qui citius quærunt formam rectam ad informandos soculares suos, quàm ad
Phil. 3. informandam vitam suam. *Imitatores mei estote, &c.*

Proponitur ergo nobis in exemplum Sanctorum memoria ad virtutes. Christus in exemplum patientiæ, & humilitatis. Alij Sancti in exemplum pœnitentiæ, & viuacitatis, perseuerantiæ, & longanimitatis.

Primò, proponitur nobis Christus in exemplum patientiæ, & humilitatis: quando lauit pedes discipulorum suo-
Ioan. 13. rum. *Si ego laui pedes vestros Dominus, & magister, &c. Exemplum enim dedi vobis, &c.* quia non est seruus maior domino suo. De patientia autem. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, &c.* similiter. *Posuit me*

quasi

quasi in prouerbium vulgi, & exemplum suum coram eis. Hanc tentationem permisit Deus illi euenire, vt posteris daretur exemplum patientiæ, &c. 1. Pet. 2. Iob 17.

Secundò, proponitur nobis in exemplum patientiæ, & viuacitatis, sicut fuerunt sancti Martyres, & sancti Apostoli, Confessores, & Virgines contra pigritantes, & desides. *Per agrum pigri hominis transiui, &c. quod cùm vidissem, exemplo didici disciplinam, vsque quò piger dormis? somno scilicet mortis, & iaces in lecto peccati, surge, &c.* Prouer. 24.

Tertiò, proponuntur nobis alij Sancti, & Prophetæ in exemplum perseuerantiæ, & longanimitatis. *Exemplum accipite, fratres mei, exitus mali, non culpæ, sed pœnæ, & longanimitatis prophetas, qui locuti sunt.* Iacob. 5.

Philosophi cognouerunt, quòd in omni genere datur vnum, quod est metrum, & mensura aliorum: vt nemo de seipso præsumat, vel sit sapiens in oculis suis. Hoc quoque declarauit Dominus Exod. *Vade, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. Est autem exemplar iuxta vocabuli proprietatem, ad cuius imitationem fit aliquid: Imago verò, quod alterum exprimit, & imitatur. Pictura dicitur imago, quia est id, quod exprimit alterum, & imitatur, scilicet Cæsarem. Cæsar dicitur exemplar, quia id, ad cuius imitationem fit aliquid. Quando Christus illuminauit cæcum, dixit ei. *Respice.* Et Petrus Apostolorum princeps. *Respice in nos.* Act. 3. Sed in rebus humanis habemus nostras formas, & mensuras, præterquam in anima nostra, quæ sola omni arte destituta est. Hinc maiorum exempla valde nobis obsunt: Vnde subditi dicere possunt. *Peccauimus cum patribus nostris.* Prælati, quoque, & maiores duplici pœna puniuntur. *Potentes potenter punientur, quia potenter peccauerunt.* Cum maiores voluptati deseruiunt, minoribus lasciuiæ fræna laxant. Sanctorum verò exempla dicuntur carbones desolatorij; quia incendunt ad Dei & proximi amorem.

Comparantur exempla genis, quæ oculis subiiciuntur, & minimè cooperiuntur. Maximè facit ad exemplum patientia, quæ opus perfectum habet. In area fit percussio grani, & calcatio sustinet plures actus, quando trituratur granum: nec propterea frangitur terra; quin potius integra, Comparatio.

& solida perseuerat.

Malum exemplum non tantùm occidit, quàm corrumpit.

Est autem exemplum quadruplex. { Tenendum. Cauendum. Timendum. Quærendum.

Tenendum est exemplum bonorum, cauendum malorum; quia citius nos corrumpunt vitiorum exempla domestica. Timendum est damnatorum exemplum: quærendum est bonorum exemplum, in quo debemus apes imitari, & medicos, qui bonas herbas seligere solent. Formica quando granum portare non sufficit, ipsa onus suum præcedit, & præcedendo.

Ore trahit quodcunque potest, & addit aceruo.

Exempla magis mouent, quàm verba. Vnde Claudianus.

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus.
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Vt plantarum semina, sic hominum vitæ regionibus similes fiunt.

De Excommunicatione.

EXcommunicatio, est extra positio, vel exclusio, aut separatio: dicitur autem exclusio à communicatione fidelium, non corporalis, quæ fit in incarnatione: sed ne communicet cum aliis, nec alij cum ipso.

Scot. in 4. dist. 19. Hæc autem separatio est à septem rebus.

Primò, separatur à cœlo, quia nunquam intrabit in regnum cœlorum: nisi prius absoluatur ab excommunicatione. *Chrys.* *Quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlo.* Vnde Chrys. *Nemo contemnat vincula Ecclesiastica: quia non est homo, qui ligat, sed Christus, qui dedit potestatem talem hominibus, & homines fecit dignos tanti honoris.*

Secundò, separatur à sacramentis Ecclesiæ: quia nullus est capax sacramenti, dum est talis; nam est extra Ecclesiam: sacramenta autem conferuntur existentibus in Ecclesia: Vnde nec talis absolui potest à peccatis, quamuis sit contritus, & dispositus ad faciendum omnia, nisi prius absolua

Ant. 2. part. Heren. 6. §. 4.

soluatur à vinculo excommunicationis: & si absolutio, nõ valet, iterum debet absolui.

Tertiò, separatur à suffragiis Ecclesiæ. *Omnes sumus corpus in Christo*, scilicet mysticum, & spirituale: Vnde membrum separatum à corpore, non recipit partem nutrimenti, quod per cibum assumitur. Cibus huius corporis sunt orationes, & suffragia. Omnis excommunicatus traditur Satanæ. *Rom.12.*

Quartò, separatur à diuino officio.

Quintò, à consortio fidelium in comedendo, & bibendo.

Vnde versus.

Os orare valet communio, mensa negatur.

Sextò, ab omni actu legitimo. Vnde nec accusare, nec aduocare, nec testificari potest, vel iudicare.

Septimò, separatur à sepultura post mortem: quia non debet sepeliri in Ecclesia, vel cœmiterio. Olim laborabant Sancti patres, vt attraherent populum ad Ecclesiam: nunc laborant, vt eiiciatur ab Ecclesia. Figuratur in iectione Adami de Paradiso.

Excommunicatur quis propter peccatum, & præsertim propter peccatum hæreseos. *Si quis non obedit sermoni nostro, ne commercium habeatis.* *2. ad Thess. 3.*

Est autem excommunicatio vltimum remedium, quando admonitiones, flagella, & eiusmodi non prosunt. & est medicinalis, & non mortalis, disciplinans, & non eradicans. Dummodo tamen is, in quem prolata est, non contemnat: quia est pro charitate, & non contra charitatem; quia est correctio peccatoris: correctio autem est actus charitatis.

Duplex est forus Ecclesiæ: vnus secretus, in quo idem est accusator, & reus, qui dicitur forus animæ, vel pœnitentiæ. Est etiam forus publicus, quia Ecclesia habet auctoritatem corrigendi delicta publica.

Excommunicatio assimilatur morsui canis rabidi: quia omnia animalia morsa à cane rabido, efficiuntur rabida, & furiosa: ita omnes communicantes cùm excommunicatis, efficiuntur excommunicati excommunicatione minori, quàm ex ipso consortio incurrunt.

Timen

Greg. in Reg. Timenda est semper excommunicatio, siue iusta, siue iniusta sit.

Primò, quia est ictus gladij spiritualis, qui magis timendus est, quàm ictus gladij materialis. Hic enim percutit corpus: sed spiritualis affligit animam: materialis separat
Luc. 22. corpus ab anima, spiritualis animam à Deo. *Ecce duo gladij*
D. August. hic. Vnde Aug. *Qui excommunicatur grauius est illi, quàm si gladio feriretur, si à feris deuoraretur, si à flammis exureretur.*

Secundò timenda: quia excommunicatus traditur Sathanæ. Nam extra Ecclesiam (permittente Deo) Diabolus est caput omnium malorum.

Tertiò, quia est membrum abscissum à corpore, quod est nullius valoris.

Quartò, quia est sicut leprosus ab aliorum consortio separatus.

Quintò, quia est priuatus omnibus bonis Ecclesiæ. Ideo maturè fulminanda est propter grauissima animarum discrimina, tam excommunicandorum, quàm cæterorum. Apostoli rarò, & nisi pro grauissimis peccatis publicis, vsi sunt gladio excommunicationis. Ter B. Paulus excommunicauit, vt facilè conspici potest ex suarum decursu epistolarum: B. Ambrosius excommunicauit Theodosium Imperatorem, propter subitam sententiam mortis quorundam. Innocentius tertius deposuit Ottonem tertium: quia non seruauit fidelitatem iuramenti, quod fecerat. Innocentius 4. excommunicauit, Fredericum, & eum iustè deposuit.

Est autem duplex excommunicatio, maior, & minor. Minor separat à sacramentis Ecclesiæ: maior ab ingressu Ecclesiæ, & communione fidelium: & dicitur anathema, quod est æternæ mortis damnatio.

Homo excommunicatus, est sicut captus ab hostibus
Eccles. 4. omni prorsus auxilio destitutus: similis illi, qui cecidit in foueam, nec habet subleuantem se. *Veh qui ceciderit, &c.*

Est sicut canis immundus, cui non licet intrare Eccle-
Apoc. vlt. siam. Apocal. *Foris canit.*

Quæ cõmunicatio sancti ad canem? Vnde sicut canes, immo magis quàm canes, arcendi sunt de Ecclesia.

Item

Item, est sicut arbor auulsa à terra, & palmes à vite, & ramus ab arbore, qui vigorem, & fructum perdit.

Sic excommunicatus omnia bona perdit, quæ sunt in Ecclesia: quia separatur à communione omnium fidelium: membrum enim abscissum non vegetatur à corpore, nec palmes à vite. sic nec homo separatus ab Ecclesia. *Sicut Ioan. 15. palmes non potest facere fructum, nisi manserit in vite, sic & vos, nisi in me manseritis.* Sed non aptum nisi ad ignem. *Filij hominis quid fiet de ligno vitis, &c. Ecce datum est in escam ignis.* Exech. 15. *scilicet inferni.*

Tertiò excommunicatus traditur diabolo, per sententiam excommunicationis. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu iudicaui huiusmodi hominem tradere Satanæ.* Cor. 5. Diabolus est sicut canis, qui ad macellum expectat: vt si quid projiciatur, accipiat, & deuoret. Vnde sicut Ecclesia hæreticos conuictos relinquit sæculari potestati: ita illi, qui excommunicantur, potestati Satanæ traduntur. Aug. *Omnis christianus, qui excommunicatur, Satanæ traditur.* Per vnum excommunicatum Diabolus lucratur multos. Vnde quidam Diabolus loquens in quodam dæmoniaco, post multas coniurationes cuiusdam boni viri, dixit ei, quòd hoc erat peccatum, per quod plures lucrabantur. Vnus enim excommunicatus vna die quandóque facit peccare centum personas, dum facit eas communicari sibi. Et nota, quòd ille, qui communicat cum excommunicato, peccat in se; quia non cauet sibi ab eo, qui habet morbum contagiosum: in quo videtur se minus amare, quàm alium; cum quilibet cauere ab illis debeat, qui morbum contagiosum habent.

Peccat in eum, qui communicat; quia aufert ei remediũ mortis, scilicet cõfessionem, per quam corrigit deberet. *Est Eccles. 4. confessio adducens gloriam.* Peccat in eum, pro quo excommunicatus est; quia aufert ei rem suam.

Peccat in eum, quem in ministro suo spernit. Lucæ 15. *Qui vos spernit, me spernit.* Et quia potius amat priuari mensa, quàm excommunicari; & societate filiorum Dei, quàm filiorum Diaboli. Et ideò meritò in inferno socius erit Diaboli.

De Exul

De Exultatione.

EXultatio est expressio exterior, prorumpēs in signum interioris gaudij; quia interius gaudium sua magnidine ad exteriora prodit. Vnde exultatio in magnis gaudiis dicitur, & venit ab exulto, frequētatiuo verbo, ab exilio, quod est exeo, prodo, & quasi saltando prorumpo: quod est supra modum efferti.

Ad exultationem veram venitur.

Per fidei infirmitatem.
Per obedientiam veram.
Per puram humilitatem.
Per patientiam rectam.
Per iustitiam congruam.
Per mansuetudinem.
Per perseuerantiam firmam.

Primò, enim ad veram exultationem venitur per fidei infirmitatem.

Psal. 60. *A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.* id est, in Christo: nam meretur fides exaltari; quia victoriosa est in bello spirituali, sicut pugil post victoriam meretur exaltari: habet autem fides victoriam de triplici hoste. *Hebr. 11.* *Sancti per fidem vicerunt regna.* s. carnis, mundi, & diaboli, vt dicetur cap. de Fide.

Secundò, exultatur per obedientiam veram, quam voluit Christus doceri à Patre in cruce; quia ex his, quę passus est, didicit obedientiam: *Factus est obediens patri vsque ad mortem.* Fuit enim mors eius turpis, propter locum; quia in Caluaria. Turpior propter crucem; quia pœna erat latronum. Turpissima; quia inter latrones mortuus est. *Phil. 2.* *Philip. 2.* *Propter quod & Deus exaltauit eum.* Si ergo Dominus tuus obediuit vsque ad mortem turpissimam, bene deberes ei obedire vsque ad mortem pulcherrimam, scilicet pœnitentiæ, quæ pulchra dicitur; quia aufert peccati turpitudinē: pulchrior; quia Deo placere facit per gratiam: pulcherrima; quia facit dignum vita æterna. *Matth. 3.* *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum.*

Tertiò, per humilitatē perfectā. *Luc. 7.* *Qui se humiliat, exaltabitur.* Nō est vallis sine colle, id est, humilitas sine exaltatione: nec collis sine valle, id est exaltatio sine humilitate:

vnde

vnde sequitur. *Et qui se exaltat humiliabitur. Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles. Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Arbor difficilè, & longo tempore exaltatur: & momento flatu ventorum subuertitur. *Paulatim ascendisti: sed non paulatim descendes: sed tanquam fulgur, & alter Sathanas.* Exemplum de Lucifero. *Inimici Domini mox honorifi cati sunt, & exaltati deficientes, quemadmodum fumus deficient,* qui tantò plus ascendit, plus deficit. *Vidi impium superexaltatum, &c. & transiui, & ecce non erat.* Stultum est quærere, quod ita citò perditur. Sequitur. *Et exaltauit humiles.* Ideò dicitur. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Luc. 2. Psal. 72. Psal. 36. Ibidem. 1. Pet. 5.

Quartò, per patientiam. *De torrente,* scilicet tribulationis, *in via bibit: propterea exaltauit caput,* gloss. Exaltauit eum Deus. Psal. 10.

Triplex est potus. { Sanctorum. / Tribulatorum. & / Peccatorum.

Primus est Sanctorum in gloria. *Calix in manu Dei vini meri.* id est praui gaudij. *Faciet Dominus in monte hocconui ium pingue, &c.* Psal. 74. Is. 25.

Secundus est mixtus tribulatorum. *Plenus mixto, quia inclinauit ex hoc in hoc. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ letifi. &c.* Temperat nobis Dominus calicem istum, quia totus mundus non posset ferre vnam guttam gaudij, nisi esset perpetua. Exemplum de Petro in transfiguratione. Psal. 74. Psal. 93.

Tertius est fecis peccatorum, qui in præsenti portant feces carnalium voluptatum: & pro his potabunt feces pœnarum infernalium. *Fex eius nõ est exinanita, &c.* Idem, *ignis sulphur, &c.* Ad temperandum calicem istum petiit diues guttam aquæ, & non habuit; quia noluit bibere hîc de mixto, bibet de puro inferni tantùm, quòd non poterit exhalare; *quia fex eius non est exinanita,* id est non finietur. *Calicem habes profundum, & latum: & eris in desertum, & in subsannationem, quæ est capacissima: ebrietate, & dolore repleberis, & calice mœroris, & tristitia: & bibes, & potabis illum vsque ad feces,* id est finem. Psal. 74. Ex. 23.

Quintò, per iustitiam congruam. *In iustitia tua.* scilicet Psal.

quam à te habent, exaltabuntur. Iustè ergo iudicare, filij
Psal.74. hominum. *Cornua peccatorum confringam.* quæ sunt posita in abundantia rerum, & sapientia mundi, quibus ventilant
Ezech.23. pauperes. *Cornibus vestris ventilabitis. Nolite exaltare cornu*
Psal.74. *vestrum.* Hæc cornua confringet Dominus, quando potentiam conuertet in iudicium: diuitias, in paupertatem: sa-
Psal.78. pientiam, in fatuitatẽ. *Et exaltabuntur cornua iusti.* quæ modò deprimuntur. *Exaltaui electum de plebe mea.* Non sicut facies Moisi apparuit cornuta ex consortio Dei: sic multi ex consortio magnorum. *Qui lætamini in nihilo, & dicitis.*
Amos.6. *Nunquid in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Ecce ego suscitabo super vos gẽtem, & conteret vos ab introitu Emath, vsque ad torrentem Deserti.*
Psal.149. Sextò, per mansuetudinem. *Exaltaui mansuetos in salutem.* scilicet scientes pati. Mali amantes bellum, qui volunt vltra vires niti, exaltantur, sed non ad salutẽ: verùm in damnationem, & tales non vincunt, sed vincuntur; quia ille vincit, qui patitur. Apostol. *Noli vinci à malo: Sed vince in bono malum.*
Psal.25. Septimò, per perseuerantiam. *Expecta Dominum, & exaltabit te*: sicut dicitur obsesso. *Expecta, viriliter age*: resiste aduersario, & conforta cor tuum; quia citò habebis succursum, & custodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram, scilicet viuentium, ad quam nos perducat, &c.

De Fide.

FIdes, est fundamentum omnium bonorum, vt dicit Augustinus. Vnde dicitur ruinam quærere, qui sine ea vult ædificare. In fide est stabile ædificium: vnde cum fides in aliquo destruitur, funditus in eo bonum destruitur. Item, fides est radix omnium bonorum, & cæteratum virtutum: vnde si hæc radix euellatur, cæteræ virtutes arescunt. Sicut rami sine radice arescunt: ita quælibet bona opera (licèt videantur bona) nulla sunt, si à fidei vnitate disiungantur.
Heb.6. Vnde victoria spirituali fidei ascribitur. *Sancti per fidem vicerunt regna.* scilicet regnum
Inferni,
Cœli, &
Mundi.

Primò

Primò, regnum inferni vincit, cum fidelibus. *Christus contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* & quotidie vincit, dum oratione fidelium animas à porta inferni eripit.

Secundò, regnum cœli vincit, qui quasi quadam violentia illud acquirit. *Sancti per fidem.* ideſt adepti ſunt repromiſſiones. *Reportantes fidei veſtræ finem ſalutem animarum veſtrarum.* *Heb. 11.* *2. Pe. 1.*

Tertiò, regnum mundi vincit. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum ſpes noſtra.* In quibuſdam ſubiiciendo, & in aliquibus abiiciendo. Fides igitur vincit mundum, & ea quę ſunt in mundo; ſcilicet, *1. Io. 1.*

Diuitias,

Delitias, &

Labores,

Primò, vincit diuitias, dum oſtendit, eas eſſe muſcipulam Diaboli. *Præda, quam vis capere, muſcipula eſt; quam dum vis capere caperis.* Item diuitias vincit, cum æternas meliores oſtendit. *Rapinam bonorum noſtrorum, cum gaudio ſuſcepiſtis: cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.* Qui enim veram fidem habet de Deo, non quærit in his miſeriis diues fieri: nec plutis enim eſt mundus, quàm Deus. Grego. *Vile ſcunt temporalia, dum conſiderantur æterna.* *Aug.* *Heb. 10.*

Secundò, vincit delitias, dum corpus veſtrum latronem oſtendit morti condemnatum, de quo patet, quòd non decent eum delitiæ. Sen. *Omnes capti tali ſupplicio condemnati ſumus. Erit fides cinctorium renum eius.* *Is. 11.*

Tertiò, vincit honores, dum plenos cõfuſione eos oſtendit. *Gloriam in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt.* Et notandum, quòd mundus pugnat nobiſcum duplici manu: ſcilicet dextera proſperitatis, & ſiniſtra aduerſitatis. Proſperis alliciens, aduerſis terrens. Sed nec illa appetenda, nec iſta timenda, exemplo Chriſti. *Omnia bona terrena contempſit homo Chriſtus, vt omnia contemnenda monſtraret.* Et omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur fœlicitas, nec in iſtis aduerſitas terreretur, Notandum etiam, quòd fides noſtra debet eſſe. *Phil. 3.* *Aug.*

Vna,

Integra,
Vera,&
Viua.

Eph. 4. Primò, debet esse vna. *Vnus Deus, vna fides.* gloss. vnum,& idem est, quod creditur à cunctis fidelibus. Vnde fides Catholica dicitur vna; quia ille Deus principaliter vnus est: *Exo. 20.* & non mutatur. *Audi Israel, Deus tuus vnus est. Non erit in te Psal. 80. Deus recens.* Iaco. 1. *Apud quem non est transmutatio.* Ideo nec *Thob. 2.* fides mutatur. *Vitam illam expectamus, quam Dominus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.*

Secundò, fides nostra debet esse integra, scilicet de omnibus articulis fidei, arctans homines ad articulos credendos: & ipsi crediti arctant postmodum nos ad timorem, & amorem Dei, vel ad aliam affectionem ad Deum. Et nota, quòd non omnia credenda dici possunt articuli; sunt enim quædam quæ fidem antecedunt, vt quæ sunt iuris naturalis: sicut est hoc, quòd proximo non est nocendum. Quædam verò consequuntur fidem, vt Antichristum esse futurum (licèt tam hæc, quàm illa sint credula) non tamen sunt articuli fidei.

Tertiò, debet esse fides nostra vera. Natura Aquilæ talis est, quòd figillatim exponit pullos suos ad radios solis: & eos, qui radios solis acutè respiciunt, pascit, & retinet: alios ad terram proiicit: sic Deus, illos, qui veram, & integram *Ecc. 16.* fidem habent, quæ est radius illuminans animam, amat, & reficit; *Quasi aquila prouocans pullos suos ad volandum.* Sed alios, scilicet non credentes, in tenebras inferni proiicit. *Ingentem credulitatem exardescet ira.*

Quartò, debet esse viua. Fides enim sine opere, est sicut cadauer, non valens se mouere. *Sicut corpus sine spiritu mor-* *Iac. 2.* *tuum est. Sic fides sine operibus. Quid est fides, quæ non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime?* Vnde honoras Deum, mu- *Ber.* nere fœtido. *Vnde placas Deum fidei tuæ interfector, Ideò in iudicio apparebis proditor, & literas tuæ damnationis tunc deferes. fides tua ostendet te Christianũ: & opera tua Dei inimicum; quia verbis cõfiteris, te nosse Deum; factis autem negas. Nolite tanquã de fide seculi esse.* adiungit fidei rectam vitam. Verbis confitemini vera de Deo, & factis bene operando. Item fides sine operibus est quasi carbo extinctus, cui musca immun-

dæ co

dæ cogitationis non timet insidere: sed viuo non insidet. Sic tentator fugit eum, qui habet fidem viuam; quia non habet fiduciam, quòd possit ei prævalere. *Cui resistite fortes in fide.* 1. Pet. 5. Item, sine operibus charitas est quasi candela extincta, non valens pedes mentis dirigere. Fides enim mentem illuminat, & gressus dirigit. *Fides cæteris virtutibus lumen ministrat, quod multùm Diabolus laborat extinguere.* August. Sicut latro, quãdo intrat domũ, lumen extinguit, & fenestras claudit, ne videatur. Et sicut mercator deceptor tenebras quærit, vt decipiat. *Qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non manifestentur opera eius.* Ioan. 3. Hic est oculus interior, quem coruus infernalis eruere quærit: sicut coruus primò currit ad oculũ cadaueris, nec mirum; quia hostis inuisibilis est ei, sine fide non vniuersaliter fit; & ideò non timetur. Hic est oculus, quẽ Naus Amonites, qui interpretatur serpens, conatur eruere. 1. Reg. 11. Dicitur in vitis patrum, quòd quãdo operiuntur oculi animalis, circuit ad molendinum. Sic Diabolus, si operuit oculum mentis, id est, fidem, humiliat ad omne peccatum. *Sanson erutis oculis circuit ad molam.* Iud. 7. Ideo dicit Sen. *Qui fidem perdidit, nihil retinet, quia sine fide omni bona vacuus est.* Et nota, quòd fides hominem.

Purificat.
Iustificat.
Mortem destruit, &
Filios Dei facit.
Vitam donat.

Primò, purificat hominem à peccatis. *Fide purificans corda eorum.* Act. 20.

Secundò, iustificat. Arbitramur hominem iustificari per fidem. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata.* Rom. 3. Prouerb. 15.

Tertiò, mortem æternam destruit. *Omnis, qui credit, & viuit in me, non morietur in æternum.* Ioan. 11.

Quartò, filios Dei efficit. *Omnes filij Dei estis per fidem.* Gal. 3.

Quintò, vitam donat; quia vita æternæ gloriæ ex fide est: *Vitam habebitis æternam, qui creditis in nomine filij Dei.* Ioan. 5.

De Fidelitate.

Fidelitas in tribus consistit, videlicet,
- Vxoris ad virum.
- Amici ad amicum.
- Serui ad dominum.

Prima est vxoris ad virum suum. Esto fidelis Domino Deo tuo, sicut debet esse vxor viro suo: vt nulli alij adhæreas per amorem: Sed illi soli te teneas, *qui desponsauit te in fide.* Fidem vocat fidelitatem, quam debent habere coniugati adinuicem: quod etiam in spirituali matrimonio requiritur, vt scilicet tam cor viri, quàm sponsa sibi inuicem subiiciantur. Appone ergo cor tuum per amorem, & nulli alij; ipsum enim fidelitatis vinculo ei tantò amplius tenebis astrictum, quantò magis ipsi te astringes per amorem. Nam sicut eadem anima, non potest esse simul habitatrix duorum corporum: ita amor mundi, & Dei, non possunt simul in eadem anima dominari. Aug. *Totum exigit te, qui fecit te.* Sed sunt quidam, sicut mulier infidelis, qui fingunt maritum suum mortuum vltra mare, & adhærent alij, & sic committunt adulterium. *Sic isti* Deum derelinquunt: & adulterium spirituale in Deum committunt, peccando Ier. 3. *Quomodo si contempserit mulier amatorem suum: sic contempsisti me domus Israël.* Sed dicitur Prouerb. quòd Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ.

Osee 2.

August.

Eccles. 6.

Secunda fidelitas est amici ad amicum. *Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius.* id est fidelitatis; quia melior est amicus in vita, quàm denarius in bursa: quare amicus fidelis semper viuit, etiam post mortem: quod non facit aurum, vel argentum. Idem. Amicus fidelis, protectio fortis; quia non relinquit in aduersis. qui inuenit illum, inuenit thesaurum, quo scilicet vtatur tempore necessitatis. Amicus iste Christus est, qui tantùm nos dilexit, vt animam suam daret pro nobis. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.* Huic amico nulla est comparatio; quia qui de cœlo venit, super omnes est; in quibus consistit fidelitas amici. Vide retro in cap. de Amore proximi.

Ioan. 15.

Tertiò, fidelitas est serui ad dominum. & hæc consistit in multis, nempè.

Timendo ardenter.
Obediendo viriliter.
Fideliter dispensando.
Deposita custodiendo.
In acquirendo, & multiplicando domino suo.

In

In diligendo,&
Perseuerando.

Prima fidelitas serui circa dominum suum, consistit in timore. Malach. *Seruus timet dominum suum. Initium sapientiæ timor Domini: & cum fidelibus in vtua concreatus est.* Eccl. 1. Vluam vocat pœnitentiam, vel baptismum: per quæ generat Ecclesia spirituales filios. Illi ergo sunt fideles serui, qui à tempore pœnitentiæ, vel baptismi Domino seruiunt in timore.

Secunda, est in obediendo viriliter. *Sis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid, fidelis, & generis regis, pergens ad imperium eius.* 3. Reg. 22. Sed de multis dicitur. *Cor eorum non erat rectum cum eo, nec fidele, &c.* Sed dicitur. *Seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit plagis multis.* Luc. 12. Debet ergo seruus fidelis esse domino suo, promissa soluendo. *Si quid, vouisti domino, non moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Eccl. Nos sumus mercatores Domini nostri Iesu Christi, in bono opere partitur nobiscum. Sibi retinet gloriam, nobis concedit vtilitatem. Et nos quasi infideles coloni, nobis partem eius damnabiliter vsurpamus: sed totum amittimus. Exemplum de cane caseum ferente in ore per aquam. Bern. *Re vera fidelis seruus Deo es, si de multa gloria domini tui: & non exeunte à te: tamen transeunte per te, nullus manibus tuis adhærere contigerit.*

Tertia est, accepta fideliter dispensando. *Quis putas est fidelis seruus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Amen dico vobis, &c.* Luc. 25. Sed iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Exemplum de illo, qui noluit operari de talento sibi commisso, sed abscondit. Chrys. *Ille & si talentum non amisit: tamen reus est damni.* Matth. 25. Sicut infidelis seruus, qui causa seminandi à domino accipiens, non seminat tempore seminationis, & damnum facit domino suo: sic qui scientiam ad docendum, vel gratiam ad operandum acceperit, & nihil faciat, arguendus est: Apost. *Vnus quisque, prout accepit gratiam alterutrum illam administrantes sicut di. multi boni gratiæ Dei.*

Quatta, fidelis custodia depositorum. *Depositum custodi, animam mundam, & alia dona naturæ, & gratiæ,* Tim. 6.

Eccl. *vt non minorentur, nec peiorentur apud te, &c.* Ideò dicitur.
Prouerb. *Fili in mansuetudine custodi animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum. Omni custodia serua cor tuum, in quo tam pretiosi liquores gratiæ reponuntur.* Qui castrum domini sui sibi commissum, & bene munitum, sine licentia eius reddit hosti suo, infidelis seruus est: immo proditor, & reus mortis, & damni, cùm posset illud & bene tenere, & auxilium domini sui habere, si voluisset: sic nos, si suggestionibus Diaboli consentimus, castrum animæ à Deo nobis commissum, & bene garnitum, tanquam proditores, tradimus inimico; cum possemus per orationem Domini auxilium impetrare, si vellemus; sicut enim dicitur.
Eccl. 20. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te. Abraham in tentatione inuentus est fidelis.* Item, qui accipit bonã pecuniam, & reddit prauam & falsam, infidelis est: sic & homo de-
Matth. 27. turpans, & polluens animam suam. Prouerb. 20. *Virum fidelem quis inueniet?* quasi dicat, pauci sunt. *Filius hominis veniet.* putas, inueniet fidem super terram.

Quinta est, bona acquirendo, vel multiplicando domino suo; quoniam seruo multiplicanti talenta domini sui dictum est. *Euge serue bone, & fidelis*, &c. Infidelis reputaretur nuncius alicuius mercatoris, qui domino suo posset emere scarlatam de pecunia sibi tradita eodem pretio, quo emit burellum, si eam non emeret. Tales sunt illi, qui legem diuinam (per quam lucrari animas possent) contemnunt, & phificant: & leges, per quas temporalia lucrantur, addiscunt: qui etiam tempus, gratiam, & fortitudinem in temporalibus, non in spiritualibus expendunt. Luc. 16. *Si in minimo non fuisti fidelis, &c.* Et qui in minimo infidelis est, & in maiori infidelis erit.

Sexta, est in diligendo. Sap. 3. *Fideles in dilectione acquiescent illi.* Fidelis dilectio est, quam tormentum non separat, labor non laxat, &c. sicut habes in cap. de Amore Dei.

Septima, est in perseuerando, Apocal. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Tim. 4. *Bonum certamen certaui: cursum consummaui: fidem seruaui*, id est fidelitatem. *in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* Non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.

De

De fortitudine.

Fortitudo. Multa sunt, quæ faciunt hominem fortem, scilicet.

Radix Fidei.
Robur spei.
Ardor charitatis.
Patientia.
Continentia.
Humilitas,&
Perseuerantia.

Primum,quod facit hominem fortem,est radix fidei.2. Paralip.16. *Præbet fortitudinem his,qui perfecto corde credunt in eum.* Cùm fides deficit in aliquo,deficit in eo omne bonum. Isa.7. *Si non credideritis,non permanebitis.* Senec. Qui fidem perdidit,nihil retinet. Apost.ad Ephes.6. *In omnibus sumentes scutum fidei, quo possitis omnia tela nequissimi ignis extinguere.* 1. Pet.5. *Cui resistite, fortes in fide.*

Secundum,est robur spei. Isa.40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem:* vt scilicet qui prius erant fortes, & potentes ad bibendum, & sectandum ebrietatem: postea fiant fortes ad ieiunandũ, & alia pœnitentiæ opera facienda. Sed è conuerso,plures sunt fortes ad malum:& dicunt se impotentes ad bonum. Abstinent studiosè à carnibus,& vino per mensem,vel plus,pro infirmitate corporis:sed pro salute animæ ieiunare non possunt,interdum vel vno die in septimana. Item, si aliquis haberet morbum in oculo, vel in alio membro:& medicus corporalis diceret ei, quòd si vinum biberet, vel carnes comederet, mortem incurreret: non habet tam carum amicum,pro quo dietam illam infringeret, nec seruare erubesceret. Sed dietam à medico spirituali datam, dicit se non posse tenere,nec audere propter erubescentiam. Ideò dicitur Sap. 1. *Spiritus sancti disciplinæ effugit fictum.* Item sunt similes asino, qui à parte anteriori,vbi crucem habet,debilis est: sed à parte posteriori,fortis. Sic multi ad opera pœnitentiæ,& abstinentię, & huiusmodi sunt debiles:ad temporalia autem,sunt fortes. Ier.23. *factus est cursus eorum malus,& dissimilis.*

Tertium, est ardor charitatis. Cant. 8. *Fortis est,vt mors, dilectio*; quia propter Dei dilectionem contemnit homo

mortem, vt fecerunt sancti Martyres, hoc est virtus, quam nihil vincit. Senec. *Amor Dei contrà te omnia armabit.* omnia enim sæua & immania, facilia, & propè nulla facit amor. Quomodo charitas facit hominem fortem, require in cap. de Charitate.

Quartum, est patientia probans. Prouerb. 30. *Leo.* id est iustus, *fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Iustus, quasi leo confidens, absque terrore erit. Ioan. 2. *Scribo vobis, filioli; quoniam fortes estis, & vicistis malignum*, Prou. 16. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

Quintum est castitas, seu continentia purgans. Prouer. vltim. *Accinxit fortitudine lumbos suos.* id est restrinxit fluxum carnalium voluptatum, *& roborauit brachium suum*, id est fortiter operata est. Non enim sufficit continentia, nisi adsit fortitudo operum: neque opus valet, nisi continentia comitetur. Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* per continentiam, *& lucernæ ardentes in manibus vestris.* per bonam operationem. Sed de malis dicitur. *Virtus eius in lumbis eius: & fortitudo illius in vmbiculo ventris eius. Lucerna impiorum extinguetur.*

Iob 50. *Prouerb.* 3. *Psalm.* 67.

Sextum, est humilitas exaltans. *Ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.* id est vilibus, & abiectis. Isa. 40. *Qui dat lapsis virtutem: & his, qui non sunt fortes, fortitudinem, & robur multiplicat.* vocat enim ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Rom. 8.

Septimum, est perseuerantia præmians, atque coronãs. Iob. 17. *Tenebit iustus viam suam: & mundus manibus addet fortitudinem.* id est perseuerantiam. Psalm. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam:* scilicet ad seruiendum tibi: non in luxuria, & lasciuia expendam, vt faciunt iuuenes, qui totum vinum suum (id est vitam suam) volunt habere corruptum, nisi solùm feces, id est finem vitæ. Malam vitam volunt habere: & finem suum bonum.

Ista cauda non est de isto vitulo; quia sine perseuerantia nullus palmam præmij accipiet. Sicut pugil, si defecerit in victoria, præmium non habebit. & mercenarius mercedem, nisi dictam perfecerit. Ideò dicitur. Iosue 13. *Dicit Caleph. In me illius temporis, scilicet quando iuuenis eram,*

fortitu

fortitudo vsque hodie perseuerat tam ad bellandum, quàm ad gradiendum.

Fortitudinis duæ sunt species. Fortiter sustinere terribilia:& dicitur patientia,& est nobilissima fortitudo. Alia in aggrediendo, & repellendo terribilia,quæ retinet nomen fortitudinis; fortitudinis itaque non est tantùm aggredi, sed sustinere. *Fortitudo iustorum.* (teste D. Gregor.) *est carnem vincere, voluptatibus propriis contra-ire,delectationes vitæ præsentis extinguere, mundi huius aspera pro æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare.* 7. *Greg.*

Quatuor sunt signa fortitudinis.
- In executione magnorum;quia virtus versatur circa difficile.
- In forti tentione, vt teneat strictè bonum quod cœpit. *Donec desiciam,nõ recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam, quam cœpi tenere,non deseram.* *Iob* 27.
- In forti luctatione. *Si contra Deum fortis fuisti, multò magis contra homines præualebis.*
- Vt rumpantur vincula.

Fortitudo triplex.
- Purgatoria
- Purgati animi,
- Exemplaris.

De fortitudine,quæ est strenuitas, habes.

Gen. 18. 31. 32.	De fortitudine ad faciendum malum.
Exod. 13.	Gen. 14. Iud. 9. Matth. 9. 26. 28.
Num. 13.	Tob. 3.
Ios. 8.	Hest. 2.
Iudith 3. 6. 14. 16.	Ioan. 2.

De Gaudio.

GAudium est quædam passio concupiscentis, prouenies ex perfectionis appetitæ coniunctione, secundùm apprehensionem interiorem sensus, vel intellectus. Vnde omne gaudium est delectatio: & non è contra.

Est autem gaudiũ duplex,viæ,& patriæ. Gaudium viæ, admittit tristitiam,patriæ autem,minimè. In via gaudent quandoque peccatores. *Et exultant in rebus pessimis,* & hoc *Sap.* 1.

ga udium

gaudium vocat. B. Augustinus gaudium freneticorum; qui tunc gaudent, & rident, quando grauiter morbo grauantur,& laborant; quia rationis impotes morbum suum non considerant.

Hoc gaudium proinde culpabile est triplici ratione. { Loci. Rei. Et finis.

Loci,quia Deus non posuit nos in hoc mundo,vt lætemur, sed vt tristemur potius. In mundo pressuram habe-
Isa. 22. bitis. *Vocauit nos Deus ad fletum,& ad planctum. Et ecce gau-*
Luc. 19. *dium,& lætitia. Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam,dicēs, Si cognouisses,* scilicet statum tuum, *& tu fleres.* Vita ista est sicut mulier pregnans, quæ cum gaudio concipit,sed cum dolore vehementi parturit. Sic multi modò gaudēt in hoc
*Prou.*25. mundo,qui in fine dolebunt;quia. *Extrema gaudij luctus oc-*
*Psal.*30. *cupat. Deficit in dolore vita mea.* Si vita Sanctorum in dolore deficit, vt patet in martyribus: quantò magis vita peccatorum ? Si hortulanus excidit arbores fructuosas: sterilis, & nociua timere debet. *Omnis arbor, quæ non facit fructum*
*Matt.*8. *bonum, excscindetur, & in ignē mittetur.* Si iudex desæuit in amicum,quantò magis in inimicum ? Si iustus in tantum recipit,quantò magis impius,& peccator?
*Prou.*15. Secundò,ratione rei.Gaudent enim peccatores peccato,
Sap. 1. de quo magis dolendum esset. Stultitia est gaudium stulto. *Lætamur, cùm malefecerint: & exultant in rebus pessimis.* quod idem est,ac si homo gauderet,quòd cecidit in lutū, & bene sordidaretur.Peccatū enim immundissima res est: vel si auis gauderet de laqueo,qua capitur:vel lupus de pedica:vel piscis de hamo.Augustī. *Gaudet piscis, quòd hamum*
inuenit,& escam deuorat:sed cum piscator eum traxerit,torquen-
*Eccles.*19. *tur viscera eius. Quomodo capiuntur hamo,&c.* Piscator enim non compellit venire pisces ad hamum, vel intrare nassam : sed escam demonstrando allicit. Rectè Diabolus sic facit, qui absconendo pœnam ostendit : vt piscator hamum absconens,ostendit escam. Item,Diabolus est sicut mulier, quæ vult capere muscas : linit ollam suam intrinsecus lacte,& tunc muscæ intrant:& cum multitudo magna intrauerit,includit eas,& succendit. Sic Diabolus delectationem peccati ostendit, & hominem capit per consensum

sensum peccati,& captum ligat per consuetudinem, & ligatam in ignem inferni trahit. Ideo in principio tentationis clamandum esset, sicut dicitur. *Mors in olla*, scilicet corporis,& animæ in delectatione venenosa. 4. Reg. 10.

Tertiò, ratione finis. Vituperabile est enim gaudium illud; quia terminatur ad æternum interitum. vt delectatio scabiosi scabendo, ad dolorem: vnde cuius finis malus, ipsum totum malum est. *Tenent tympanum, & citharam. Gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis, &c.* Item, *scio, quòd, laus impiorum breuis sit: & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Iob. 21.

Secundum gaudium est gratia quo gaudet iusti. A post. *Gaudete in Domino semper,* & rouerb. 15. Gaudium est iusti facere iustitiam de seipso; quia postea non tradetur cruciatui inferni: quia quod inferior Prælatus sufficienter correxit, superior Prælatus veniens vlterius non corripit. Apostol. *Si nosmetipsos iudicaremus, non nos vtique iudicaremur.* De tribus specialiter debent iusti homines gaudere, scilicet de aduersitatibus propriis.

Bonis alienis, &

Visitationibus diuinis.

Primò, de aduersitatibus propriis. *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis:* quia per hoc virtus hominis cognoscitur, qualis sit: sicut per contritionem virtus sinapis, & per feruorem fornacis virtus vasis. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos probatio tribulationis.* Greg. *Qualis quisque apud se lateat, illata contumelia probat.* Non est mirum, si lucerna non extinguatur, vbi nec ventus, nec pluuia est: sed magnum est lucere in vento tentationis, & ardere in aqua tribulationis. *Aquæ multæ nõ potuerunt extinguere charitatem;* ergo aduersitate virtus hominis probatur. Iac. 1. Prouerb. 28. Sap. 7.

Anima medicatur.

Et à pœnæ debito absoluitur.

Primò, virtus hominis probatur aduersitate, vt supra.

Secundò, anima medicatur. Gaudere debet infirmus apud se, in conscientia, quando sentit cœlestem medicinam, & ex hoc sperare veniam. Greg. *Nisi correctis hæreditatem dare disponeret, eos per molestias erudire non curaret.* Medicina

dicina enim corporis primò corpus turbat: sed patum post pacatum reddit & sanum: sic tribulatio, quantum sit vtilis,
Io.13. nescitur: sed postea scietur. Dixit Dominus Petro. *Quod ego*
Iob 5. facio, tu nescis modò: scies autem postea: & ideò dicitur, *Increpationem Deo ne probes;* quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.

Tertiò, quia anima à debito pœnæ absoluitur. Homo enim, quando peccat, debitor est pœnæ: ideò pœnam non debet grauiter sustinere: sed gaudere, si Deus eum affligat in præsenti; quia vult eum emendam de peccato accipere, quæ in septuplo minor est, quàm si postea solueret. *Ibant*
Act. 5. Apostoli gaudētes à conspectu concilij, &c. Greg. *Sancti temporalem pœnam lucrum reputant; quia per hanc æternam euadere*
Petr. 4. non ignorant. Communicantes passionibus Christi, &c. Aug. *Item propter mercedem, quam expectat operarius, licet grauetur operando: tamen libentius laborat, quando magistri stipendium expectat.* Sic iustus, cùm cogitat de tribulatione mercedem.
Matth. 5. Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, &c.

Secundò, debet gaudere iustus de bonis alienis, vt sit particeps eorum: vt vnum membrum de commodo membri sui gaudet. *Si gaudet vnum membrum, gaudent alia membra.* Sapiens mercator libenter se associat illi, cum quo sperat se aliquid lucraturum; quia si diligit, & gaudet de bo-
Psal. 118. nis alienis, lucratur. *Particeps ego sum omnium timentium te:* Multi tamen associant se malis, & non lucrantur: sed totum perdunt: vt illi, qui gaudent de malo aliorum: con-
Prou. 14. tra quos dicitur. *Si occiderit inimicus tuus, non gaudeas: & in ruina eius non exultet cor tuum, nisi forte videat Dominus, & displiceat ei.*

Tertiò, debet gaudere de diuinis visitationibus, quas habent viri Sancti, quibus sapit Dominus, &c. quasi quod-
Eccles. 30. dam lucrum, de quo dicitur. *Nónne oblectamentum super cordis gaudium.* Aug. Aliquando introduxisti me in affectum multùm inusitatum introrsùm, nescio in quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid aliud sit vita æ-
Psal. 33. terna, nisi ista. *Gustate, & videte, &c.* primò dicit, *Gustate.* & postea, *videte*; quia experientia gustus diuinam cognitio-
Greg. nem ministrat. *Eius dulcedinem non cognoscitis; quia minimè degustastis.* Ad istud gaudium peruenitur per.

Timo

Timorem.
Amorem.
Patientiam, &
Tristitiam.

Primò, per timorem. *Timor Domini delectabit cor:* scilicet, *Eccles.* 1. in præsenti. *Dabit lætitiam, & gaudium in longitudinē dierum.* id est, in æternū. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Do-* *Psal.* 30. *mine, &c.* quam tamē impius non sentit; quia de febre iniquitatis palatum cordis amittit. Non enim signum sanitatis spiritualis est, quando homo non habet palatum cordis bene dispositum: quando scilicet spiritualia nō sapiunt ei.

Secundò, per amorem. *Si diligeretis me, gauderetis vtique:* *Ioan.* 16. id est, de me sentiretis gaudium interius; quia charitas in omnibus ponit saporem. *Non enim habet amaritudinem con-* *Sap.* 8. *uersatio illius, nec tædium conuictus illius.*

Tertiò, per patientiam. *Vsque ad tempus sustinebit patiens.* *Eccl.* 2. & postea redditio iucunditatis. *Omne gaudium existimate,* *Iac.* 1. *fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.* patiētia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes. *Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.* quia qui *Prouerb.* 12. pacem habet, Deum secum habet. *Pacem habete, & Deus* 2. *Cor.* 13. *pacis, & dilectionis erit vobiscum.*

Quartò, per fletum, & tristitiam. *Plorabitis, & flebitis vos,* *Iob* 16. *mundus autem gaudebit: sed tristitia vestra vertetur in gaudiū.* Ier. *Conuertam luctum eorum in gaudium & cōsolabor eos à do-* *Ier.* 30. *lore suo. Post tempestatem tranquillum facis, & post lachrymatio-* *Thob.* 3. *nem, & fletum, exultationem infundis.*

Tertium gaudium est gloriæ. de quo dicitur. serue bone, & fidelis intra in gaudium domini tui. *Sicut lætantium* *Psal.* 86. *omnium habitatio est in te, &c.* Istud gaudium erit.

Inenarrabile.
Iucundabile.
Cum plenitudine.
Interminabile.

Primò, erit inenarrabile. *In quæ exultabit lætitia inenarra-* *1. Petr.* 2. *bili, &c.* Isa. *Oculus non vidit Deum absque te, quæ præparasti* *Isa.* 64. *expectantibus te. Occurristi lætanti, & facienti iustitiam.*

Secundò, erit iucūdabile, purum sine doloris admixtione. Isa.

Isa. 1. ne. Isa. *Gaudium, & lætitiam obtinebunt: & fugiet dolor & ge-*
Prouerb. *mitus.* In hac vita cum vino gaudij minuetur aqua doloris.
Vinum tuum mixtum est aqua. Risus dolore miscebitur.
Ioan. 11. Tertiò, erit cum plenitudine. Ioan. *Petite, vt gaudium ve-*
Psal. 15. *strum sit plenum. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.*
Isa. 25. 65. Quartò, erit interminabile. Isa. *Lætitia sempiterna super ca-*
pita eorum, gaudium, & lætitiã obtinebunt. Gaudebitis & exul-
Ioan. 16. *tabitis vsque in æternũ.* Ioã. *Gaudium vestrum nemo tollet à vo-*
bis.

De Gloria.

GLoria græcè δόξα, est frequens de aliquo fama cum laude: cum homo sit nobilis creatura, & ad gloriam regni cœlestis creatus, ipse naturaliter vult gloriari, & ideò necesse est scire, in quo gloriari debeat. Et ad hoc sciendum nota, quòd quadruplex est gloria, scilicet.

Inferior, & diabolica.
Exterior, & vana.
Interior, & secreta.
Superior, & beata.

Prima gloria est interior, & diabolica, & hæc fugienda.
Psal. 51. Diabolica gloriatio, est de peccato gloriari. Psal. *Quid gloriaris in malitia, &c.* Quod idẽ est, ac si aliquis gloriaretur, quòd in luto cecidisset: vel mulier peperisset bubonem, vel serpentem: vel auis gloriaretur de laqueo: Lupus de pedica, & piscis de hamo. vel etiam si homo gloriaretur, quòd amisisset hæreditatem propriam, & sua bona omnia. *Qui*
Eccles. 10. *gloriatur, & iucundatur in malitia, deuorabitur.* id est de notitia Christi delebitur, *Deleantur de libro viuentium, &c.*
Psal. 68. Secunda gloriatio est exterior, & vana, hæc reprobanda est, quia.

Nullius valoris.
Vilis, & breuis.
Damnosa, & expoliatrix.

Primò, quia nullius valoris. *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nulla est*; quia huiusmodi gloria non est nisi ventus. Qui vanè gloriatur, assimilatur trapeti: quod non molit, nisi agitetur: ita homo gloriosus non facit aliquid, nisi ventum habeat vanæ gloriæ. Talis est similis camelæonti Diaboli, qui ex vento viuit, & pascitur. Nauis enim non

potest

potest currere, nisi habeat ventrum ; ideò tollit eam ventus, & aufert de loco suo, vt dicitur Ierem. *Omnes pastores tuos pascit ventus.* Iste ventus videtur esse leuis: & tamen transfert montes, id est viros spirituales, à regno Dei ad regnum Diaboli. *Ier.22.*

Secundò, quia vilis, & breuis. *Gloria hominis peccatoris stercus, & vermis.* hodie extollitur, & cras non venit. Amator enim vanæ gloriæ, de histrione, vel ribaldo iudicem suum facit; fingit enim eam qualem vult. Quandoque annichilat: quandoque magnificat. *Qui conscientias suas in alienis linguis posuerunt, modo parui, modo magni, modo nihil vtuntur, prout linguis hominum eos laudare, vel vituperare placuerunt.* *Macha.2.* *Bernar.*

Tertiò, quia spoliat bonis. Diabolus enim est sicut latro, qui sequitur mercatores, quando cognoscit eos aliquid portare, & sociat se cum eis, vt spolier: Sic Diabolus spoliat superbos per iactantiam, vel vanam gloriam, quam appetunt. Matt. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam,* Iste vult habere fructum statim cum seminatur: immo ante, aliquando. Qui enim triticum sunm colligit in herba, non habet in Augusto, quid reponat in horreo. Vnde dicitur in vitis Patrum, quòd sicut fieri non potest, vt herba simul nascatur & semen: ita non potest fieri, vt gloriam habentes simul & fructum faciamus cœlestem. Pauo auis oua gallinæ suæ perquirit, vt frangat, & comedat, vt liberius libidini vacet: sic Diabolus bona nostra nititur auferre. Sed gallina, sicut abscondit oua sua, vt seruet: sic & nos bona nostra debemus abscondere. Matth. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Et ibid. sed quidam sunt, vt gallina domestica, quæ statim vt ouum emiserit, clamat, & accusat: & ideò amittit. Isa. *Omnia, quæ in domo mea sunt, viderunt: & non fuit res, quam non ostenderem eis.* Verba sunt Ezechiæ regis ad Isaiam prophetam, de nunciis regis Babylonis. Cui propheta dixit, quòd omnia amitteret. Semina, quando non sunt operta humo, tollunt aues, & comedunt: Sic Diabolus bona opera discooperta. Luc. *Volucres cœli comederunt illud*, scilicet quod cecidit in via Greg. *Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè in via portat.* Nota, quòd mercatores abscondunt merces suas malè soluentibus: sic iusti faciunt, bona adulatoribus abscondunt. Sed *Matth.6.* *Matth.6.* *Isa.39.* *Luc.8.*

notandum, quòd hæc gloriatio consistit in multis. Nam alij gloriantur.

In apparentia.
In sapientia.
In fortitudine.
In pulchritudine.

Rom.3. Aliqui gloriantur in apparenti bono. Rom. *Vbi est gloria tua.* ideſt de bono opere. *Exclusa est.* scilicet ablata est. Nos sumus mediatatores, siue personarij Domini nostri Iesu Christi. In bono opere partitur nobiscum.

Nos ponimus operationem liberi arbitrij, ipse gratiam. Nobis concedit vtilitatem, sibi retinet gloriam. Nos verò sicut fraudulenti, vsurpamus partem eius, & totum amittimus: sicut fecit canis portans caseum in ore: & cùm transiret per aquam vidit vmbram casei: & aperiens os pro vmbra casei; caseus, quem portabat, de ore eius cecidit: & sic amisit vtrunque. Isa. *Gloriam meam alteri non dabo.*

Alij gloriantur in sapientia mundana, quæ stultitia est apud Deum. Sapientia autem hæc est, sicut lumen ligni putridi, de nocte tantùm apparens. In tenebris huius vitæ sapientia mundanna est: Sed in futuro apparebit, quòd est insipientia. Non est gloriandum de sapientia, ne amittatur; quia donum Dei est: sicut Nabuchodonosor, qui per elaEzech.18. tionem mentis factus est sicut bestia, & lucifer. Ezech. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam, &c.* Etenim quæ stulta sunt huius mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes, ne glorietur in conspectu eius omnis caro.

Ier.9. Iere. *Non glorietur sapiens in sapientia sua; quia hoc est de alieno gloriari, vt cornix de plumis autum. Omnis sapientia à Domino*
Eccl.1. *Deo est.* Corinth: *Quid habes, quod non accepisti? quid ergo*
Cor.4. *gloriaris, quasi non acceperis?*

Isa.1. Alij gloriantur in fortitudine. De quibus dicitur Isa. *Erit fortitudo nostra, vt fauilla stupæ.* Aug. *Si de fortitudine gloriaris, superaris à bestiis: si fortis es, pulicibus resiste, nec dormias. Gloriari igitur de fortitudine carnis: est gloriari de fortitudine inimici sui; cum corpus aduersetur spiritui.* Sequitur. *Nec diues in diuitiis.*
Psl 48. Psal. *Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine diuitiarum*
Eccl.11. *suarum gloriantur, &c.* Eccles. *Qui gloriatur de hoc, quòd est ditior aliis, gloriatur de hoc, quòd compedes habet maiores, quàm*

alij.

alij. Qui gloriatur in sua paupertate, vereatur. Sap. *Facti sunt in laqueum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Irem gloriatur, quòd cecidit in laqueum inimici: & de hoc, quod magnam molem habeat ad collum, vt demergatur in profundum maris. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum Diaboli, tentationem, & desideria multa.* Sap. 13. 1. Tim. 6.

Alij gloriantur in pulchritudine corporis. Quod est gloriari in re accommodata. *Fallax gloria, & vana est pulchritudo.* quia citò amittitur, sicut pulchritudo floris. Isa. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni.* Aug. *Si gloriaris de pulchritudine, pulchrior est cauda pauonis* Laban, ideſt mundus, duas filias habuit, scilicet Rachel, & Lyam. Sed multi pro Rachel, ideſt pulchra, laborant. sed supponetur eis Lya ploratrix, & lipa, ideſt confusio, & turpitudo. Oseæ. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Prou. 30. Isa. 9. Oseæ. 4.

Tertia gloria est interior, & sancta, quæ est de puritate cordis, & conscientia munda. Cor. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* ideſt conscientia pura ab omni simulatione peccati. Conscientia pura, est quasi quoddam speculum, quod de interiori pulchritudine non mentitur. Gloriandum in cruce, quia 2. Cor. 1.

Diabolum flagellat.
Pœnitentiam dulcorat, & mitigat.
Paradisum aperit.

Primò, gloriandum est in cruce, quia Diabolum flagellat. Gal. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce, &c.* quia scilicet, virtus crucis fugat Diabolum à nobis. Vnde Moyses flagellauit Pharaonem virga multipliciter. Damasc. *Crux est trophæum aduersus Diabolum, vt non appropinquet, vastatur* Christ. *Si crucem infixeris, vultui tuo nullum Dæmonium prope stare poterit, videns ensem, in quo plagam accepit, videns arma, in quibus Christus caput suum abscidit.* Crux facit Dæmones non solùm terribiles, sed etiam contemptibiles. Ideo virga Moysis deuorauit serpentes, ideſt Dæmonum tentatores. Eccl. 28. Gal. 7.

Secundò, quia pœnitentiam dulcorat, & mitigat. Eccle. *Nonne à ligno dulcorata est aqua amara?* Ostendit Dominus lignum Moysi, quod eum misisset in aquam in catechismo, quando dictum est tibi. accipe sal sapientiæ. Sed linguæ multorum istud sal non recipiunt; & ideò vermibus,

id est malis verbis scaturizant. Aug. *Eligis cibos, quos comedis, quare non eligis verba, quæ dicis?* scilicet bona, & sana. Et
Eccl.6. sic ista gratia facit discretè loqui. Facit etiam hæc gratia loqui gratiosè. Eccl. *Lingua eucharis, in homine probo abundabit.* id est facit hominem feruenter prædicare. Ideò Spi-
Act.2. ritus sanctus in linguis igneis apparebat. Act. *Apparuerunt eis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, &c.*
Act.10. Tertia gratia, est effusa ad ordinandum actiones. Ac. *Effusa est gratia in omnes nationes.* Et hæc gratia facit tria, nempe

Purgat, & iustificat.
Defendit, & conseruat.
Erudit, & confortat.

Rom.3. Primò, ista gratia nos purgat, & iustificat. Ro. *Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei.* glo. Indulgentia peccatorum iustificati per gratiam ipsius. Ille, qui iam iustificatus est per gratiam & illuminatus, melius videt periculum peccantium, quàm illi, qui sunt in peccato; quia ille est in lumine, illi in tenebris: & neque se, neque alium vi-
Psal.39. dent. Psal. *Comprehenderunt me iniquitates meæ: & non potui vt viderem.* Sicut illi, qui fuerunt in periculo maris, & euaserunt, & adhuc stant in littore, melius cognoscunt periculum eorum, qui sunt in mari, quàm illi, qui sunt adhuc ibi.
Rom.7. Ideo dicit Apost. Rom. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.* glo. Non petit liberari de substantia corporis quæ bona est: Sed de vitiis carnalibus, à quibus non liberatur homo, nisi gratia Dei Saluatoris.
Rom.6. Secundò defendit, & conseruat in bono statu. Rom. *Peccatum nobis dominabitur, sicut prius: non enim estis sub lege, sed sub gratia*: quæ ardorem, & contumeliam peccati refri-
Eccl.18. gerat, sicut ros ardorem solis. Eccl. *Nonne ardorem refrigerabit ros?* Vnde Apo. Cum stimulum carnis petiisset amoueri à se, dictum est ei: Sufficit tibi gratia mea, scilicet ad te custodiendum. Nam virtus in infirmitate perficitur. *Fili,*
1.Tim.2. *confortare in gratia, tanquam in fulcimento ad sustinendum te.* Nota cum adiutorio aquæ potest homo magnum pondus portare: quod per se facere non posset. Sic cum adiutorio gratiæ magnam pœnam sustinere: vel etiam tribulationē

tolera

tolerare. *Plus omnibus laboraui, non ego solus: sed gratia Dei mecum.* Idem. *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Item, quando aliquis est in loco altiori: tunc se debet firmius tenere, ne cadat: quia plus læderetur, quàm si de imo caderet: Sic qui est in statu gratiæ, vel innocentiæ, ne cadat, firmiter se teneat; quia caderet de cœlo ad infernum. *Attende, ne labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis.* 1. Cor. 15. Eccl. 28.

Tertiò erudit, & confortat Timoth. *Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos.* & sequitur. *Expectantes beatam spem, & aduentum Domini.* Hæc gratia docet nos. Tim. 2.

Quid vitandum.
Quomodo viuendum.
Quid sit appetendum.

Primò, quid vitandum. ibi. *Abnegantes impietatem.* quæ corripuit intellectum. *& sæcularia desideria.* quæ corrumpunt affectum.

Secundò, quomodo viuendum. ibi. *Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Sobriè nobis. Iustè proximo, & piè, id est religiosè, Deo. Deut. *Sicut homo erudit filium suum: ita Dominus tuus erudit te, vt custodias mandata eius.* Deut. 8.

Tertiò, docet quid sit appetendum, ibi. *Expectantes beatam spem.* id est beatitudinem speratam. *Vnctionem habetis à sancto eo, & nostis omnia.* id est gratiam Spiritussancti, quæ corda vngit, & linit. Et possunt hic notari quatuor signa, per quæ potest cognosci, si homo habeat gratiam, & illuminationem Spiritus sancti, scilicet si 1. Ioan. 2.

Mandata Dei seruat.
Peccato careat,
De rebus clarè iudicet.
Et patienter aduersa toleret.

Primum est, si mandata Dei seruat. Ligna enim, & Lychnum oleo vncta, facilius quis accendit, & vrit. 1. Ioan. *Vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in nobis:* quæ ad seruanda Dei mandata cor implet, & inflammat. Ioan. 2.

Secundum est, si manus Diaboli, id est peccatum totaliter euadat. Pugil enim bene vnctus non diu tenetur à socio. Eccl. *Qui vngit reges ad pugnam.* Eccl. 48.

Tertium est, si anima lucidè,& clarè de rebus iudicet. Res enim vncta lucidior est:sic anima gratia inuncta clarè,& lucidè,ac verè iudicat de mundanis. 1.Ioan. *Vnctionem habetis,&c.* *Ioan.2.*

Quartum est, si onera tribulationum, & infirmitatum pœnitentiæ, & huiusmodi patitur,& sine murmure portat. Quadriga enim bene vncta,currit sine stridore.Eccl. *In his curans mitigabit dolorem:& vnguentarius pigmenta faciet suauitatis,& vnctiones conficiet sanitatis.* Sed notandum, quòd vnctum locum inuadunt muscæ, & inquinant: sic Dæmones illos,quos vident habere gratiam,nituntur inquinare prauis cogitationibus. *Muscæ morientes* (id est immundæ cogitationes) *perdunt suauitatem vnguenti*, id est meritum bonorum operum,& desiderium orationis.Prius probatus est homo in his omnibus:& perfectus inuentus est. Gratia, de qua loquimur, ipsum hominem beatificat. Rom. *Gratia Dei,vita æterna.* glo. Illis meritis vita æterna redditur:vita æterna,quæ gratiam contulit homini. Gratia enim est pensio, siue pignus ad habendam gloriam. Prouerb. *Mulier gratiosa inueniet gloriam.* Sicut pignus, vel arrha certificat tenentem ipsam de foro, seu de alio beneficio dando. Sic gratia certificat hominem de gloria. Habemus pro gratia iustificationis, gratiam glorificationis. Psal. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* gloriam pro gratia. Certus est de re,qui bonum pignus habet penes se.Et certus est de foro, qui habet bonam arrham. Sic securus potest esse de gloria,qui pignus habet gratiæ, si bene seruauerit. 11.Corinth. *Qui dedit pignus Spiritus sancti in cordibus vestris. Qui est pignus hæreditatis nostræ.* Eccl.10. Rom.6. Prouerb.11. Psal.83. Corinth.1. Epheſ.1.

Idem sunt gloria, vita æterna, beatitudo, visio clara, & fruitio sequens illam. Est autem principaliter in voluntate,qua tenetur Deus per amorem amicitiæ.

Prou.25. Gloria vana fugienda est.
1.Cor.6. Quid habes homo.
2.Cor.1. Nam gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ:opus autem suum probet vnus quisque
Gal.6. Glorietur frater humilis in exaltatione sua.
Iac.1. Opera Dei reuelare,& confiteri,honorificum est.
Tob.12. Ego Dominus,hoc est nomen meum.
Isa.42.

Magna

Magna est gloria eius in salutari tuo. *Psal.20.*
Et locum habitationis gloriæ tuæ. *Psal.25.*
Vidi impium superexaltatum. *Psal.36.*
Ne timueris, cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. *Psal.48.*
Gloria, & diuitiæ in domo eius. *Psal.111.*

De Gratia.

GRatia Græcè χάρις, interdum pro amore, vel concessione beneficij, seu alicuius indulgentiæ: aliquando pro dono Spiritus sancti: interdum pro quadã inchoatione gloriæ in nobis, vel auxilio, quo indiget homo ad beatitudinem promerendam: solet tripliciter distingui, licet

Infusa, quæ restringit malas cogitationes.
Diffusa, quæ dirigit bonas locutiones.
Effusa, quæ ordinat actiones, & operationes.

Primò igitur, est gratia infusa. Et hæc est gratia, quæ restringit malas cogitationes, de qua gratia cantat Ecclesia.

Imple superna gratia.
Quæ tu creasti pectora.

Eccl. *In me*, id est in corde meo, *omnis via gratiæ, & veritatis.* Sed quidam hanc gratiam non recipiunt, sed subterfugiunt, vt lasciui, & immundi. Anſ. *Homo non habet gratiam, non, quia non Det Deus: sed quia hanc non accipit*, id est, homo non disponit se se ad recipiendum illam. Sol, quantum est in se, omnibus se communicat: sic lux gratiæ. Eccl. *Sol illuminans respicit omnia, nisi inueniat quod sibi repugnet.* *Eccl.24.* *Eccl.42.*

Si sol non intrat domum propter obstaculum fenestræ, aperi fenestram, & sol intrabit in domum tuam, & eam illuminabit. Item, materia, quæ habet aquam, nõ de facili recipit ignem; quia inuenit, quod sibi repugnet: vt patet de candela madefacta, & ligno aquoso. Sic gratia non intrat cor homïnis propter obstaculum peccati, vel malæ voluntatis. Act. *Dura ceruice, & indomabili corde. vos semper Spiritui sancto, & gratiæ Spiritus sancti restitistis:* non est ergo defectus ex parte gratiæ: sed ex parte hominis. *Act.9.*

Sed sciendum est, quòd hanc gratiam
Quidam non recipiunt: sed subterfugiunt, vt lasciui.

Quidam recipiunt, sed statim effundunt, vt fatui.
Quidam recipiunt, sed in vacuum, vt desidiosi, & pigri.
Quidam recipiunt, sed non in vacuum.

De illis, qui non recipiunt, sed effugiunt, dictum est sup. immediatè.

Secundò, sunt quidam, qui recipiunt, sed statim effun-
Eccl.20. dunt, vt fatui. Eccl. *Gratiæ fatuorum effundentur.* glo. extra
fundentur: quia nihil cælare, vel abscondere possunt.
Prouerb.25. Exemplum de vase confracto. Prouerb. *Totũ spiritum suum profert stultus.*

Tertiò, sunt quidam, qui recipiunt, sed in vacuum, vt pi-
Cor.15. gri, & desidiosi, qui non operantur. Cor. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Frustrà securim, vel aliud instrumentum ad
2.Cor.6. operandum portat, nisi vteretur illo. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* glo. In vacuum recipit, qui se secundùm gratiam receptam, non exercet in bonis operibus. Ille, qui noluit operari, talentum sibi traditum amisit.
Matth.25. & ille, qui operatus est, duplicauit. Matth. Item homo sapiens non teneret equum in domo sua, nisi aliquid operaretur: neque seruum, qui de nihilo sibi seruiret. Et quid
Matth.25. credit piger fieri de se, qui Deo, à quo omnia habet, de nihilo seruit? Matth. *Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores.* Iste similis est catto, qui bene vult comedere pisces:
Prouerb.13. sed non vult aquam intrare. Prou. *Vult, & non vult piger.*

Quartò, alij recipiunt, sed non in vacuum, vt operatores
Cor.15. solliciti. *Plus omnibus laboraui, non ego solus, sed gratia Dei mecum.* Lapis non potest per se sursum moueri: nec securis ad secandum, sine adiutorio alieno. Sic homo ad bene
Cor.15. operandum sine adiutorio gratiæ Dei. *Gratia Dei sum id,*
Rom.7. *quod sum.* Rom. *Velle mihi adiacet: perficere autem non inuenio.* scilicet ex me. ideò Heb. *Adeamus cum fiducia ad thronum*
Heb.4. *gratiæ eius, &c.* Item, sicut arbor, cuius radix exsiccata est,
Oseæ 9. non potest ferre fructum: sic homo sine humore gratiæ, non potest ferre fructum bonorum operum. Oseæ. *Radix eorum exsiccata est, nequaquam fructum facient.* Nota, quòd ad obtinendum gratiam, necessaria est

Humilitas, ad recipiendum, &
Pietas, ad conseruandum.

Primò, igitur necessaria est humilitas ad gratiã obtinẽ-

dam

dam, vel recipiendam. Iacob. *Superbis Deus resistit: humilibus autem dat gratiam.* A quæ enim gratiarum descendunt deferentes montes superbiæ, ad valles humilitatis. Eccles. *Quanto magnus, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.* Vas non impletur aqua fluminis, vel putei, nisi inclinetur, vel profundè mergatur. Sic homo non impletur gratia, nisi humilietur. Eccl. *Mediam inclinaui aurem meam, & recepi sapientiam.* id est gratiam. Eccl.7. Eccl.vlt.

Secundò, pietas valet ad conseruandam gratiam. Eccl. *Gloria viri, quasi sacculus cum eo, & gratia hominis, quasi pupillam conseruabit.* Eccl.29.

Secunda gratia est diffusa. Psalm. *Diffusa est gratia in labijs tuis ad dirigendos sermones.* Facit enim discretè loqui. Colos. *Sermo noster in gratia semper sale sit conditus.* Si nouisti condire pulmenta, quare non nouisti condire verba? hoc sal datum est tibi in baptismo, quando dictum est. Accipe sal sapientiæ. Psal.44. Coloss.4.

Tertia gratia, est effusa ad ordinandum actiones. *Effusa est gratia in omnes nationes.* & hæc gratia tria facit, Act.10.

- Purgat, & iustificat.
- Defendit, & conseruat.
- Erudit, & confortat.

Purgat. *Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei.* Iustificatus per gratiam melius videt periculum pecantium, quàm illi, qui sunt in peccato. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Qui euaserunt maris periculum in littore existentes, melius cognoscunt periculum, à quo erepti sunt. *Infœlix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?* Rom.3. Psalm.39. Rom.7.

Secundò defendit, & conseruat in bono statu. *Peccatum nobis non dominabitur, sicut prius. Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Tertiò erudit, & confortat & docet nos
- Quid vitandum.
- Quomodo viuendum.
- Quid sit appetendum.

Quid vitandum: Abnegantes impietatem, quæ corrumpit intellectum, & secularia desideria, quæ corrumpunt affectum.

Secundò, quomodo viuendum sobriè, & iustè, & piè:

sobriè nobis, iustè proximo: piè & religiosè Deo. Quid appetendum, Expectantes (ait) beatam spem, id est beati-
1. Ioan. 2. tudinem speratam. *Vnctionem habetis à Spiritu sancto, & nosti omnia*, id est gratiam Spiritus sancti, quæ corda vngit, & linit. Notantur hic quatuor signa, quibus comprehenditur homo habere gratiam.

Si mandata Dei seruat.
Si peccato careat.
Si de rebus clarè iudicat.
Si patienter aduersa tolerat.

Si mandata seruat: quia ellichinum, & ligna oleo linita vrunt facilius. *Vnctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.*

Si peccato careat: quia pugiles, & luctatores, qui lucta cum alio contendebant, solebant oleo se vngere: vt è ma-
Eccl. 48. nibus aduersarij facilius elaberentur. *Qui vngit Reges ad pugnam.*

Tertium est, si anima clarè de rebus iudicet; res enim vncta lucidior est. Sic anima gratia vncta clarè, lucidè, ac verè iudicat de mundanis.

Quartum est, si onera tribulationum sine murmure portat. Quadriga bene vncta, currit sine stridore. Sed lo-
Eccl. 10. cum vnctum aggrediuntur muscæ, & inquinant. *Sic dæmones eos inuadunt, quos vident habere gratiam. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*, id est meritum bonorum operum, & desiderium orationis.

Rom. 6. Gratia hominem beneficat. *Gratia Dei vita æterna.* Illis meritis vita æterna redditur. Nam gratia est pignus quod-
Psal. 83. dam ad habendam gloriam. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

In Gratia duo consideranda sunt: primùm vt est habitus quidam inclinans voluntatem ad actum eliciendum. Secundum est decor quidam diuinæ complacens voluntati, qui ordinatur ad præmium beatitudinis. Et est diuina ordinatio, siue voluntas, qua ab æterno Deus ordinauit actum, à tali qualitate concurrente actiuè cum lib. arbitr. præmiare beatitudinem.

Psalm. 83. Gratia à solo Deo datur. *Gratiam & gloriam dabit Do-*
Prouer. 12. *minus. Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino.*

Neque

Neque mittunt nouum vinum in vtres veteres. Alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur. *Matth. 9.*

Ego sitienti dabo de fonte aqua vitæ gratis.

Duo facit præsertim Gratia in nobis. Bonum operatur. *Gratia sicut Paradisus in benedictionibus.* bonitate conseruatur. *Non permanebit spiritus meus in homine, in æternum; quia caro est.* *Apoc. 22.* *Eccl. 40.* *Gen. 6.*

Gratiæ pro beneficiis agendæ.

Gen. 34.	Dan. 2.
Exod. 13.	Luc. 1.
Num. 13.	Matth. 14.
Ios. 4.	Ioan. 6.
Iud. 6.	1. Cor. 1.
Isa. 1.	Rom. 1.
Tob. 2.	1. Thess. 3.

De Humilitate.

HVmilitas est virtus, qua verissima sui cognitione sibi ipsi quilibet vilescit: & ex modestia ortum habet, quæ cum sit sui gnara, animo frænum adhibet, ne insolentius super naturam suam tollatur.

Est autem humilitas duplex. { Ficta & Vera,

Ficta in hypocritis, qui simulant se mundo mortuos, vt præbendas expiscentur. Sicut vulpes, quæ fingebat se mortuam; vt quadriga veheretur. *Quasi Vulpes in deserto Prophetæ tui Israël.* *Ezech. 13.*

Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo. *Eccl. 20.*

Vera humilitas, consistit in corde. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Omnes inuicem humilitatem insinuate.* *Matth. 11.* *1. Pet. 5.*

At humilitas vera est triplex. { Sufficiens, vt subdere se maiori,
Abundans, subdere se æquali,
Superabundans, subdere se minoti.

Arbor non coalescit, nisi radicem figat in imum. *Arborem attendite* (ait B. Aug.) *radicem figit in imum, vt vertice tendat ad cœlum, si sine radice est, & auras petit, ruina est illud, non incrementum.*

Quantò excelsius est ædificium, tantò profundius fodiatur fundamentum; quia qui altam facit domum suam

sine

sine fundamento, quærit ruinam. Auis, quæ vult petere al-
Matth. 3. ta, prius se humiliat, & inclinat. *Sic decet nos implere omnem iustitiam*, id est humilitatem.

Eccl. 51. *Inclinaui modicùm aurem meam, & recepi illam.*

De Innocentia.

INnocentia inuenitur tripliciter, scilicet cordis, & hæc est incipientium. Oris, & hæc est proficientium. Operis, & hæc est perseuerantium. De quibus dicitur in Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini, &c. Innocens manibus & mundo corde.* Prima innocentia est cordis, de qua Psal. 100. *Perambulabam in innocentia cordis mei.* Idem, in innocentia mea ingressus sum, id est: in munditia, quam seruaui. Qui enim vult gratiam Dei recipere: necesse habet vas cordis mundum custodire. Nullus scienter poneret in vase, quod diu continuit lutum, balsamum; quia timeret amittere. Sic Deus gratiam suam non ponit in corde, quod diu continuit lutum peccati. Est enim ad gratiam suscipiendum minus idoneum. Bern. *Balsamum est gratia Dei, vas pulcherrimum requirit.* hæc innocentia custoditur per munditiã bonorum operum. Iob. 22. *Saluabitur innocens in munditia manuum suarum.* facilius est aliquem ditari quantùm ad diuitias istius seculi, cui multa dimissa sunt à parentibus, *quæ* bene seruauit: quam illum, qui bona paterna iam consumpsit. Sic illi, qui bona naturalia, virginitatem, & innocentiam post baptismum seruauerunt, facilius ditari possunt
Psalm. 36. bonis spiritualibus, quàm illi, qui perdiderunt. *Custodi innocentiam, vt bonum patrimonium tuum:* & vide æquitatem Domini Dei tui. Secunda innocentia, est proficientiũ. hoc
Psalm. 83. est, oris. *Non priuabis bonis eos, qui ambulant in innocentia.* Hæc custoditur iustitia; & carnis mortificatione: sicut carnes custodiuntur salis appositione. Sicut enim carnes putrescunt, & scaturiunt vermibus, nisi sal citò apponatur: sic caro hominis verme peccati, & prauæ delectationis scaturit, nisi in ætate iuuenili dometur, & redigatur in seruitutẽ spiritus. Quando enim contratium gratiæ Dei occupauit aliquem per peccatum, difficilius in eo gratia Dei postea recipitur: sicut materia, quæ habet in se aquam, difficilius suscipit ignem: quia ignis inuenit ibi quod sibi repugnet, vt patet de ligno aquoso. Tertia innocentia est, crescen-

ran

rantium, quæ est operis. De qua. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: sed eam semper cõseruabo.* Quia sicut fatuus est ille, qui haberet vas aureũ, & balsamum sibi oblatum in eo reponere nollet: donec lutum in eo annis multis tenuisset: sic fatuus est ille, qui gratiam Dei in pueritia non vult recipere: nisi prius fuerit vas peccati & immunditiæ. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* hæc custoditur per bonam societatem. *cum sancto sanctus eris.* *Iob. 28.* *Iren. 4.* *Psal. 17.*

De Iudicio generali.

IVdicium extremum, est vniuersalis separatio bonorum à malis, & aliud est approbatiuum, aliud condemnatiuũ. Hoc iudicium erit necessarium: si enim credis Deum & creatorem & gubernatorem mundi, non debes eum credere cæcum: vt ea quæ fiunt non videat: aut si videat, non cognoscat: aut malignum, vt malum quòd videt, sibi placeat: & punire non curet, vel negligat. Aut impotentem, vt si velit, non valeat. Aut iniustum, vt nec bonis bona: nec malis mala retribuat. Aut impium & non misericordem: vt afflictiones & oppressiones bonorum quantum ad oppressores, impune transeat. Aut infidelem, vt eis, qui fideliter ei seruiunt, bonum non rettribuat: sed potius malum, cum videamus bonos frequenter conteri, & malos econtrario prosperari. Necesse est quod in futuro fiat à iusto iudice in iudicio generali omnium retributio, secundùm quòd meruerunt. Altissimus enim patiens redditor est. *Reddet vnicuique iuxta opera sua.* hæc est probatio in itinerario clementis. Timendum est autem iudicium propter multa: quia erit mirabile. *Psal. 61.*

Propter signorum multiplicitatem.
Propter furoris inflexibilitatem.
Propter iudicij infallibilitatem.
Propter conscientiæ inexcusabilitatem.
Propter diei incredibilitatem.
Propter iudicis intolerabilitatem.

Primò, erit iudicium timendum, propter signorum multiplicitatem quæ quidem signa præcedent iudicium, *Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadẽt de cœlo, Erũt signa in sole, & luna, & stellis, &c.* Christ. *Cũ patersfami-* *Psal. 64.* *Matth. 24.* *Luc. 21.*

familias moritur, tota familia deponit ornatum cõsuetum, & induit se veste lugubri in signum doloris. Sic appropinquãte mũdi termino, omnes creaturæ ostendent signa doloris. Item, homo moriẽs, cum laborat in extremis, amittit verbum: tunc oportet signis loqui: Sic mundus in fine. Greg. *Multa debent signa præcurrere, vt malum valeãt sine fine nunciare.* Ité, sicut Rex volens accipere de suis inimicis vindictam, præmittit cursarios, qui succendũt terras eorum: ita Dominus

Psal. præmittet mundum succẽdentes. *Deus vester manifestè veniet: ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Præparauit cœlum sedem suam, & regnum eius omnibus dominabitur. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Mittet angelos suos cum*

Matth. 24. *tuba & voce, & congregabit electos à quatuor ventis cœli.* Ideò siue comedam, siue bibam, semper videtur intonare auribus meis illa vox. Surgite mortui, venite ad iudiciũ. Christ.

Luc. 21. super illud. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. *Si rex aliquis processurus est contra aliquem, omnes dignitates mouebuntur, exercitus omnes exercitantur, tota ciuitas fremet. Quanto magis Rege cœli exurgente iudicare viuos & mortuos, angelicæ virtutes commouentur. Terribiles ministri, terribilem Dominum præcedentes, ante ipsum pro candelabris, fulgura viua præcedentes & pro tubis, horrenda tonitrua.* Secundò timendum est, propter

Prou. 6. *Iob. 9.* iudicis irati inflexibilitatem. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ. Deus cuius iræ resistere nemo potest. *Si* enim beata Virgo, & omnes Sancti rogarent pro aliquo, qui tunc esset in peccato mortali, non exaudirentur. Chri. *Nec filij pro parentibus intercedet: nec angeli pro hominibus: nec sicut solent assument verbum: quia natura iudicij non recipit misericordiam.* Nescitur modò potentia Dei à malis. Sicut acumen gladij, dum est in vagina ignoratur. Sic modò iustitia Dei, & potentia in vagina misericordiæ absconduntur. Sed cum acuerit vt fulgur gladium suum: & arripuerint iudicium manus eius, apparebunt. Item, feruor solis sub nube tegitur. Sed quando discooperitur: quanti sit ardoris, ostenditur: Sic Christus sub nube misericordiæ, misericordia remota, quantæ sit potentiæ, & iustitiæ ostendit.

Psal. 9. *Cognoscetur Dominus iudicia faciens.* Veniet enim cum potestate magna, quia non erit angelus, nec sanctus, qui non veniat cum eo contra peccatores. Nullus enim poterit ei resistere, nec audebit contradicere: sicut palea non resistit

igni.

ìgni. Paleas comburet igne inextinguibili. Chri. *Nec resistendi virtus est, nec fugiendi facultas: nec pœnitentiæ locus, nec satisfactionis tempus. Ex angustia omnium rerum nihil remanebit nisi luctus.* Matth. 3.

Tertiò timendũ, est propter iudicij infallibilitatem: quia ineuitabile erit. *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gessit siue bonum, siue malũ.* 2. Cor. 5.

Veniet enim ad computandum, quia bona nobis commissa dissipauimus. *Veniet dominus seruorũ illorũ, & ponet rationem cum eis.* Matth. 9.

In fine hebdomadæ solent pueri recensere lectiones totius septimanæ: qui nescit, verberatur: & qui scit, euadit. Et operarij in fine hebdomadæ recipiunt mercedem pro operibus suis. Et deficientibus nundinis, vadunt mercatores ad soluendũ. Sic in fine mundi oportebit rationẽ reddere de omnibus: & recipere mercedẽ in iudicio. *Cuncta quæ fecit Deus, adducet in iudicium pro omni errato, siue bonum, fuerit siue malũ.* Eccl. vlt.

Nescitur modò quare hîc in paupertate, & vtilitate dimittit eos dey. Sicut virtus radicis in hyeme non videtur: quia vacuos ramos dimittit: sed in æstate apparebit eis. Ita in iudicio apparebit bonitas virtutis dei suis sanctis: cùm eos omni infirmitate, & penuria depositа decorabit: quando, scilicet, fulgebunt sicut sol in conspectu patris eorum. Quartò, terribile erit ad timendum, propter conscientiarum inexcusabilitatem. Nullus poterit se excusare: quia erit ibi denunciatio operum. *In fine hominis denunciatio operum illius. Iudicium lædit, & libri scilicet conscientiarum aperti sunt.* Eccl. 11. Dan. 11.

Creditor probat debitum suum per literas patentes, quas habet à debitore, vel per testes. Sic diabolus probat auctorem coram summo iudice per opera mala, quæ tunc erunt patentia. *Iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libro secundùm opera eorum.* Sapien. 4.

Filij, qui nascentur, testes sunt nequitiæ aduersùs parentes, id est, opera operarios accusabunt. Peccata enim quæ modo sunt occulta manifestabuntur, vt merces fardelorum in nundinis. *Veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum: & manifestabit consilia principum vel cordium.* 1. Cor. 10.

Et ideo melius esset hîc per confessionem ea deponere. Sicut latro furtum extra domum eiicit, ne iuxta eum inueniatur. *Præueniamus faciem eius in confessione.* Psal. 94.

Fatuus est ille, qui citatus coram domino suo contra se testes

addu

adducit.id est,mala opera & bonos testes,id est,bona opera,qui pro se loquerentur in via occidit per peccatum.

Quintò,timẽdum est propter diei incredulitatem:quia
1. Tim. 5. tunc veniet quando minus sperabitur. *Cùm dixerint pax & securitas,tunc repente supervenient interitus.* glo.Subitanea per-
Matth.24. ditio diei iudicij. *Sicut fuit in diebus Noë:ita erit aduentus filij hominis.* Sicut enim erant in illis diebus ante diluuium comedentes & bibentes & nubentes & nuptui tradentes,non cognouerunt,donec venit diluuium,& tulit omnes:ita erit & aduentus filij hominis.] *Ideò & vos estote parati: quia qua hora non putatis,filius hominis veniet.* Itẽ,si sciret aliquis,quòd rex mandaret ei per literas certas,quòd ipse veniret citò ad ipsum:& si eum in malo & vili statu inueniret,suspenderet eum:vel in perpetuum incarceraret eum: credo quòd pro posse præpararet se,& non differret.Sic Dominus mandat nobis per Euangelium quòd in aduentu suo præparemus nos,quia remunerabit præparatos: imparatos autem æter-
Matth. 25. naliter damnabit. *Quæ erãt paratæ intrauerunt cum eo ad nu-*
Eccl.18. *ptias.* non paratis autem expulsis. Ideò dicitur. *Ante iudicium para iustitiam tibi:& antequam loquaris,disce:& ante lãguorem adhibe medicinam.* Sextò, timendum est propter iu-
Mal. 3. dicis intolerabilitatem. *Quis poterit cogitare diem aduentus eius; & quis stabit ad videndum eum.* Si enim tantùm timet aliquis,quando sentit se reum de furto, vel alio delicto venire coram domino terreno:quantum debet timere apparere coram summo iudice: qui tot criminibus se culpabilem recognoscit.Gre. *Si tantum pertimescis iudicium pulueris à formidine præuidendum est iudicium Maiestatis?* Augustꝰ. *O quam angustæ erunt vndique viæ reprob. Superius erit iudex iratus: Inferius horrendum chaos:à dextris peccata accusantia. à sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia. Intus conscientia vrens: exterius mundus ardens. quò fugiet peccator sic*
Apost.9. *deprehensus?latere,erit impossibile:apparere,intolerabile. In die-*
Luc. 24. *bus illis quærent homines mortem, & non inuenient,& desiderabunt mori,& mors fugiet ab eis. Tunc dicent montibus, cadite super nos,& collibus vestris,operite nos.* Aggrauatio istius iudicij erit causæ magnitudo. Ille enim, qui obtinebit in illo, adiudicabitur regno æterno. Ille verò, qui cadet à causa
Matth. 25. sua,adiudicabitur morti æternæ. *Ibũt hi:* id est impij, *in supplicium*

plicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

De Iudicio.

IVdicio, temerario, id est malo, iudicat homo tripliciter, scilicet.

In causa sua propria,
In causa proximi,
In causa sua, & proximi.

Primò, in causa sua iudicat homo malè, videlicet animæ, & carnis, inter quas est continua pugna. Dare sententiam contra animam, carni acquiescendo, hoc est facere ancillam dominam, & dominā ancillam: quod est magna abusio. *Expectauit vt faceret iudicium, & ecce iniquitas:* similes sunt pueris, qui non iudicant bonum filij, quod placet eis. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Et quòd illud iudicium sit iniustum, patet. *Fili, post concupiscentias tuas non eas: sed à voluntate tua auertere.* Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius: faciet te in gaudium inimicis tuis. *Isa. 5.* *Eccl. 18.*

Secundò, iudicat homo malè in causa proximi: vt illi, qui iudicant ditiorem meliorem, & honorabiliorem; vt canis in cantatoris, qui melius valentem cognoscit. *Si introierit in conuentum vestrum vir, aurum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: tu sta illic, aut sede subscabellio pedum meorum. nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Sed illud iudicium cassabitur à vero iudice in magnis assisiis, in iudicio generali. *Qui non secundùm visionem oculorum iudicabit.* Exemplum de diuite & Lazaro. Exemplum, sicut fatuus est ille, qui empturus equum non considerat equum, sed sellam vel frænum: sic qui hominem ex veste, vel ex conuersatione exteriori considerat: quia ex auro fræni non melioratur equus: & aliquando sub vili tegumento, latent merces prætiosæ: & sub pictura aurea, lignum putridum. Ideò dicitur. *Nolite iudicare secundùm faciem: sed iustum iudicium iudicate.* *Iac. 2.* *Isa. 40.* *Luc. 16.* *Ioan. 6.*

Tertiò, iudicat homo malè in causa sua, & proximi factum, vel causam proximi aggrauando, & suam alleuiādo: sicut Phariseus publicanum iudicauit. Sic oculus, qui videt aliorum defectus, sed suos non cōsiderat. *Propter quod inex-* *Rom. 11.*

cusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas: in quo enim alium iudicas, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Mirum est, quòd peccata sua maiora non vident, & proximi minora
Matt.7. peccata vident contra naturam visus. *In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* & sequitur. *hypocritæ eiice primum trabem de oculo tuo. &c.* Non debemus alios iudicare.

Quia statum illorum ignoramus
Quia iudices non sumus.
Quia de nobis responsuri sumus.

Rom.14. Primò, quia statum illorum ignoramus. *Qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit: potest esse, quòd placeat Deo.* Ber. *Caue alienæ vitæ esse curiosus explorator, aut temerarius iudex.* Quòd si perperam, idest, peruersè ab eo actum esse deprehendas: nec sic iudices proximum. Magis autem excuses intentionem, si opus non potes, vt puta ignorantiam, vel subreptionem, vel casum. Quòd si omnino dissimulationem, rei certitudo recusat: dicito apud temetipsum. O quàm vehemens fuit tempestatio illa! Quid de me fecisset, in me similiter potest.

Rom.4. Secundò, quia iudices non sumus. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum suo domino, stat aut cadit.* id est ad ipsum per-
Iob.5. tinet non ad te. *Pater, omnem iudicium dedit filio.* Sapiens baliuus alterius subditum non iudicat, Sicut quidam, qui alios iudicant secundùm quòd in se sentiunt: non secundùm veritatem. Sicut quãdo funditur metallum talem formam accipit, qualem in modulo inuenit: Sic sunt quidam, qui modulum cordis sui habent deformatum: quicquid ab eis cernitur tortum, corruptum & deformatũ inuenitur. Item sicut in vase corrupto quicquid infunditur, totum inuenitur corruptum. Tales sunt similes infirmò, cui cibus quantuncunq; sapidus, videtur insipidus & amarus: & hoc non est à vitio cibi: sed à corruptione palati: sic iudiciũ malum non ex facto proximi: sed corruptione iudicantis procedit.

Item baculus in aqua positus videtur fractus, propter reflexionem vmbræ: & turres & montes iuxta aquam, videntur transuersi. Eodem modo cordi peruerso & viciato, omnia videntur transuersa & viciata. *Semper præsumit sæua per-*
Sap.18. *turbata conscientia.* Ideò dicit Salomon. *Stultus in via ambulans cum ipse sit insipiens, omnes insipientes existimat.* semper credit

credit latro, quòd omnes sint ei similes. Criso. *Omnis homo secundùm se, alterum iudicat.* Vnde quicquid in bono corde cadit: totum bonum & dulce efficitur: sicut apis, quæ amaros succos, & venenosos in mel conuertit. E contrario, in corde immundi, vel venenosi totum conuertit in venenum. Sicut de aranea, quæ quicquid sugit, conuertit in venenum. *Bona in malum conuertens insidiatur: & in electis suis ponit maculam.* Eccl. 10.

Tertiò, quia de nobis responsuri sumus, non de aliis. *Tu autem, qui iudicas fratrem tuum, aut tu, quare spernis fratrem tuum: omnes stabimus ante tribunal Christi.* & post. *Vnusquisque nostrum pro se reddet rationem Deo.* Non ergo amplius inuicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum, vel scandalum fratri. quia secundùm quòd iudicabimus alios, iudicabimur à Deo, Rom. 14.

In quo iudicio iudicaueritis: iudicabimini & vos &c. Matt. 7.

Quartò, quia in præsenti assignatum non est tempus, sed in futuro. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque adueniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. &c.* 2. Cor. 10.

De Iudicibus malis.

IVdices mali muneribus corrumpuntur. Vnde munerum acceptio.

Iudicem excæcat.

Correctionem eneruat.

Iustitiam annichilat.

Primò, iudicem excæcat. Insanus esset, qui in domo sua reciperet illum, à quo deberet excæcari: hoc facit muneris acceptor. *Non accipies personam nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & peruertunt corda iustorum.* Deut. 16.

Secundò, correctionem eneruat. Aliquando Prælatus venit ad aliquem subditum sibi cum tanto latratu: quòd videtur eum velle deuorare. Sed ille percutit eum de vna marcha argenti. & aufert ab eo loquelam. Dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correctionem: & sic eneruatur muneribus. Eccl. 30.

Tertiò, iustitiam annichilat: & corrumpit. Mulier non dicitur casta, quæ sollicitatur à turpi amatore, si munera re-

cipiat. Item nec iudex munera recipiens, à corruptione
Isa.1. peccati est immunis. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos.* Item, sicut iniquus esset, qui mihi capam meam venderet: ita iniquus est iudex, qui sententiam, quam ex suo officio debet, vendit, & aliquid propter hoc accipit.

Iob.5. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.*

De Iustitia.

IVstitia solet distingui quadrupliciter,
Vendita pro pecunia.
Deficiens & remissa,
Excedens vel nimia,
Sufficiens & vera.

Prima est iustitia vendita pro pecunia, vel laude huma-
Matt.7. na, de qua. *Attendite: ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Chrys. *Coram illis bona facis, à quibus laudari remoti sint, velles videri.* fatuus est ille, qui opera sua de quibus posset emere regnum æternum pro nihilo, id est pro vana gloria, quæ nihil est, dat. Gre. *Qui de bonis quæ facit humanam laudem quærit, rem magni meriti pro vili pretio venalem exponit.* Item, qui bladum suum in herba colligit, vel vineam in agresta manducat, non inuenit in autumno quid in horreo, vel cellario ponat. *Sic* qui hic vult habere mercedem vanę laudis, vel terreni commodi, in futuro non habebit, quia sicut Deus non punit bis in idipsum: sic nec remunerat. Ideò sequitur, alioquin non habebitis &c. Et sequitur. *Amen dico vobis receperunt mercedem suam.* Fatuus debet reputari, qui statim, cum seminauerit, vult habere frumentum. Talis est ille, qui de operibus suis hic requirit mercedem. In vitis pater dixit quidam, sicut fieri non potest, vt herba simul nascatur, & semen ita fieri non potest vt simul habeamus seculi gloriam, & cœlestem.

Matt.7. Secunda est iustitia deficiens vel remissa: hæc est iustitia phariseorum, de qua dicitur. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Phariseorum non intrabitis in regnũ cælorum.* Hęc est illorum, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Equus, vel operarius manè deficiens

tiens, non potest facere magnam dietam : nec pugit ad primum ictum cadens habere victoriam. *Tetigit te plaga & defeciſti. Bonum facientes non deſiciamus : tempore autem ſuo metemus.* Iob 14. Gal. 6.

Tertia est iustitia excedens, vel nimia, hoc est, illorum qui facta & peccata aliorum aggrauant, & sua alleuiant. Bern. *Sunt quidam ſic feruentes circa aliorum peccata, vt plurimum videantur eſurire iuſtitiam, ſi de ſuis peccatis idem eſſet iudicium.* Sed non est sic. Nunc autem pondus, & pondus mensura, & mẽsura vtrunque abominatio est apud Deum. Isti sunt similes cuidam stulto, qui audierat, quòd Deus præcepetat recte ambulare, nec declinare ad dexteram vel sinistram, & ideò nolebat diuertere, sed montes, & domos transcendere, vel diruere. Sic facit nimis iustus, qui omnia vult ad suam voluntatem reducere, & iudicium Dei euacuare. Quid ergo necesse est futurum iudicium, si omnia corrigantur hic? *Omnis manifeſtari debet ante tribunal chriſti, vt referat, &c.* Item, similes sunt stulto transeunti diuersa loca, qui omnes lapides, quos non rectè ordinatos in aceruis videbat, aliter ordinare volebat. & omnes claudos rectè ambulare, omnes luscos videre rectè, & omnes dies ad æqualitatem redire, contra ordinationem Dei. Sed non omnes arbores sunt æquales, nec fructus æquè boni, nec æquè æquales, nec animalia æqualia, nec homines æquales esse possunt : quia secundùm Apostolum, omnia membra non eundem actum habent. Sed aliqui contra Dei ordinationem omnia volunt esse æqualia. Sicut ignis lampadem sine oleo destruit, sic zelus iustitiæ cor hominis, nisi linitum oleo misericordiæ. *Ideo miſericordia ſuperexaltat iudicium.*

Quarta iustitia est sufficiens & vera : de qua Macrobius. *Iuſtitia eſt virtus reddens vnicuique quod ſuum eſt* Oportet ergo hominem iustè agere respectu vniuscuiusque, vt sit iustus & rectus in omnibus.

Respectu Dei.
Respectu proximi.
Respectu sui.

Primò, respectu Dei oportet habere iustitiam, videlicet in emendatione commissorum : In solutione debitorum.

In supererogatione gratuitorum.

Prima est in emendatione commissorum, facere iustitiam de seipso in præsenti: vel fiet in futuro, quia quod inferior Prælatus sufficienter correxerit, superior postea ve-
1. Cor. 10. niens iterum non corripiet: sic si homo in præsenti sufficienter se punit: non punietur in iudicio. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Sed dicit Greg. *Qui non vult iudicari eo iudicio, quo nunc est, iudicem expectet.* Ideò dicitur Prou. 18. *Iustus in principio accusator est sui, antequam ab alijs accusetur in futuro* glo. Omnis, qui verè iustus est, vbi peccantium errata conspicit, primò seipsum inspicit: & dũ seipsum accusauerit, alios benignè corripit: iniustus verò nõ accusat se in præsenti. ideò accusabitur in futuro. Seneca. *Qui in secreto nolunt audire veritatem: in publico audient eam.*

Secunda est in solutione debitorum, & censuum, hoc est dictu reddere suo dominio ius suũ. Si ergo te recognoscis seruum Dei, & de domino suo: debes ei seruitium de
2. Mach. 9. feudo, quod tenes ab eo. *Iustum est hominem esse subditum Deo, & mortalem, non paria Deo sentire.* Si hæres fidem non seruaret domino suo, hæreditate paterna meritò priuare-
Matth. 21. tur. Sic homo, &c. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* id est, facienti opera, & seruitia, quæ pro illo habendo requiruntur. Qui fundum auferret ei, à quo emptus est: & traderet illi, qui non habet ius, iniustus esset. Sic qui seipsum aufert Deo, à quo factus est, & redemptus, & seruit diabolo, magis iniustus est. Bern. *Infidelem ratio vrget: & iustitia rationalis totũ se tradere illi, à quo se totum habet.* Nota de tribus mensis tenemur seruire Deo.
Luc. 10. de corde exhibendo dilectionem. *Dilige Dominum Deum*
Gal. 6. *tuum ex toto corde tuo.* De corpore bonam operationem. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* De possef-
Tob. 8. sione eleemosinæ largitionem. *Quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.*

Tertia, est in supererogatione gratuitorum. Hæc quidem iustitia bona est: vt sicut gratis accepimus à Deo, se &
Prou. 11. sua, sic gratis demus ei nos, & nostra. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.* Damnum scilicet amicorum corporis, honoris, & rerũ. Omnia ista neglexit Christus propter nos, vt nos retineret. Sic & tu non cures quicquid perdas, &

quicquid

quicquid de te fiat, dummodo eum retineas. Auguſt. *Quicquid voluerit Deus meus auferre, ſe mihi det.* q.d. non curo de aliquo, dummodo ipſum poſſim habere.

Similiter reſpectu proximi, triplex iuſtitia nobis neceſſaria eſt: ſcilicet vt ei nocumentum non inferamus, vt ab eo illata nocumenta remittamus: vt nos & noſtra proximo exhibeamus.

Prima iuſtitia, quæ debetur proximo, eſt, vt ei nocumentum non inferamus. Tull. *Primum fundamentum iuſtitiæ eſt, ne cui noceatur.* Deo, non communi vtilitati ſeruiatur. Iuſtitia magis aliis, quàm ſibi prodeſt, & vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens. ideò. *Initium bonæ vitæ facere iuſtitiam.* ſcilicet naturalem. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos faciatis illis.* Quod ab aliis oderis tibi fieri: vide ne aliquando alijs facias. *Iuſtorum ſemita declinat mala,* &c. *Prou.16. Matth.7. Prou.16.*

Secunda, vt illata nocumenta à proximo remittamus: & hoc quidem iuſtum eſt: vt qui iudicari vult à Domino in foro miſericordiæ: in eodem foro velit cum proximo iudicari: alioquin miſericordia non defendet eum, ſi eam negauerit proximo; quia iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecerit miſericordiam. Exemplum de ſeruo nequam: qui enim vult iudicare, iniuſtus eſt: quia ei aufert ius ſuum, qui dicit mihi vindictam, & ego retribuam. Qui verò remittit, iuſtus eſt: quia pro indulgẽtia indulgentiam ſoluit. *Mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur, & tribuet.* Impoſſibile eſt vt riuulus fluat, & fons ſiccus ſit. Miſericordia Dei fons eſt: miſericordia noſtra riuulus. Aug. *Fluit riuulus*, ſcilicet miſericordiæ noſtræ ad proximum, & fons ſcilicet miſericordiæ Dei ſiccabitur erganos. *Beati miſericordes: quoniam, &c. Matth.18. Pſal.36.*

Tertia eſt, vt nos, & noſtra proximo impendamus: ſicut ſcriptum eſt. *Diſperſit, dedit pauperibus, &c.* Qui dat ſua, iuſtitiam operatur: quia proximo reddit debitum. *Declina pauperi aurem tuam ſine triſtitia, & redde debitum. Seminate vobis iuſtitiam.* id eſt eleemoſinam in veritate, & metite in ore miſericordiæ. In ore illius, qui dicturus eſt. *Eſurini & dediſtis mihi mand &c. venite benedicti.* Similiter reſpectu ſui eget homo triplici iuſtitia: ſcilicet. *Matth.5. Eccl.10. Oſee 10.*

Vt sit animæ suæ iustus procurator.
Vt sit corporis iustus gubernator.
Vt sit vtriusque ad bonum promotor.

Primò, vt sit animæ iustus procurator: quia anima pupilla, exul, & incarcerata est: quæ in hominis custodia posita est & commendata. Ideò iustum est, vt ei necessaria
Eccl.14. prouideat. *Iustus comedit & replet animam suam: quia quærit*
Iob 14. *ei cibum spiritualem.* Iniustus videtur, qui melius procurat ancillam, quàm dominam, id est carnem, quàm animam. Pauit sterilem, & quæ non parit. glo. Carnem, quæ sterilis dicitur: quia dum sola terrena appetit, bonas cogitationes gignere nescit, nec bona opera parere. & viduæ non bene-
Eccl.10. facit, id est animæ: quia dum terrenis desideriis seruit, curam animæ contemnit. Peccantem in animam suam quis iustificabit? id est iustum reputabit: aut quis honorabit ex-honorantem animam suam? *Multi plus honorant sotulares suos, quàm animam suam; quia frequentius eos ter-*
Eccl.1. gunt. *Fili, in mansuetudine serua cor tuum:* id est animam tuam: & da illi secundùm meritum suum.

Secunda iustitia est: vt sit cordis iustus gubernator: &
Eccl.33. secundùm quod dicitur. *cibaria, & virga, & onus asino.* id est, corpori. Sed multi ita impinguant, & incrassant asinos suos, id est corpora, quòd non possunt eos tenere: sed proiiciunt eos in lutum peccati. Nota, quòd nos sumus à Do-
Ierem.33. mino constituti iudiciarij in terra corporis nostri: vt peccata quasi latrones occidamus. *Ecce constitui te super gentes*, i. peccata carnalia, & regna, id est peccata spiritualia. *Vt euellas* per contritionem: & destruas per confessionem: & dissipes per satisfactionem: & post ædifices, & plantes in viridaria æternæ vitæ. Solet dici, quòd terra est secura, quæ
Isa.26. bene tenet iustitiam: sed vbi non fit iustitia, latrones habitant. *Quia iustitiam non fecimus in terra.* ideò non ceciderunt habitatores eius, id est peccata, & mali motus.

De Lachrymis.

LAchryma, est humor ex oculis flentium manans, & causatur ex tristitia, vel ex affectus teneritate.

Sunt autem lachrymæ triplices. { Contritionis, Compassionis, & Deuotionis,

Prima

Prima lachryma compunctionis, est lauatorium, in quo abluuntur animæ, vt fiant sponsæ cœlestis regis. Ezec. *Effundam super vos aquâ mundam: & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Item, sicut literæ delentur aquâ, sic lachrymæ delent litteras mortis, quas Diabolus scribit manu propria. Qui autem peccat, tradit se Diabolo, quasi chyrographum. *Lachrymæ delent delicta* (ait Aug.) *quæ pudor est confiteri.* Item, istæ lachrymæ Diabolum cum toto exercitu suo submergunt. Exod. *Pharao cum toto exercitu suo submersus est in mari.* Psalm. *contribulasti capita draconum in aquis*, id est in lachrymis. Solet dici, quòd ad paruam pluuiam cadit magnus ventus: Sic modica lachryma magnũ peccatum extinguit. Greg. *Flammam suggestionum Diaboli cito extinguit vnda lachrymarum.* Vnde sicut ad aquam clamaret, & curreret homo, quando domum suam videret ardere: sic ad aquam lachrymarum debet recurrere, qui domum suæ conscientiæ igne concupiscentiæ, & luxuriæ videt succendi. Et si non potest habere, debet postulare à Deo, & de fontibus eius haurire: scilicet misericordiæ, & vulnerum eius. Isa. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, &c. Istæ lachrymæ sunt vtiles, si modum non excedant, vt obseruetur illud. *Ne quid nimis.* fit nimis, dum incurritur euacuatio, vel perturbatio cerebri. Ezech. 3. Exod. 14. Psalm. 73. Isa. 12.

Secundò, sunt lachrymæ compassionis, de quibus dicitur. Iob. *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat: & conturbabatur anima mea pauperi* Eccl. *Super mortuum plora.* Scilicet in anima, plusquàm super mortuum in corpore. Bern. *Nunquid in te sunt viscera pietatis, qui plangis corpus, à quo recessit anima.* Et non plangis animam, à qua recessit Deus. Sequitur. *Defecit enim lux eius*, scilicet gratiæ. Plorares, si filius tuus amitteret oculos corporis: & quare non plangis, quando amisit oculos mentis? Iob 21. Eccl. 4.

Tertiò, sunt lachrymæ deuotionis, scilicet ex desiderio diuinæ visionis. Vel cum anima experta dulcedinem Dei, deflet absentiam sponsi, quò ad sensum dulcedinis. Aug. *Impatiens est amor, nec lachrymis modus sit, nisi amori detur quod amatur.* Has lachrymas adducit feruor dilectionis, in secreto orationis. Gen. *Hanam* (quod donum gratiæ interpretatur) *inuenit aquas calidas in deserto.* id est, in loco Gen. 36.

secreto orando inuenitur deuotio.

Nota: hæ lachrymæ

Diabolum incendunt.

Et animam purificant.

Primò, Diabolum incendũt, nec audet ibi adstare, sicut muscæ ollæ feruenti: vel cartus incalidatus intrare coqui-
Thob. 6. nam. Thob. *Incenso iecore piscis, fugabitur Dæmonium.* Iecoris adustio, est cordis deuotio: vel dilectio ex recordatione passionis Christi. Sed multi sunt, qui non incendunt eum: sed potius balneant in immundiciis peccatorum, cogitando, & in eis delectando: & faciunt lectum, vel domum
Iob 40. Diaboli; quia sicut dicitur in Iob. *In locis humentibus dormit Behemoth: in cupidis, scilicet, & luxuriosis.*

Secundò, istæ lachrymæ purificant animam: vt in contemplatione videat subtilius laqueos Diaboli. Sicut columbæ super aquis residentes vmbram auium rapacium considerant, vt vngues earum euitent. Greg. *Mens lachrymis baptizata in contemplatione videt limpidius. Felices lachrymæ* (ait D. Bernardus) *quas benignæ manus Conditoris abstergunt*; est enim fletus cibus animarum, corroboratio sensuum, absolutio peccatorum, refectio mentium, lauacrum culparum.

De Lachrymis habes.

Gen. 27.	Num. 20.
Deut. 34.	2. Reg. 12.
2. Reg. 18.	1. Esd.
3. Tob. 10.	Iudith 13.
Hest. 4.	

De Mansuetudine.

MAnsuetudo est depressio, siue sedatio iræ, vel Mansuetudo est tranquillitas modesti animi, quæ nulla incurrentium rerum agitatur tribulatione. Et nota, quòd mansuetudo tria bona facit homini, nempè

Animam in sanitate custodit.

Deum in homine habitare facit.

Gratiam Dei, & hominum acquirit.

Primò, animam illæsam custodit. Est enim sicut antemurale in castro animæ, lapides durorũ verborum leuiter susciplens: & omnes ictus frustrans, & homines à læsione

custo

custodiens. Sicut vasa vitrea in fœno, vel alia re molli inuoluuntur: & sic à confractione seruantur: sic mansuetudo animam conseruat, ne ira eam frangat. Eccl. *Fili, in mansuetudine serua animam tuam.* & bene præcipit seruari animam in mansuetudine; quia ille animus dicitur mansuetus, qui prouocatus, nec malum cogitat facere, nec facit. Eccl.10.

Secundò, Deum in homine habitare facit. Est enim vt culcitra mollissima in lectulo floridæ conscientiæ, in qua Deus quiescit. Cant. *Lectulus noster floridus.* Vnde sicut homo libẽtius dormit in lecto molli, & suaui, quàm in duro. Sic Deus in corde mansueto; quia. *In pace factus est locus eius.* Greg. *Mansuetudo in nobis imaginẽ Dei conseruat*, quam ira dissipat: quædam quietam mensis tollit, Spiritussanctus ibi non quiescit. Cant.1.

Tertiò, gratiam Dei, & hominum acquirit. Sicut enim magnes trahit ferrum: sic mansuetudo corda hominum. Ezech. *Vt ad amantem dedi faciem tuam.* Eccl. *In mansuetudine opera tua perfice: & super gloriam hominum diligeris.* Non diceretur arbos immobilis, si nullus esset ventus, à quo moueretur: nec lignum, quod posset ardere, absente igne, incombustibile: sic non dicitur homo mansuetus, vbi nulla sit ei iniuria, vel opprobrium. Bern. Sunt quidam intumescentes, dum eis nihil fit, vel dicitur, nisi pro eorum arbitrio: patebit autem, quòd longè sint à mansuetudine, si leuis oriatur occasio. Exec.4. Eccl.4.

De Morte.

MOrs, est recessus animæ ab ipso corpore.
Mors est vltimum terribilium: & est inflicta hominibus propter peccatum. Timenda est igitur mors propter tria.

Propter morientium necessitatem.
Propter mortis velocitatem.
Propter incertam casualitatem.

Primò, timenda est mors propter morientium necessitatem. Mors enim nulli parcit. Sene. *Moriens hac conditione intraui, vt exirem.* Terra enim cum onere transiit ad hominem. Sic caro cum mortalitate. Eccl. *Non est hominis prohibere spiritum: nec habet potestatem in die mortis.* Senec. *Omnes capitali iudicio condemnati sumus.* Vnde versus. Eccl.8.

Est

Est commune mori, mors nulli parcit honori.
Debilis & fortis veniunt ad limina mortis.

Eccl. 11. Eccles. *Moritur doctus, pariter & indoctus.* Qui videt domũ proximi sui ardere, non debet multùm de sua confidere.

Eccl. 24. Eccl. *Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tibi, mihi heri, & tibi hodie.* Quotidie morimur, quotidie diminuimur aliqua parte vitæ: tunc quoque, cum crescimus, vita nostra decrescit. Secundò, timenda est mors propter mortis velocitatem; quia omnes velociter ad eam currunt: & ipsa velociter insequitur nos. Iob. *Memento quia ventus est vita mea: & non reuertetur oculus meus, vt videat bona: nec aspiciet me visus hominis, quia inuisibiliter, & incessanter, & sine reditu transit.* Vnde comparatur vmbræ, quæ semper sequitur corpus. Psalm. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.* Aug. *Nihil est aliud præsens vita, quàm cursus ad mortem.* Item, laborant homines, vt diu viuant, & ne ad terminum vitæ perueniãt. Ipsum tamen viuere quid est, nisi ad finem currere? Studia tua valde sunt contraria: ambulare vis, & peruenire nõ vis. Currunt omnes voluntarij ad terminum, quem refugiunt. Senec. *Omnes dies vitæ vestræ velut vltimi computandi sunt.* Mors est ita ineuitabilis, quòd pro toto mundo non daretur inducia vnius horæ. Exemplum de illo, qui petiit inducias vsque manè. Et de seruo, qui pro impenso labore petiit liberationem ab infirmitate, & morte à domino suo.

Iob. Psalm. 101. Psalm. 101.

Eccl. 14. Quia ergo mors festinat, festinemus bene agere. Eccles. *Fili, si habes (scilicet tempus) benefac tecum: & Deo dignas oblationes offer.* Memor esto, quoniam mors non tardabit: non enim habemus de tempore, nisi nunc. Ideò dicitur

Eccl. 14. Eccl. 14. Eccl. *Ante mortem benefac, & ne defraudetis à die bona, & particula diei bonæ non te prætereat.*

Tertiò, timenda est propter incertam casualitatem. Circa mortem quatuor sunt incerta. videlicet.

Status.
Locus.
Tempus.
Et modus.

Primò, est status incertus; quia nescit homo in quo statu moriatur, scilicet bono, vel malo. Qualẽ te mors inue-

Psal. 115. nerit, talem inuenies eam. Ideò dicitur in Psalm. *Pretiosa in*

Psal. 115.

conspe

conspectu Domini, mors sanctorum eius. Quia eos pretiosos inuenit. Et mors peccatorum pessima; quia eos pessimos inuenit. Eccl. *Sunt iusti, atque sapientes: & opera eorum in manu Dei sunt.* Et tamen nescit homo, vtrùm odio, an amore dignus sit, sed omnia in futurum reseruantur incerta. Eccl. 9.

Secundò, nescit homo locum, in quo mouetur. Sen. *Mors insidiatur tibi in omni loco; nescis enim quo loco te exspectet.* Tu quoque si sapiens fueris, vbique eam expectabis. Bern. *Certum est; quia morieris: sed incertum, quando, quomodo, vel vbi.*

Tertiò, nescit tempus mortis. Tempus nobis Dominus voluit incertum esse, vt omni homini suspectum habere tur. Matt. *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester ven-turus sit.* Ideò comparatur aui, quando videt arcum extensum, vel sagittam præparatam, non differt auolare. Psalm. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum, &c.* Sicut enim sagitta parata est auem percutere, si steterit: sic Deus nolentes conuerti. Oseæ. *Qui noluerunt conuerti, cœpit gladius in ciuitatibus eorum scilicet, percutere.* Sed multi sunt sicut auis stulta, quæ dum differt auolare, percutitur. Sic multi, dum differunt, & postponunt confiteri, subitò moriuntur. Isa. *Subitò dum non speratur, venit contritio eius, & comminuetur, sicus conteritur lagena figuli contritione peruali-da.* Eccles. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ di-sperdet te, &c.*

Matth. 24. Psal. 7. Oseæ 11. Isa. 30. Eccl. 5.

Quartò, nescit homo modum, vel genus mortis suæ, vtrum gladio, vel igne, vel aqua moriatur. Eccl. *Nescit homo finem suum.* Sed quemadmodum capiuntur pisces hamo; sic capiuntur homines tempore malo. Ideò dicitur. *Emendemus in melius, &c.*

Eccl. 9.

Item, morts timenda est propter duo, nempe,
Propter malorum occursionem.
Et propter sententiæ illationem.

Primò, propter malorum occursionem. Peccata enim propria, & dæmones occurrent morientibus. Deuteronom. *Occurrent nobis mala in extremo tempore.* Exemplum de milite, qui vidit peccata sua scripta in morte coram se apportari à Dæmonibus. Isa. *Occurrunt Dæmonia.* Chrysost.

Deut. 31. Isa. 34.

Quid

Quid facies, ô anima, cum relictis omnibus, quorum tam iucunda possessio, tam gratus aspectus: sola ingredieris regionem penitus ignotam? Quis te tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? & Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? Quis consolabitur? & quis deducet?

Secundò, propter sententiæ illationem. Recipiet vnusquisque pro meritis: & tunc amara erit peccatori valde. Ec-
Eccl.41. clesi. *O mors, quàm amara est memoria tua homini iniusto.* intrat
Iob 27. enim per locum, vnde nouit omnia sibi auferri. Iob. *Dives, cum dormierit, nihil secum asseret: aperiet oculos suos, & nihil inueniet: apprehendet eum, quasi aqua, inopia.* Vt diuitem epu-
Luc. 16. lonem, qui non potuit habere guttam aquæ. Luc. Sed boni mortem non timent, sed desiderant, cupientes liberari de
Rom. 7. carcere corporis. Apost. Rom. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sicut captiui liberationem præstolantes, ad ostium carceris stant: & canis inclusus se tenet ad ostium gemens, & clamans, vt exeat: Sic iustus ad
Eccl.7. ostium sui carceris se meditatione tenet. Eccles. *Cor sapientium, vbi tristitia.* Amatores verò præsentis vitæ, sicut talpa profundius infiguntur, renitentes auelli de carcere cordis
Iob 18. sui: tamen dicitur in Iob. *Auellatur de tabernaculo fiducia eius.* Exitum autem carceris timet, qui signatus est latrocinio, id est, peccato in conscientia; quia talis in egressu car-
Iob 21. ceris sui non expectat aliud, nisi infernale patibulum. *Ad diem perditionis seruatur malus, & ad diem vltionis ducetur.* Ve illi, qui circa egressum carceris sui nõ præuidet. Sed omnes
Iob 8. expensas ponunt in reparatione sui corporis ruinosi. Iob. *Innitetur super domum suam, & non stabit: fulciet eam, & non subsistet.* Supra domum suam innititur, qui de iuuentute, vel fortitudine confidit: fulcit eam cibis, & medicinis, & aliis adminiculis, & non stabit. Fatuus debet reputari ille, qui domum alienam fulcit, & reparat, in qua hospitatus est: de citò expelletur, id est corpus: & propriam domum.
Cor.5. id est cœlestem permittit cadere. Apoc. *Si domus nostra huius habitationis dissoluatur, habemus domum non manufactam, sed æternam in cœlis.* Notandum, quòd memoria mortis valet ad multa, scilicet.

Ad sui humiliationem.

Ad mundi despectionem.

Ad

Ad peccati fugationem.
Ad carnis depressionem.
Ad vitæ directionem.

Primò, memoria mortis valet ad sui humiliationem. Vnde antiqui volentes se humiliare, ponebant cinerē super capita eorum in memoriam mortis; quia cinis essent futuri. Ideò dictum est homini. *Memento quia cinis es, & in cinerem reuerteris. Quid superbis terra? & cinis?* Nauo visis pen- *Genes. 3.*
nis, superbit, & leuat caudam: sed visis pedibus, caudam *Eccles. 10.*
deponit: sic hom, viso fine mortis suæ, se humiliat, & contemnit Ierem. *Facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum.* Psal *Sciant gentes, quoniam homines sunt,* scilicet, *Psal. 60.*
mortales. Vnde solebat esse consuetudo Imperatorum, quando eligebantur. Veniebat latomus prima die coronationis suæ, ferens tres, vel quatuor lapides marmoris diuersorum colorum, dicens. Videat dominus Imperator de quo genere marmoris vult sibi monumentum parari, eò quòd homo mortalis est: vt habeat mortem ob oculos, & humilietur, Dicitur etiam, quòd Papa habet in loco, vbi frequenter conuersatur, lectum præcedentis Papæ defuncti, vt, viso eo, recordetur finis sui, & humilietur. Itē Ioannes Patriarcha fecit sibi sepulchrum imperfectum: & in magnis solemnitatibus, cum esset in loco honoris, quidam ab eo constitutus ad hoc, dicebat sibi. Domine imperfectū est sepulchrum tuum: Iube illud perfici; quia nescis, qua hora fur venerit.

Secundò, valet ad mundi despectionem. Qui vult mundum despicere, de morte cogitet. Hieron. *Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum.* Ideò Saul spoliatus est in Ramatha, quæ visio mortis interpretatur. Luc. *Stulte,* *Luc. 12.*
hac nocte repetent à te animam tuam, &c. Eccl. *Cū morietur ho-* *Eccles. 10.*
mo, hæreditabit serpētes, bestias, & vermes. Psal. *Cum interierit* *Psal. 48.*
nō sum & omnia. Exemplū de morte diuitis magnæ existimationis, & pauperis peregrini. Exemplum de gallina, & accipitre. Gallina in domo diuitis vilipenditur: ita quòd si intret domum, turpiter eiicitur. Sed accipiter, vel falco, honorabiliter in domo nutritur: sed post mortē in sterquilinium proiicitur: gallina autem occisa cum magna reuerētia, & magno lumine coram rege deportatur: quæ ante,

dum

dum viueret, foras cum opprobrio emittebatur. Sic pauperes, & simplices in hoc mundo vilipenduntur, & deprimuntur, qui post mortem à Domino honorificè recipiuntur ab angelis deportati. Luc. *Mortuus est mendicus, & asportatus est ab angelis in sinu Abrahæ.* Sed diuites, & potentes modo honorantur, & exaltantur: sed post mortem in sterquilinium inferni proiicientur. Vnde sequitur. *Mortuus est diues, & sepultus in inferno.*

Luc. 16.

Contingit mors triplici ratione, per elementorum pugnam, & dissolutionem, per humidi radicalis consumptionem, per extrinsecam læsionem.

Primò, per qualitates intrinsecas primas partium organicarum, quæ sunt adinuicem contrariæ, & ita potest vna superare aliam: Vnde contingunt febres. & aliæ infirmitates ad mortem disponentes.

Secundò, ex continua consumptione humidi: & licèt per cibum restrueretur perditum: non tamen in tali puritate, qualis fuit in deperdito: hinc homo deficiendo senescit, & senectam sequitur mors.

Tertiò, per læsionem extrinsecam, vt perignem, aquâ, vel morsus bestiarum, & eiusmodi.

Tertiò valet ad peccati fugationem. Aug. *Nihil sic reuocat à peccato, quam frequens mortis cogitatio.* Eccl. *In omnibus operibus tuis, memorare nouissima tua, &c.* Qui enim recolit mortem, debet cogitare; quia peccatum est causa mortis. Gen. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas: quacunque hora comederis, morte morieris.* Sed Tren. dicitur, *Sordes eius in pedibus eius; quia non est recordatur finis sui.*

Eccles. 7.

Gen. 2.

Tren. 1.

Quartò, valet ad carnalium repressionem, desideria, & tentationes. Gregor. *Nihil adeò valet ad domanda carnis desideria: sicut cogitatio, qualis sit ipsa mors futura.* Exemplum, de muliere volente ablactare filium, quæ aliquid amarum apponit vberibus suis. Et de eremita, qui carnes fœtidas mulieris mortuæ quotidie ponebat ante oculos suos: vt sic tentationes vinceret.

Quintò, valet ad suæ vitæ directionem. Aues enim, & pisces regunt se causa sua. Iumenta, & boues à muscis cauda se defendunt. Sic homines vitam suam dirigunt, & tentationes excutiunt mortis memoria. Iob. *Interroga iumenta*

Iob. 12.

&

& docebunt te: volatilia cœli, & indicabunt tibi: & pisces maris. Item, qui vult nauem suam bene gubernare, ponit se in puppi nauis, & ante se nauem dirigit, & pericula deuitat: sic qui vult bene vitam suam gubernare, debet se ponere in fine vitæ suæ, meditatione: vt possit ad bonum exitum peruenire. Sen. *Considera, quàm pulchra res sit, ante mortem vitam consummare, deinde securè expectare reliquam sui temporis partem.* O quàm sollicitè longè ante nautæ sibi prouident de nauis directione, quando habent periculosum iter transire. Sic quilibet debet sibi prouidere longè ante, quomodo possit periculosum transitum mortis transire, quia illic naues per transibunt, scilicet per atctum foramen mortis. Notandum etiam, quòd memoria mortis inducit hominem.

Ad eleemosinam elargiendam.

Ad pœnitentiam faciendam.

Primò, prouocat ad largiendam eleemosinam 1. Machab. *Vt cognouit Alexander quòd moreretur, dimisit regnum pueris.* Timor mortis facit condere testamentũ, & eleemosinas dare. quia dicit Hier. *Non sunt bona hominis, quæ secum ferre non potest.* Sola misericordia comes est defunctorum. *Mach. 1.*

Secundò, prouocat ad pœnitentiam faciendam. Cùm audisset Ezechias rex, moriens fleuit. Isa. Et rex Niniue, audita comminatione. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Io. *Indutus est sacco.* Quanto magis homo morti appropinquat: tantò magis deberet bona facere, & pœnitere: Greg. *Qui thesaurum fodiendo quærit: cum altius foderit, thesauro appropinquabit:* & quanto thesauro se existimat appropinquare, tantò plus ad laborem fortius inardescit. Sic iustus, quanto morti plus appropinquat; tantò in bono opere magis studet. Stultus est viator, si non festinat, quando videt noctem appropinquare, & pontem leuari: & adhuc procul est ab hospitio. Math. *Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias: & clausa est ianua.* Item, mulier plorat filium suum mortuum. Si ipse esset rex in aliena terra, non ploraret, nec vellet, regno dimisso, eum ad se redire. Ecce mortuus regnat in cœlo: & tu ploras in terra. The. *Nolumus vos ignorare de dormientibus.* *Isa. 33.* *Ionæ. 3.* *Matth. 15.* *Thess. 4.*

De morte iustorum.

2.Reg.28.
1.Matth.9. De morte malorum.
1.Mach.1. Luc.12.
Act.12. Dan.4.
Iudit.14. 1.Reg.vltimo.
3.Reg.21. De morte in genc.
Isa.38. Deut. Num.23.

Dicebat Balaam. Moriatur anima mea morte iustorum, intelligens mortem crucis, quam Saluator voluit sustinere. Vbi ostendit manifestè, quòd nedum mors debet timeri: sed quodcunque genus mortis ab homine iusto pro diuina obedientia, & iustitia promptè debet sustineri. The.3.Par.9.46.ar.4.in Corp.9.ratione prima.

De mundicia cordis.

MVndiciam cordis semper debemus tenere, vt thesaurum pretiosum; quia Dominus noster Iesus (vt nos lauaret, & mundos faceret) suum pretiosum sanguinem liberaliter fudit. Apoc. *Redemit nos, & lauit à peccatis nostris in sanguine suo.* Cordis autem munditia ad multa nos inuitat, scilicet,

Apoc.1.

Vt gratiam Dei recipere valeamus.
Vt Deum à nobis non expellamus.
Vt amicitiam eius acquirere valeamus.
Vt Deum in gloria plenariè videamus.

Primò inuitat nos, vt gratiam Dei recipere valeamus. Modicum vini non poneret quis in vase immundo, nisi lotum esset. Sic Deus non poneret gratiam in immundo. Isa. *Mundamini, qui vasa fertis Domini.* Sicut in pergameno non scribitur, nisi prius abrasum, & purgatum fuerit. Ita in corpore humano gratia non infunditur, nisi prius à culpa purgatum fuerit. Balsamum est gratia, vas purissimum requirit. Item herbę malæ, & spinæ prius eradicantur à terra, quàm triticum seminetur: sic & nos cogitationes, & actiones malas debemus remouere à nobis, si esse volumus ager Dei, & ferre bonum fructum. Iere. *Nouate nobis nouale.* id est conscientiam mundate: & nolite serere super spinas, id est peccata. Item nullus sapiens in vase immundo, vel pleno, vel fracto, vel transuersò, pretiosum liquorem infunderet. Sic Deus cordi humano per luxuriam in-

Isa.3.

Ier.4.

quinato

quinato, vento ſuperbiæ pleno, per diſcordiam fracto, per auaritiam inclinato, gratiam non infundit. Vnde Apo. ad Theſ. *Sciat vnus quiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore.* Si enim vaſa, in quibus reliquiæ ſanctorum reponuntur, mundè, & honorabiliter ſeruantur: quantò magis vas cordis, in quo pretioſæ reliquiæ, gratiæ, ſcilicet & corporis Chriſti reconduntur. Ideo in Prouerb. *Omni cuſtodia ſerua cor tuum.* *Theſ. 4.* *Prouer. 4.*

Secundò, vt Deum à nobis non expellamus. Deus autem non eſt porcus: vt in luto, aut in latrina peccatorum habitet. Deut. *Sint caſtra tua ſancta, & nihil in eis fœditatis appareat, ne te derelinquam.* Exẽplum de taſſo, qui quando fodit foueam ad habitandum, venit vulpes, & ſtercorizat ibi: & tunc taſſus recedit. Sic Deus recedit ab homine immundo propter immundiciam peccati. Simus ergo mundi corde, & corpore vt ei dignè miniſtremus. Non eſt aliquis rex, qui non velit habere ſuos ſeruos mundos: quantò magis Deus? Pſal. *Ambulans in via immaculata: hic mihi miniſtrabat,* Multùm videtur Deus diligere mundiciam veſtram: & ideo valde timenda eſt immundicia peccati: quia non poſſet ablui cum tota aqua, quę in mundo eſt, propter dignitatem rei, quam polluit, quæ eſt imago Dei, niſi aqua gratiæ Dei de cœlo deſcendens, cor abluat? Si quis imaginem Crucifixi in lutum proiiceret, infidelis iudicaretur. Quid ergo de illo, qui imaginem Dei deturpat peccando? Item, in panno albo modica macula apparet: & nimis diſplicet: ſic in corde puro minima peccata. Ideò Eccl. *Omni tempore veſtimẽta tua ſint candida.* Item, In radio ſolis atomi apparent, ſed non in vmbra: ſic in corde puro lumine gratiæ illuſtrato, minima peccata. Greg. *Homo vicinior luci ſentit quid ante fuit: & qui dignior, ſibi videtur indignior.* De tali mundicia conſequitur homo mentis illuminationem & exauditioñem orationis. Iob. *Si diluculo ſurrexeris, & Deum omnipotentẽ fueris deprecatus. Si mundus & rectus inceſſeris, ſtatim euigilabit ad te.* ideſt, exaudiet te. Aug. *Munda tantùm cubiculum cordis, intus eſt, qui exaudiet.* Sed quidã ſunt. Similes mulieri facienti caſeum, quæ venientẽ ad ſe cattum manu percutiebat, & iterum ponebat ſuper caſeũ manum ſuam ita deturpatã, ſimiliter muſcas venientes occidebat, & dicebat Deus da mihi *Deut. 28.* *Pſal. 8.* *Eccl. 9.* *Iob. 8.*

faceie mundum caſeum: ſic iuſti mundiciam petunt à Deo: ſed manus inquinant per mala opera. Grego. *Non ſunt*
Iacob.4. *manus mundæ, quæ lutum tenent. Emundare manus peccatores: & purificate corda, duplices animo.*

Tertiò, vt amicitiam eius acquirere valeamus. Prouer.
Prou.22. *Qui diligit cordis mundiciam propter gratiam labiorum, habebit amicum regem:* Fluuius habens duos riuulos, quantò plus ad vnum aquam mittit, tantò minus ad alium, Sic quantò plus homo de corpore eſt ſollicitus, tantò minus de anima. Et quantò plus amat terrena, tantò minus cœleſtia. Greg. *Tantò à diuino amore diſiungimur, quantò inferius delectamur.* Aug. *Minus te amat, qui aliud tecum amat, quod non propter te amat.* Similiter qui duobus dominis ſeruit, quan-
Matt.5. tò plus vni intendit, tantò minus alteri. Matth. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.*

Quartò, vt Deum in gloria videamus. Math. *Beati mun-*
Matth.5. *do corde quoniam ipſi Deum videbunt.* Ber. *Pura veritas non niſi mundo corde videtur.* Hæc mundicia multis modis acquiritur nempè

Per ſanctam prædicationem.
Per diuinum timorem.
Per lachrymarum effuſionem.
Per puram, & integram confeſſionem.
Per eleemoſinarum largitionem.
Per mundanorum tribulationem.
Per charitatis operationem.

Luc.9. Primò, per ſanctam prædicationem. Luc. *Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.*

Secundò, propter diuinum timorem, qui peccatum ex-
Eccl.1. pellit. Ecc. *Timor Domini expellit peccatum.* Sicut purgatur vinum feces emittendo: & ſemper eſt in motu, donec purum ſeparetur ab impuro. Sic iuſtus ſemper debet timere,
Iob.17. donec immundicia peccati ab eo ſeparetur. Iob. *Timebunt Angeli, & territi purgabuntur.*

Tertiò, per lachrymarum effuſionem. Hoc fit in contri-
Reg.5. tione. 4. Reg. Dictum eſt Naamam. *Vade, & lauare ſepties*
Ezec.16. *in Iordane, & emundaberis.* Ezec. *Laui te aqua: & mundaui ſanguinem tuum ex te.* id eſt peccatum.

Luc.18. Quartò, per puram confeſſionem. Luc. *Dictum eſt Le-*

proſis

prosis. Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Iudas, id est confessio, mundauit templum.

Quintò per eleemosinarum largitionem Luc. *Quod superest, date eleemosinarum: & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc.14.

Sextò per mundanam tribulationem. Matth. *Dominus tetigit leprosum tactu tribulationis, & mundatus est.* Matth. *Sedebit conflans, & emundans argentum.* Prouerb. *Auferte rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Matth.8. Matth.3. Prou.25.

Septimò, per charitatis operationem; quia charitas operit multitudinem peccatorum: sicut aurum mundatur per ignem. Ignis enim charitatis omnem rubiginem peccatorum consumit. Deut. *Deus noster ignis consumens est.* Greg. *Deus noster ignis consumens dicitur*: quia flammis amoris sui incendit mentes, quas impleuerit: & à vitiorum sordibus mundas reddit. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* mundare oportet templum animæ exemplo Iosiæ regis Iuda, qui mundauit Iudam, & Hierusalem. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Paruulus non perseuerat in iracundia, læsus non meminit, videns pulchram mulierem non delectatur: non aliud cogitat, & aliud loquitur: ita eiusmodi puritatem nos habere decet: vt Deo honestè seruiamus. Deut.4. 1.Cor.3. 2.Paral.33.

De Mortificatione carnis.

MOrtificatio carnis roborat spiritum. Ad mortificationem carnis nos debet mouere, resurrectio corporum post mortem. Fidelis miles non timet amittere, vel occidere equum suum in prælio: dum tamen possit facere vnum bonum, & laudabile facinus pro domino suo: quia sperat se ab eo meliorem recipere. Sic iustus non timet corpus suum perdere pro Domino suo; quia post mortem resurrecturum se sperat. Vnde Machab. Adolescens membra perditioni exponens, sic ait. *De cœlo ista possideo: sed propter Dei leges hic ipsa despicio: quoniam ab ipso ea me recepturum spero.* Ideò dicitur. *Quod sperat iustus in morte sua.* Iterum, non debet timere homo vestes suas veteres expendere in seruitio eius, qui potest reddere nouas, & pretiosas. Sic qui carnis resurrectionem fideliter credit, non debet timere corpus suum miserum, in seruitium Dei exponere: ex quo sperat se illud recepturum cum quadru- Matth.16. Prou.4.

plici gloria scilicet.

Claritatis.
Impassibilitatis.
Subtilitatis.
& Agilitatis.

Phil. 3. Apostolus. *Saluatorem expectamus* (inquit) *Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humi. consi. corpori claritatis suæ.* Nota, quòd quando religiosus vult nouam vestem recipere, oportet, quòd veterem vestiario reddat. Sic si corpus tuum vestiario tuo Christo, qui te carnibus vestiuit: & ossibus, & neruis compegit, tradideris: oportet, vt ob veterem vestem reddat tibi nouam, & pulchram: quando corruptibile hoc induet incorruptionem: & mortale hoc induet immortalitatem, vt ait Apostolus. Sed sunt multi, qui multùm videntur diffidere de Deo, ita parcentes corpori suo, quasi Dominus non posset eis nouum, & glorificatum reddere. Qui similes videntur esse filiis pauperum viduarum: qui quotidie iuxta sepes sedentes ad solem, vestes pannosas consumunt, & reconsumunt: & quicquid reparatur vno die, altero dissipatur. Sic qui petitioni carnis suæ vult indulgere, comedere, & bibere ad quamlibet citationem carnis, dormire quotiens somno premitur. iste ducit vitam vilem. Sic corda nobilium contra *huius* carnis curam, nisi quantum necessitas expedit, non intendunt. Sic alij: contra reparationem corporis ruinosi totam
Iob 8. curam suam expendunt, & totum dissipatur. Greg. *Vbicunque caro quærit refectionem*, inuenit defectionem. Iob. *Innititur supra domum suam, & non stabit: fulciet eam* (scilicet cibis, & potibus) *& non subsistet.* Ideò contingit quandoque videre quosdam rusticos, qui cum gabaonitis faciunt poni taccones in sotularibus suis, antequàm dissipentur. Tales sunt multi carnales, qui quàm citò somniant, sed ad aliquam infirmitatem dispositos, sola opinione infirmantur, & declinant ad infirmitatem, & conuocant medicos. Narrat Auicen. de quodam, qui tantùm timuit, ne lepram incurreret: quòd ex solo timore leprosus effectus est. Sen. *Plura nos terrent, quàm premant. Et plus opinione laboramus, quam re.* Item isti sunt sicut equus vmbratilis, qui ad mo-
Psal. 13. tum vnius folij, vel ad volatum auis, terretur. Psal. *Ibi trepidauc*

pidauerunt timore, vbi non erat timor. Sed consilium bonum est talibus, vt facerent de corpore suo, sicut faciunt armigeri, qui equitant tales equos: vrgent eos calcaribus: & faciunt eos transire frequenter per loca, quæ formidant. Sic tu corpus tuum ad ardua cogas: & vitium vmbratilitatis à te omnino excuties. Sen. *Imbecillis mentis est, atque ægræ, formidare experta.* Sicut equus laborans aliquo morbo, in egressu de stabulo claudicat propter tibię frigiditatem: sed post, cum calefactus fuerit, melius, & leuius vadit. Non est acerba medicina, quæ protinus delectat, dum sanat.

Item. Caro est sicut miles, qui habet diuitem rusticum: semper dicit se indigere: & largè expendit, & semper accipit ab eo mutuo: & tantum paulatim accipit, quòd relinquit eum pauperem, & nudum: Sic facit caro de spiritu: semper allegat, & prætendit necessitatem, & infirmitatem: & sine bonis operibus, & pœnitentia relinquit eum quasi nudum. Dicitur in vita beati Andreæ, quòd Diabolus tandiu illudit homines, quousque bonis omnibus priuati, peccatis onusti exeunt. Sicut Dalida vxor Sansonis Sansonem, id est spiritum nostrum, suis crinibus denudauit.

De Multiloquio.

MVltiloquium, siue multiloquentia, est multitudo locutionis cum superfluitate, præter vtilitatem, & necessitatem. Prouerb. *In multiloquio non deest peccatum:* id est, ipsum quoque multiloquium est peccatum. Locutio bona est, si seruetur tempus loquendi. *Prou.* 10.

Loquenti quatuor seruanda.

Quid dicat, quia honesta. qui enim immundus est, assimilatur
- Quid dicat,
- Cui dicat,
- Quando dicat,
- Quomodo dicat.

Porco immundo.
Cani, &
Vasi sine operculo.

Primò assimilatur porco. Porcus autem semper habet os in stercore, atque sordibus miscetur: sic mali homines ad stercora peccatorum habent os apertum, non ad flores virtutum; quia ex abundantia cordis os loquitur. De ore latrinæ, & sepulchri non egreditur nisi fœtor. Psal. *sepul-* *Psal.* 5.

chrum patens est guttur eorum. omni fœtore interficiens, qui
Corinth. sunt in circuitu eius; quia *corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Item, porcus reprobatur propter grana, quæ habet in lingua: sic homo propter mala verba. Hieron. *In verborum pondere consistit probatio vitæ humanæ.*

Secundò, est sicut canis macelli, qui labia habet sanguinolenta; abominabilis etenim est. Sic abominabilis debet esse homo, qui os apertum habet muscis, & immunditiis: & quæcunque volunt intrare, & nidificare, permittit: & Diabolum permittit spuere, & excreare in gulam suam. Sputum diaboli est immunditia peccati. Potius tolerandum esset excreatio, vel sputum vnius leprosi. Ideò dicit
Eph.6. Seneca. *A verbis turpibus abstineto: quia licentia eorum impudentiam nutrit.* Eph. *Omnis fornicatio, aut immunditia non nominetur in vobis: aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Sed magis gratiarum actio.

Tertiò, est sicut vas sine operculo, quod immundum est, & citò refrigeratur: sic homo, qui nō custodit linguam
Num.18. suam, immundus erit. Num. *Vas, quod non habuerit operculum, & ligaturam desuper, immundum erit.*

Secundò debet attendere, cum quo loquatur. Gregor.
1.Tim.6. *Obsecro, discæ, qualiter vnumquenque alloqui debeas:* quia dicitur in Eccl. *Cum stulto non multum loquaris.* Apost. *Seniorem ne increpaueris: sed obserua vt patrem iuniores, vt fratres.*
Eccl.5. Tertiò, debet attendere qui loquitur, cum quo loquatur. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Eccl. *Ex ore enim fatui reprobabitur parabola: non enim dicit eam in tempore suo.* Qui enim ore suo discretionis custodiam non apponit, est velut.

Ciuitas absque muro
Nauis sine gubernaculo,
Equus sine fræno,
Molendinum sine sepimento,
Domus sine ostio.

Prou.15. Primò, est sicut ciuitas absque muro. Prouerb. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu: Ita homo, qui in loquēdo non potest prohibere spiritum suum.* glo. si murum silentij non habet, patet iaculis, & ictibus inimicorum ciuitas mentis: & dum per verba se extra semetipsam proiicit, opertam

se aduer

se aduersario ostendit. In periculo est ciuitas, cuius porta semper est aperta tempore belli: & in terra inimicorum sita. Vinea absque sepimento, feris exponitur, & deuastatur. Tales sunt illi, apud quos nullum est silentium, nullum secretum: Nihil celare, nihil abscondere. Quicquid audierint, vel viderint, in publicùm referetur. Contra quos dicitur in Eccl. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio, ne fortè emendare non possis, cum de honestaueris amicum tuum.*

Secundò, est sicut nauis absque gubernaculo, quæ vadit, non quò vult, sed quò ventus duxit. Item nauis, intrante aqua, citò submergitur, nisi velocius obstruatur. Sic homo, qui os suum non restringit à verbis superfluis, citò in peccatum cadit. Prouerb. *Os lubricum operatur ruinam.* Prouerb. 26.

Tertiò, est sicut equus effrænis, qui seipsum præcipitat, inuito domino. Ita homo non refrenans linguam suam, ad ruinam tendit. Prou. *Lingua imprudentis, subuersio ipsius est.* Prou. 5.

Quartò, est sicut molendinum sine exclusa: aqua est ille, qui abundat malis verbis. Et sicut molendino submittitur exclusa, quæ fluxum aquæ retinet, & remoratur: qua amota, fortius currit, quàm ante: sic, amota exclusa silentij, maiori impetu loquuntur, quàm prius. Prouer. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum.* Aquam dimittit, qui se à fluxu verborum non restringit, quod est causa iurgiorum, & discordiæ. Eccl. *Ne des aquæ tuæ exitum: Vel ad modicum.* Prou. 17. Eccl. 25.

Quintò, est domus sine ostio. Ad portam domus, vel castri maior custodia ponenda est; quia qui habet portam, de facili habet castrum. Ideo. Psal. *Posui ori meo custodiam, &c.* Prouerb. *Qui custodit os suum, custodit animam suam;* quia mors, & vita, in omnibus linguæ. Psal. 38. Prou. 14.

Quartò, debet attendere qui loquitur, quomodo loquatur, scilicet prudenter, & honestè. Psal. *Os meum loquatur sapientiam.* Apost. *Sermo vester in gratia sit semper sale conditus.* Si nouisti condire pulmentum, quare non nouisti condire verbum? Hoc condimentum à tempore natiuitatis tuæ recepisti, quando dictum est tibi: accipe sal sapientiæ. Sed quæ dam linguæ sunt, quæ bene sal non receperunt; & ideò putrefient: & quasi quibusdam vermibus, id est, verbis aociuis scaturire cœperunt. Aug. *Eligu cibos, quos comedis: &* Psalm. 48.

quare non eligis verba, quæ dicis? scilicet bona,& sana.Nihil est sanè,quòd quieti mentis, & contemplationi magis insidiatur, quàm colloquia praua, quæ corrumpunt bonos mores, & quæ superfluè diu quem pertrahunt vel super contentionibus hominum:aut super ludicribus,& ineptis fabulationibus.

De Nobilitate.

NObilitas, est quædam maiorum charitas: quæ duplex est.

{ Alia innata,
{ Alia acquisita,

Innata,quæ à natura omnium parente,à primæua conditione coæua indita est.

Acquisita, quam aliundè homines acceperunt.

Innata nobilitas duplex est, { Vniuersalis, / Particularis.

Vniuersalis, qua creatura Creatori coniungitur, atque ei copulatur. Omnes enim creaturæ *in* ipsum Deum referuntur, tanquam in finem vltimum, & extremum,ratione tamen dispari. Nam rationis impotes ad Deum referuntur per vestigium.Angelus verò,& homo per imaginem, quæ reperitur in superiori mentis apice, secundùm tres potentias conformiter ad hierarchias, & ordines Angelorum.

Particularis est, vt qui à natura generati sunt nobiles, qui serui generantur,sunt obscuri,& ignobiles.

Acquisita nobilitas, quæ non inest à natura, sed illam homines acquirunt, atque aliunde accipiunt, & proprio marte assequuntur. At nisi homo subiiciat partem bellui-nam ad flagitia,& mala omnia propensam,spiritui,nullatenus censendus est homo nobilis. Debet ergo homo, si homo esse velit, dare operam, vt sensualitati ratio dominetur, & eius furores, & impetus retardet, ac suo imperio subiiciat.

Ad veram nobilitatem tria requiruntur. { Virtus. / Gloria. / Diuitiæ.

Virtus, est essentialis nobilitati.

Tota

Tota licèt veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.

Vnde Lyricus.

Virtus repulsæ nescia sordidæ, Hor.
Intaminatis fulget honoribus.

Diuitiæ instrumenta sunt ad nobilitatem promerendâ: quibus deficientibus, nemo potest facere nobilitatis egregia opera. Gloria, est pulcherrimus fructus oriens ex nobilitate. Quemadmodũ vmbra comitatur corpus: ita virtutem gloria, quæ virtutis est comes, vt corporis vmbra. Sillius Italicus gloriam appellat facem honestæ mentis, quæ animos, mentemque perurit. atque in posteris excitat mirificè ad imitationem; atque clarissima opera.

Veram nobilitatem sanguis, aut diuitiæ non efficiunt essentialiter: at sola, atque vnica virtus. Nam qui oritur ex nobilibus, nõ est nobilis: nisi maiores suos virtutibus imitetur. Cicero nouus homo, ad Sallustiũ respondit hoc modo. *Ego meis maioribus virtute mea præluxi: vt si prius noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ. Tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras.* Vnde Salomon. *Melior est sapiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. Sed qui facit peccatum, seruus est peccati.*

Adhuc nobilitas est quintuplex. { Naturalis, Supernaturalis, Parentalis, Honestę conditionis, & Virtutis.

Naturalis, est eminẽtia quædam notabilis, homini proueniens ex perspicaci iudicio rationis. Hæc per se non est laudabilis meritoriè, vel moraliter.

Supernaturalis, est eminentia quædam notabilis, homini proueniens ex charitate, quæ supernaturalis gratia est, per quam homo fit per adoptionem filius Dei.

Parentalis, prouenit homini ex laude conditionis parentalis, non quidem ex primis parentibus; quia communis est ad omnes: quæ, cum non proueniat ab electione, sed à natura, non est moraliter laudabilis.

Honestæ conditionis, cum quis à principe adoptatur in filium: vel promouetur ad dignitatem.

Virtu

Virtutis, quæ cum proueniat ab electione, laudabilis est.

De Obedientia.

OBedientia, est voluntatis propriæ subiectio, ex ob, & audio componitur.

Tria mouent hominem ad obediendum,
- Humilitas.
- Abnegatio propriæ voluntatis.
- Consideratio vtilitatis.

Primũ est humilitas, vt patet in virga, quæ cũ sit gracilis, facilè flectitur: quę cum coaluerit, non ita flecti potest.

Sed aliquem teneri ad obedientiam alterius duplicitet potest intelligi.

De necessitate.

& De congruentia.

Filiusfamilias tenetur necessariò obedire patri in his, quæ sunt citra Dei honorem, & quę pertinent ad regimen domus. Sed in his, quæ spectant ad indissolubilem obligationem (quemadmodum est in matrimonio) non tenetur necessariò, sed congruenter, & cùm Apostolus ait. *Filij* *Col. 3.* *obedite parentibus per omnia.* illud verbum *omnia*, non est distributio generalis, sed accommoda, quantùm ad ea, quæ spectant ad regendam familiam, in his tenetur obedire cum humilitate.

Vnde B. Augusti. Vnde B. Aug. *Obedientia nisi humilium esse potest:* quia humilis vacuus est, sensu suo recipit alienum. Cibus enim, in quo minus est de sale, non est perditus; quia potest apponi: facilius enim sal cibo apponitur, quàm subtrahatur: & ideò cibus, in quo est nimis de sale, perditus est. *Quapropter* humilis videns sensum suum sibi non posse sufficere, alieno vtitur, & alieno sensui acquiescit.

Secundum quod iuuare potest, est abnegatio propriæ voluntatis. Equus assuefactus circunuolutionibus, de facili *Prouer. 25.* ad voluntatem sessoris flecti potest. Prouerb. *Equus paratur ad diem belli. Dominus autem salutem tribuit.* Equus iste est religiosus homo, cui frænum obedientiæ imponitur, qui paratus est assuefactione ad obediendum, vt non ad *Psalm. 118.* dexteram, nec ad sinistram vertatur. Psal. *Paratus sum, & non sum turbatus, &c.* Aug. *Vir obediens, mandatum non pro-*

cræ

crastinat:sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri:& sic se totum in se colligit, vt mandato pareat operanti. Sed quidam sunt rustici, qui nullum seruitium volunt facere dominis suis, nisi coacti. Aug. *Optimus minister tuus est, qui non magis hoc à te audire, quàm ipse voluerit: sed velle quod audierit.*

Tertium, est consideratio vtilitatis. Hæc enim vtilitas multiplex est, nempè.

Dei associatio.
Petitionum impetratio.
Inimicorum debellatio.
Pacis assecutio.
A morte liberatio.
Regni æterni apertio.

Primò, ex consideratione istius vtilitatis, sequitur Dei associatio. Ioan. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit:& Pater meus diliget eum:& ad eum veniemus,& apud eum mansionem faciemus.* Greg. *Qui mandata Dei custodit, in eius corde Dominus venit,& mansionẽ facit.* Ideò in domo Simonis (qui obediens interpretatur) Dominus descendit. Luc. *Tunc filius Dei in vtero virginis receptus est, cum Maria verbo angeli obediuit.* Eiusdem. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Ioan. 14. Luc. 15. Luc. 1.

Secunda vtilitas, petitionum impetratio. Ioã. *Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Isido. *Si quod præcipit Deus, facimus: sine dubio id, quod petimus, obtinebimus.* Aug. *Citiùs exauditur vna obedientis oratio, quàm centum millia contemptoris.* Econtra Prou. *Qui obturat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Ioan. 3. Prouerb. 18.

Tertia, est inimicorum debellatio. Prou. *Testis mendax peribit:& vir obediens obtinebit victorias.* Testis mendax est, qui professus est obedientiam, & nõ seruat, qui in præsenti perit; quia in spirituali bello succumbit. Exemplum de populo Iudaico, qui promisit, se seruaturum legem, & non fecit. Exo. *Omnia quæcunque locutus est Dominus, faciemus. Et quia non fecerunt, coram hostibus non potuerunt stare.* Sed vir obediens loquetur victorias; quia vbique defendit eum Deus, & custodit tanquam suum. Eccl. *Si volueris mandata Dei conseruare, conseruabunt te.* Sicut castrum custodit spiritum, custodi spiritum custodientis te: obedienti enim omnia Prou. 12. Exod. 9. Eccl. 15.

omnia obediunt,& Creatori, & creaturæ. Quòd Creatori obediat obedienti, dicitur Ioan. *Non fuit postea tam longa dies, obediente domino voci hominis.* Greg. *Si obedientes fuerimus præpositis nostris, obediet Dominus orationibus nostris.* Quòd creaturæ obediant obedienti, habes in vitis SS. Patrum de illo, qui adduxit Leænam ligatam. Et de illo, ad cuius iussionem aqua ascendit vsque ad os putei.

Ioan. 10.

Prouerb. 24. Quarta, est pacis assecutio. Prou. *Qui timet præceptũ, in pace versabitur* Isa. *Vt ascendisset mãdata mea, facta fuisset, vt fluvius, pax tua,* i. abundans: si quis resistit ei,& pacem habuit.

Isa. 18.

Ioan. 8. Quinta, est à morte æterna liberatio. Ioan. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum.* Et Prouerb. *Verbum seruans filius, extra perditionem erit.*

Prou. 29.

Matth. 19. Sexta, regni æterni apertio, vel introductio. Matth. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Inobedientia clauem regni cœlestis amisit: Sed obedientia recuperabit. Matth. *Dictum est Simoni Petro obedienti. Tibi dabo claues regni cœlorum.* Iob. Si audierint, & obseruauerint, complebunt in bonis dies suos,& annos suos in gloria. Nota, quod sunt alia, quæ ad obediendum valere possunt, nempe,

Matth. 16.

Iob 36.

Ignis diuini amoris.
Gratia diuinæ vocationis.
Irrationabilium exemplum.
Modestia præceptoris.

Primum, est ignis diuini amoris, vt patet in cera liquefacta, quæ de facili flectitur: & in metallis, quæ admota igni liquefiunt: & sic de facili formam rei, cui infunduntur, accipiunt. Luc. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi vt ardeat?* Item: Qui signo pellis, vel alij rigido adhæret, flecti non potest, nisi ab eo separetur. *Sic homo ad obedientiam non flectitur, nisi ab amore terrenorum separetur.*

Luc. 12.

Secũdò, valet gratiæ diuinæ vocationis. Pellis enim vngitur, vt tractabilior euadat: & terræ duræ aqua miscetur, vt mollior fiat. Similiter vnctio gratiæ, & irrigatio aquæ deuotionis necessaria sunt, vt cor melius obediat. Signum etiam aridum non potest flecti, sed frangitur: sed viride,& aquosum flecti possunt: sic homo, in quo est humor gratiæ bene potest flecti per obedientiam: sed non superbus; quia aridus est gratia. Eccl. *Ne extollas te in cogitatione tua, sicut*

Eccl. 6.

taurus

taurus,&c.& relinquaris velut signum aridum in deserto.

Quintum,est exemplum creaturarum irrationabilium: creaturæ enim insensibiles obediunt vniuersaliter Creatori suo,Psal. *Terminum posuisti,quem non transgrediuntur,&c.* Psal. 103. Matth. *Quis est hic:quia mare,& venti obediunt ei?* & Baruch. Matth. 8. *Stellæ vocatæ sunt,& dixerunt:adsumus,& luxerunt ei cum iu-* Baruch 13. *cunditate,qui fecit illas.* Ambros. *Non mediocris pudor,imperio Dei elementa parere, & homines non obedire, quibus sensus tributus est, Domino auctore.* Item, Ouis, quàm citò nascitur, cognoscit matrem suam habitu: & cum audit, currit ad eam. Sic nos,si essemus de ouibus Domini, curreremus ad eum,non pedibus,sed affectibus. Ioan. *Oues meæ vocem meã* Ioan. 10. *audiunt,& sequuntur me.*

Sextum est,quod iuuat ad obediendum,modestia præceptoris. Periculosum est enim nouacula dentata, & sine aqua abradi.

Quid per dentatam nouaculam,nisi mordax correctio, & contentiosa inutiliter:per aquam verò correctionis leuitas designatur.Amoue dentes à nouacula tua, id est, conuicium à correctione:vnde Apost.Gal *Si præoccupatus fuerit* Gal. 6. *homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis,instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* gl.ne in simile cadas. Et nota, Quòd ille, qui habet duros pilos,sub nouacula patitur.Sic qui rigidus est, & durus in disciplina: & culpam suam defendere vult,deterius habet. Prou. *Qui corripientem dura ceruice contemnit, repentè superue-* Prou. 16. *niet ei interitus: & eum sanitas non sequitur.* Rursus,qui vult sommariũ suum onerare,panellos supponere consueuit,ne somma imposita sommariũ lædat,& dorsum eius excoriet, & etiã facilius portet.Sic & tu,Prælate,si onerosum officiũ habes iniũgere:preces subdito, & obsecrationes supponere nõ dedigneris:vt subditus onus impositum suauius portet.Noli quadrigã oneratam iunctã relinquere:sicut illi, qui quasi Deo imperant,& cum potentia, omni vnctione consolationis, & dulcedinis relegata. Hos reprehendit Dominus per Iere.dicens. *Cum austeritate,& potentia imperabat eis,& dispersæ sunt oues meæ.* Item, qui nimis stringit anguillam,labitur.Sed quãdo habet manus puluerulentas, facilè retinet. Si itaque vis apparere sanctus, circa vitam

tuam

tuam esto austerus, circa alienam benignus: audiant te homines pauca mandantem, & magna facientem. *Obediendũ est Deo celeriter.* Ge. 17. 22. Isa. 50. Matt. 4. Obediendum integraliter, perseueranter, hilariter. Vxor Loth contra præceptum retrospiciens, in statuam salis versa. Gen. 19. reuerenter sine despectione, vtiliter sine Dei offensione, &c.

De Oratione.

ORare, est mentem in Deum eleuare. Capitur oratio pro desiderio obtinendi: & capitur pro postulatione. siue oratione.

Oratio. Circa orationem tria sunt ad præsens consideranda, scilicet.

- Qualiter debemus orare,
- Qui sunt digni, vt exaudiantur.
- Quæ valent orationem impedire.

Primò, qualis debet esse oratio, vel quomodo sit orandum: Circa modum orationis. Oratio debet esse

- Humilis, non superba
- Exaudibilis, & discreta.
- Feruens, & deuota
- Cordialis, & attenta.
- Assidua, & non lenta.

Primò, debet esse humilis, non superba; quia respexit Deus in orationem humilium, & non spreuit preces eo-
Psal. 101. rum, vt in Psal. Iud. *Humilium, & mãsuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Vnde dixit quidam in vitis. SS. Patrum, quod latrones, & tructanni docuerunt eum orare. Latro attendens quid fecit, & tormentum sibi paratum: cum multis lachrymis misericordiam petit; quia cognoscit se reum. Tructanni verò ea, quæ sunt miserabiliora ostendunt, vt magnitudo miseriæ ad compassionem prouocet transeuntes. Sic in oratione debet homo defectus suos Deo osten-
2. *Reg.* 8. dere, vt ad misericordiam eum valeat excitare. *Si quis cognouerit plagã cordis sui: & extenderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo.* Item, Pauperes vbicunque possunt, à diuitibus panem mendicant, & petunt humiliter eleemosinam: sic peccatores ab illis, quos diuites credunt in bonis
Iob 5. spiritualibus, orationum suffragia mendicare debent. Iob. *Ad aliquem sanctorũ cõuertere.* id est, suffragia petẽdo; quia,

Multum

Multùm valet oratio iusti, assidua. Iob. 5.

Secundò oportet, quòd sit exaudibilis, & discreta. Multi enim indiscretè petunt; & ideò non obtinent. vt filij Zebedei, qui petierunt, vt vnus sederet ad dexteram, alius ad sinistram Dei: & dictum est eis. Nescitis quid petatis. Et Paulus, qui petiit carnis stimulum amoueri à se. & dictum est &c. *Sufficit tibi gratia mea.* Nota, si ego peto ab amico meo vnum denarium, & ipse det mihi centum marchas, non patior expulsam. Similiter si quis petit à Deo honores, vel diuitias, vel sanitatem, non dat: sed dat illi gratiam ad sustinendum, & dat satis plus ei, quàm petebat. Isido. *Multorum enim orationes non exaudiuntur.* Prouidet illis Deus dari melius, quàm petunt: sicut contingere solet paruis pueris in scholis: qui sæpe exorant, ne vapulent: Sed frequenter contingit contrarium. Ideo dicit Aug. *Cum ea, quæ Deus laudat, & præcipit petitu securè petite; illa enim, propitio Deo, conceduntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo, petite: & cum timore illi committite: vt si proficit, det: si scit obesse non det. Quid enim prosit, vel obsit, nouit medicus, non ægrotus.*

Tertiò, quòd sit feruens, & deuota. Sicut enim furor ignis facit aquam ascendere in olla: sic feruor charitatis orationem ad Deum. Item ignis si ponatur in thuribulo statim fumus ascendit. Ps. *Dirigatur oratio mea sicut incẽsum, &c.* Psal. 140. Item, sagitta cum magno impetu emissa, plus ascendit, & longius vadit. Sic oratio non molliter: sed cum gemitu, & deuotione proposita. Psal. *Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum.* Psal. 78. Gemitus est vox cum impetu, & angustia cordis emissa. Aug. *Oratio sine deuotione, est quasi mugitus boum.* Quid prodest gemitus labiorum, si mutum est cor tuum? Ideo dicit Isido. *Nunquam est orandum sine gemitu.* Ideò, cum Deo assistimus, gemere, & flere debemus, reminiscentes, quàm grauia sint scelera, quæ commisimus: quàm dura inferni supplicia, quæ meruimus.

Quartò, debet esse attenta. vt homo intelligat, & attendat, quę dicit. Pet. *Vigilate in orationibus.* glo. ne animus cogitet præter illud, quod precatur. Indiscretè orare videtur, qui Deum precatur, vt intendat illi: ipse verò nec Deo, nec sibi intendit, Sed (quod peius est) immundo corde versando, fœtorem horribilem conspectui eius ingerit. Non pla- 1 Pet. 5.

cet regi ferculum (quantuncunque bonum sit) si in vase immundo oblatum sibi fuerit. sic nec Deo oratio oblata ore turpi, & corde immundo. Item vinum tuum non infunderes in vase immundo: sed prius lauas, quàm infundas. Quomodo credis tu, quòd Deus in te immundo in o-
Eccl.18. ratione gratiam infundat. Eccl. *Ante orationem præpara animam tuam.* Item sunt quidam, sicut illi, qui falsa moneta soluunt census suos: quia quod dicunt ore, non habent in corde. Item simul diuersa fercula in eodem vase ponunt coram Domino, orationem scilicet, & sollicitudinem re-
Philip.4. tum temporalium, & cogitationes turpes. Philip. *Nihil sol-*
Eccl.10. *liciti sitis semper in oratione.* Sed dicitur Eccl. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Scilicet immundæ cogitationes deuotionem orationis. Qui enim in propria persona in ecclesia non seruiunt, distributiones canonicas non percipiunt. Ita cor tuum si in propria persona Deo non seruit, non attendendo ad ea, quæ dicit: non mireris, si ab eo consolationes diuinæ, quasi quædam distributiones, subtrahuntur. Isa. *Abiit vacuus in via cordis sui, & dimisi eum,* Isid. *Oratio cordis est, non labiorum.* Neque enim Deus verba deprecantis attendit: Sed orantis cor aspicit. Ideò dicit Apostolus. ideest ad Corinth. *Psallam spiritu, psallam & mente.*
Corin.14. *orabo spiritu, orabo & mente.*

Quintò debet esse assidua, & non lenta. ideest cum perse-
Luc.11. uerantia. Luc. *Amen dico vobis, & si perseuerarit pulsans, dabit illi quotquot habet necessaria.* Ab his, qui vigilant, diuertũt latrones: sed dormientes spoliant. Sic ab eis, qui vigilant
Matth.26. in orationibus, dæmones fugiunt. Mat. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Iaco. *Multum valet deprecatio iusti assi-*
Iacob.5. dua. Luc. *Oportet semper orare, & nunquam deficere.* nunquàm
Luc.18. proiiciendum est scutum orationis, quandiu bellum durat, id est vita præsens. Circa secundum notandum, quòd sunt multa, quæ orationem impediunt, scilicet.

- Quia non fit tempore congruo.
- Dæmonum suggestio.
- Peccati obstaculum.
- Rancor, vel odium.
- Damnata impietas.
- Et orantis impietas.

Primum

Primum impedimentum orationis, est tempus, quando non fit tempore congruo: sicut pauperi quandoque denegatur eleemosina quia non petit tempore debito. Tempus beneplacitum Deo, est tempus gratiæ, id est, præsens. Oseæ. *Tempus requirendi Dominum cum venerit qui docebit vos iustitiam, tempore placito exaudiuit te.* Oseæ.10.

Secundum impedimentum, est suggestio Dæmonum, qui in orationibus frequenter suggerunt malas, & peregrinas cogitationes. *Muscæ morientes* (idest, immundæ cogitationes) *perdunt suauitatem unguenti.* id est, deuotionem orationis. Sed has muscas debet homo amouere de corde: Sed quidam permittitur se comedi ab his muscis: & frequenter eas expellunt ab oratione. Gen. *Abigeat Abraham volucres à sacrificio suo.* Eccl.10. Gen.15.

Tertium impedimentum, est obstaculum peccati. Isa. *Cùm multi prædicaueritis orationem, non exaudiam. manus enim vestræ plenæ sunt sanguine.* id est, operibus malis Gladio euaginato pacem à Deo quærit, qui cum proposito peccandi, Deum sibi reconciliare intendit. Tren. *Nos iniquè egimus, ad iracundiam te prouocauimus: iccirco inexorabilis es.* Isa.1. Tren.3.

Quartum, est cordis rancor siue odium. Matth. *Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem,* Et Isido. *Sicut nihil proficit medicamentum,* si adhuc ferrum sit fixum in vulnere: ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc odium remanet in pectore. Ideò dicitur Eccle. *Relinque proximo nocenti te*: & tunc deprecanti peccata soluentur. Matt.11. Eccl.28.

Quintum est inuidia, & damnata impietas circa proximum. glo. super illud Matth. *Extende manum tuam, frustrà pro peccatis rogaturus ad Deum.* Manus extendit, qui has ad pauperes pro posse non extendit: quia fecit Domino aurem surdam: iustum est, quòd ipse Dominus faciat ei. Prou. *Qui obturat aurem suam ad clamores pauperum: clamabit, & ipse non exaudietur.* Matt.12. Prou.21.

Sextum impedimentum, est orantis dubietas, Iac. *Postulet autem, in fide nihil hæsitans,* Greg. *Indignus est cœlesti benedictione, qui eam dubio quærit affectu.* Aug. *Non hortaretur vos petere, si non vellet dare.* Erubescat ergo humana pigritia: plus vult ipse dare, quàm nos accipere. Iac.1.

Circa secundum, quod supra in principio huius præsentis Cap. notatur, de his scilicet, qui digni sunt exaudiri in cœlesti consistorio, hi nempè sunt,

- Pauperes.
- Mites.
- Flentes.
- Misericordes.
- Mundi corde.
- Obedientes.
- Diligentes.
- Desiderantes.

Psal. 68. Primi sunt pauperes, & indigentes. Psal. *Exaudiuit Dominus pauperes, &c.* Diuitibus autem negatur audientia in
Eccl. 13. cœlo; quia habent in terra. Ecc. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt.* Ideò diues epulo non est exauditus in gutta
Luc. 15. aquæ. Luc. *Sed pauperi denegatur audientia in terra.* sicut dicitur ibi. *Pauper locutus est.* Et dicunt, quis est hic? & ideo
Psal. 33. datur ei audientia in cœlo. Psal. *Pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum.*

Eccl. 28. Secundi sunt mites. Eccle. *Relinque proximo nocenti te: & tunc peccanti peccata soluentur.* Homo homini seruat iram: & à Deo quærit medelam: & in similem sibi non habet misericordiam: & de peccatis suis deprecabitur.

Isa. 18. Tertij sunt flentes. Isa. *Audiui orationem tuam: & vidi la-*
Psal. 30. *chrymam tuam.* Lachryma vox est in aure Dei. Psal. *Auribus percipe lachrymas meas.* Cogitur mater dare filio quod petit,
Eccl. 26. quando videt eum plorare. Augusti. *Lachryma Deum cogit, oratio vngit.* Eccle. *Nonne lachryma ad maxillam descendunt: & exclamatio earum super deducentem eas?*

Isa. 38. Quatti sunt misericordes. Isa. *Frange esurienti panem, &c.*
Eccl. 4. *tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet adsum: quia misericors sum, sicut tu.* Eccle. *Declina pauperi aurem tuam*
Ioan. 3. *sine tristitia, & redde debitum.* Quinti sunt mundi corde. Ioan. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Quoniam quicquid
Iob. 8. petierimus, accipiemus ab eo. Iob: si diluculo surrexeris ad Dominum, &c.

Ioan. 4. Sexti sunt obedientes. Ioan. *Scimus, quoniam peccatores Deus non audit* Si quis Dei cultor est, & voluntatem eius

facit,

facit,hunc exaudi.Ierem. *Sicut non audierunt:sic clamabunt, Ierem.7.*
& ego non exaudiam.

Septimi, sunt diligentes. Eccl. *Qui diligit Deum,exorabit Eccl.3.*
pro peccatis suis, & continebit se ab illis : & oratione dierum
exaudietur.

Octaui,sunt desiderantes. Psalm. *Desiderium pauperum Psal.9.*
exaudiuit Dominus. Præparationes cordis eorum audiuit
auris tua,id est cor præparatum ad seruiendum tibi Eccl. *Eccl.17.*
Ante orationem,præpara animam tuam.

Oratio Deum inclinat.

Thom.12. Esa.65.
Luc.15. Eph.6.
2.Thess.1.

De Ornatu corporis.

ORnatus corporis animas capit. Mulier enim est rete Diaboli ad capiendum animas. Eccl. *Inueni mulierem Eccl.7.*
amariorem morte:quæ laqueus venatorum,&c. Igitur ornata mulier est.

Ornatus superfluus duo mala facit, Deum offendit. Deut. *Non induetur mulier veste virili:nec vir vtetur veste fœ- Deut.22.*
minea:abominabilis enim apud Deum qui facit hoc. Proximum incendit. *Sandalia eius rapuerunt oculos eius.* Iud.16.

Ornatus malus est. { Rete Diaboli,ad capiendas animas. / Gladius inimici,ad animas occidendas. / Glutinum venatoris, ad animas decipiendas.

Primò,ornamentum mulieris,siue ornata mulier est rete Diaboli ad animas capiendas. Prou. *Multos vulneratos Prou.7.*
deiecit. August. *Efficacissimum glutinum ad hominem capiendum est: & multum potens ad retinendum,hominẽ ponit in maxima vtilitate, & misera seruitute.* Abac. *Totum in hamo suo Abac.1.*
subleuauit:totum traxit in sagena sua,& congregauit in rete suo.
Hamus, & sagena Diaboli, atque rete sunt pulchræ mulieres,quæ totum mundum in perditionem trahunt. Quis Salomone sapientior? & tamen infatuatus est amore mulieris,& captus. Propterea dicitur Prouerb. *Fouea profunda Prou.22.*
os alienæ:cui iratus est Dominus, incidit in eã qui in profundam
cadit foueam,nõ cùm voluerit,exit:nec de facili euadit. Non sustinent iudices insidiantes in via,& siccarios. Sed de insi-

Prou.23. diantibus in via paradisi non curant. Prou. *Insidiatur quasi latro in via: vt si quos incautos viderit, capiat, & interficiat.* Sed multæ dicunt, quòd ornando se, non intendunt aliquem decipere. Tales similes sunt latroni, qui non audet piscari in viuario domini sui, vel venari in silua: sed bene commodat rete suum latroni audaciori. Sic istæ commodant corpora sua Diaboli ad capiendum animas: & bene volunt concupisci, licèt non concupiscant. Aug. *Non solùm appetere: sed velle appeti, crimino sum est.* Chrysost. *Si se decorauerit, & oculos intuentium ad se traxerit (& si plagam non intulerit) vindictam tamen extremam soluet: venenum enim intulit, etiam si nullus, qui biberit, inuentus sit.*

Eccl.9. Secundò, est gladius ad animas interficiendas, Eccl. *Propter spem mulieris multi perierunt.* Et fortissimi interfecti sunt ab ea, vt Dauid, Samson, & Salomon. Ideò mulierem, quam videris bene conuersantem, mente dilige, non corporali frequentia; quia tu, nec Dauid sanctior, nec Samsone fortior, nec Salomone sapientior esse potes. Item. Ornatus signum est luxuriæ: faciunt de templo Dei domum meretricis. Solent equorum venditores, equis suis imponere ramum super capita eorum, in signum, quòd sunt vænales. Ita mulierès imponunt ornamenta capitibus suis, in signum, quòd corpora earum vænalia sunt. Si quis equo alicuius nobilis imponeret signum venditionis, & eum circunduceret quasi vænalem, non modica esset iniuria. Pro-

Prou.6. uerb. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus: nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Rursus. Circulus, qui est ante tabernam, est signum, quòd ibi sit vinum vænale. Sic de ornatu mulieris. Quare ouis Dei, id est, mulier, vult esse signata signo Diaboli, scilicet signo meretricio, quod est ornatus. Sed in die iudicij sibi dicetur à pastore Ecclesiæ, qui est Christus. *Non noui te,* quia non es signata signo meo: & statim rapietur à lupis infernalibus, tanquam signata signo suo: vt dicit Greg. *Euidentissimum signum reproborum, est superbia: & electorum, humilitas.* Quando pannus sericus ponitur super feretrum, signum est cadaueris mortui, & quòd ibi iacet mortuus. Sic in corpore ornato, signũ est, quòd ibi sit anima mortua: vnde mulier ornata est feretrum animæ

mortuæ.

mortuæ. Ezech. *Ecce coopertus est auro,& argento:& spiritus non est in visceribus eius.* Vnde potius deberet mulier filiam suam ornatam plangere,quàm si videret eam ante se mortuam. Eccl. *Filit super mortuum* (scilicet, in anima) *plora,desecit enim lux eius.* scilicet, gratiæ. Vnde qui gloriatur in veste,vel ornamento, similis est futi, qui gloriatur signo sibi pro furto impositio. Nam scitis, quia propter peccatum introductus est vsus vestium. Eccl. *In vestitu ne glorieris vnquam.* Item, Si nux relinquat corticem exteriorem ante tempus, signum est corruptionis interius. Ita mulier. *Omnis gloria eius ab intus.* In quo optimè discernitur sponsa Christi,à sponsa Diaboli. Ad idem facit quod legitur Num. quòd hoc peccatum præ cæteris elegit Balaam,quo eiiceret filios Israël,& faceret eos peccare. Hoc vitium capit nobiles, & ignobiles: sapientes,& insipientes. Hieron. *In serico,& in pannis vilibus eadem libido dominatur: nec mendicantium spernit squallorem.* Item, apparatus mulieris est sicut fimus coopertus niue, de quo quando recedit nix, apparet turpitudo ipsius. sic, &c. *Reuelabitur ignominia tua: & videbitur opprobrium tuum.* Sunt etiam incendiaria Diaboli,templa Dei cõburentes,ferentes ignem in caudis, vt vulpes Samsonis. Psalm. *Incenderunt igni sanctuarium tuum: polluerunt, &c.* Item, sunt proditrices Dei, tradentes castrum domini sui,id est, cor earum, aduersario regis, Diabolo, qui statim ponit sibi signum suum: sicut aliquis,quando cœpit castrum alicuius,ponit signum super portam,per hoc ostẽdens,quòd captum est castrum. Psalm. *Posuerunt signa, &c.* Non cognouerunt Deum esse dominum ibi. Item. Sicut mirabile esset, si mulier veniret ad Missam in morte patris, vel viri sui ornata floribus. Sic est mirandum, & magis dolendum de illis, quæ veniunt ornatæ ad Missam; cum omnis Missa celebretur in memoriam Christi crucifixi. Corona spinea imposita est Christo: & tu imponis tibi coronam de floribus, & rosis. Sap. *Coronemus nos rosis.* Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, vt similitudo templi.

Ezech.16.

Eccl.21.

Eccl.11.

Num.21.

Isa.48.

Psal.73.

Psal.73.

Sap.1.

Psal.143.

De Pace.

PAx est quieta, & suauis concordia, debitum ordinem seruãs: vbi enim non est ordo, ibi confusio: vbi confu-

sio,ibi pacis perturbatio. Pax hominis vera est ordinata hominis ad Deum in fide sub æterna lege obedientia.Pax datur à Deo,non solùm cõtemnenti,sed magno cum desiderio ipsam quærenti. Vnde in principio primi parentes per peccatum suum, mouerunt bellum contra Dominum Deum suum,volentes vsurpare potestatẽ Domini sui:propterea nos omnes,vt filij,prius fuimus inimici,quàm nati. O quàm malè partitus est ludus ille , vt creaturæ contra Creatorem,serui contra dominum,filij contra patrem,imporentes contra omniporentem:Nullus ibi potest lucrari: ideò dicitur Eccl. *Noli resistere contra faciem potentis.* Hunc ludum aliquandò habuit Paul. Act. *Saule,quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Nemo de manu tua potest euadere:sed tandem misit Deus Moysem fidelem eius,per quem mandauit induciar per legem,quæ tregua dicitur : quæ cohibebat manum , non animum ; quia peccandi voluntatem habebat:sed timore pœnæ dimittebat.Inducias petunt peccatores,qui solùm timore, vel pudore peccare dimittunt. Tempore autem gratiæ(quod est tempus amoris)venit filius Dei,qui per amorem.

Eccl.3.
Act 9.

Pacem reformauit.
Per angelos nunciauit.
Discipulis habere mandauit.
Hanc nobis habere præcepit.
Ipsam pro nobis emit.
Hanc nobis in fine reliquit.

Primò, per amorem pacem reformauit. Amor enim omnes paces componit. Prima erat inter primum hominem,& Deum : inter primum statum, & secundum : & sic operatus est salutem in medio terræ. Inter Deum, & homines mediator Dei , & hominum. In passione fuit tanquam pugil in bello : & posuit dorsum suum pro nostro, non enim erat,qui manum poneret in ambobus : & sic facta est disciplina pacis nostræ super eum. Et quia pacem facere veniebat,tempore pacis nasci voluit;nunquam fuerat ante tanta pax in mundo. Isa. *Tunc conflabunt gladios suos in vomeres:& lanceas suas in falces.*

Isa.2.

Secundò,hanc pacẽ per angelos nunciauit.Luc. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Isa. *Pater futuri seculi princeps*

Luc.2.
Isa.9.

pacis.

pacis. hac de causa dicit B. Bernardus. *Domine, pacem volo, pacem desidero, & nihil amplius.*

Tertiò, hanc pacem discipulis habere præcepit. Luc. *In quamcunque domum intraueritis, dicite: pax huic domui, &c.* Luc. 10.

Quartò, hanc pacem vt inter nos haberemus, mandauit. Luc. *Pacem habete inter vos.* Apost. *Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Rom. 12.

Quintò, pro hac pace habenda magnum pretium dedit, scilicet, sanguinem suum. Ioan. *Quando dixit eis, pax vobis, ostendit eis manus, & pedes:* quasi dicat. Tam carè emi pacẽ vestram: tantùm constitit mihi: nolite de cætero infringere eam. Multi tamen frangunt pacem illam: & faciunt renouari plagas iam sanatas, peccando: & rursum crucifigũt filium Dei, quantum in eis est. Ier. *Deus cogitat cogitationes pacis, & non affectionis.* Ioann. 21. Ier. 29. Et ipsi cogitant bellum, dum in voluntate peccandi persistunt. Isa. *Auferte malum cogitationũ vestrarum ab oculis meis:* quia non possum eas videre. Euaginato gladio pacem cum Deo quærit, qui est in voluntate peccandi. Pacem frangit, qui post confessionẽ Deum, peccando, offendit. Iob. *Quis restitit ei, & pacẽ habuit?* Non auderet pauper homo resistere regi terreno: & tamen audet resistere regi æterno. Stultitia magna est resistere ei, cui resistere nemo potest. Psal. *Quis resistet tibi ex tunc ira tua?* Isa. 1. Iob 9. Psalm. 65.

Sextò, hanc discipulis in testimonio reliquit. Ioan. *Pacẽ relinquo vobis.* Solent homines magis dilectis suis meliora relinquere. Vnde per hoc ostendit, pacem optimam esse. Psal. *Pax super Israël.* gl. vno verbo omnia dixit. multùm enim laborare debemus ad pacem habendã nobis. Nota, quando castrum alicuius impugnatur ab aliquo: nec potest cum eo componere, nec pacem habere, septem sunt necessaria, vt in pace teneat castrum suum, scilicet. Ioan. 13. Psal. 127.

Vt ipse studeat pacem tenere
Vt consideret, si quis velit pacem turbare.
Et proditores fugare.
Et de eis iustitiam sumere
Castrum illud muro vallare.
Nocte, & die custodiendo vigilare.
Adiutorium à Domino inuocare, & ei reddere.
Attende ergo cor tuum in terra inimicorum situm,

& vadique obsessum: ante ipsum tenet sedem suam Diabolus, qui tanquam leo circuit, quærens, quem deuoret. gloss. Circuit, tanquam hostis clausos muros explorat, an aliqua parte sit minus stabilis, quo ad interiora penetret. Sunt ergo ista septem cuilibet necessaria, ad hoc vt cordis castrum in pace custodiat. valet ergo ad pacem cordis habendam.

Diligens conscientiæ discussio.
Integra peccatorum confessio.
Conueniens de peccatis satisfactio.
Debita sensuum cohibitio.
Salubris virtutum munitio.
Assidua scripturæ meditatio.
Vltimò, fiat Domino recommendatio.

Primum ergo, quod valet ad pacem cordis habendam, est diligens conscientiæ discussio: vt diligenter consideretur, si quid est in corde, quod pacem cordis turbet. Psalm. 84. *Loquetur pacem in plebem suam. & in eos, qui conuertuntur ad cor.* Bern. *Pacem, pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur: nec talia cogitamus in nobis.* Sed audimus in nobis homicidia, furta, blasphemias. & alia mala, quæ cogitantur, non Dei sermo sunt: sed hominis cogitatio, vel Diaboli suggestio. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, furta, adulteria, homicidia, blasphemiæ, &c.* homo enim peccando, extra semetipsum egreditur. Sed in contritione ad cor suum redit, quando considerat peccati viliratem, & suam dignitatem. Isa. 16. *Redite prævaricatores ad cor.*

Secundum est integra peccatorum confessio: quæ eiicit de castro cordis peccata, quæ pacẽ cordis conturbant: sicut modicus pediculus pacẽ hominis in lecto conturbat: neq; spina in pede sinit hominẽ in pace quiescere. Sic modica peccata pacẽ hominis conturbãt: & quantò magis magna. Quomodo potest in pace quiescere, qui scit in lecto conscientiæ serpentẽ venenosum, vel inimicum mortalẽ nutrire, & fouere? Psal. 36. Isa. 48. Psal. *Non est pax ossibus meis* (id est interioribus) *à facie peccatorum meorum.* & Isa. *Non est pax impiis. Quomodo pacem habet, qui iacet in spinis vitiorum?* Quem vermis conscientiæ continuè mordet. Qui graue onus Diaboli continuè portat. Qui habet bellum cum Omnipotente,

qui

qui vbique est. qui vbique videt, & dominatur, cuius iustitia gladium tenet euaginatum super caput suum. Psal. *Nisi conuersi fueritis, gladium suũ vibrauit, &c.* aquiesce ergo ei, & habeto pacem cum eo, vt dicitur in Iob. Eiice ergo peccata de castro cordis tui per confessionem, vt habeas pacem. Isa. *Creaui labiorum fructum pacem:* quia sicut dicitur, id est Machab. *Quandiu supereſt Iudas* (id est quandiu differtur confessio) *Impossibile est, pacem esse negocijs.* *Psalm. 7.* *Isa. 7.* *Mach. 1.*

Tertiò, debet de illis facere iustitiam: id est, satisfactionem facere de erratis. *Erit tempus iustitiæ, pax.* Psal. *Iustitia, & pax oscultatæ sunt.* Solet dici, quòd terra pacificata est, & secura, in qua tenetur bona iustitia, sicut dicitur Prouerb. *Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dissipat omne malũ.* Sed vbi non fit iustitia, latrones habitant. Ii. *Quia iustitiam non fecimus in terra nostra, ideò non ceciderũt habitatores terræ.* id est peccata, & mali mores. Qui dubitat de latronibus: & non facit de eis iustitiam, meretur mortem. Sunt tamen multi, qui de se nolũt iustitiam facere: sed de eis fiet iustitia: sicut de latrone, qui de se nullam facit iustitiam: sed fiet per alium, vt illi, qui patiuntur inuiti pœnam: sicut fur, & homicida. Ideo dicitur Iob. *Increpationem Domini non reprobes; quia ipse vulnerat, & medetur: percutit & manus eius sanabunt.* Et sequitur. *Et scies, quòd pacem habet tabernaculum tuum.* id est, mens tua. Isa. *Ponam visitationem tuam pacem.* *Isa. 32.* *Prouer. 20.* *Isa. 12.* *Iob 9.* *Isa. 9.*

Quartum, quod est necessarium, est debita sensuum cohibitio. id est castrum cordis clausum tenere, hoc est, sensus corporis restringere. Sensus enim sunt portæ cordis, per quas hostes ingrediuntur, qui turbant pacem: scilicet carnales concupiscentiæ. Iacob. *Vnde bella, & lites in vobis, nonne ex concupiscentiis, quæ militant in membris vestris.* Iere. *Ascendit mors per fenestras* (scilicet quinque sensuum) *& ingressa est domum vestram.* id est conscientiam. Luc. *Dum fortis armatus custodit atrium suum.* (id est tenet ostium cordis clausum) *in pace sunt omnia, quæ possidet.* Conseruatorium autem huius pacis est taciturnitas: quia qui de omnibus tacet, de omnibus pacem habet. Attende aduocatum tuum Christum, qui causam tuam suscepit defendendam, esse peritum, & eloquentem, dum solummodo tacueris: sicut dicit Moyses. Dominus pugnabit pro vobis, *Iacob. 4.* *Ier. 9.* *Luc. 11.*

& vos

& vos tacebitis. Noli ergo per responsionem tuam ad quancunque iniuriam tibi factam, os aduocati tui obstruere. Vnde Iob. *Nonne dissimulaui: nonne silui: nonne quieui, & venit, &c.* Iob. 3.

Quintò, debet esse firmatum muris. & hæc est salubris virtutum munitio, vel vallario. Sicut enim muri, & aggeres ingressum, & impetum hostium impediunt. Sic virtutes vitiis obsistunt. Largitas enim impedit, ne auaritia intret. Castitas, ne intret luxuria. Humilitas, vetat superbiã, & sic de aliis. Vnde Iud. *Filij Israël muris circundederunt suos vicos in præparationem pugnæ suæ, contra Holofernem.* Et nota, quòd si fractura sit in muro, patet aditus hostibus. Si habeas multa opera virtutum, & vna virtus defierit: sufficit ad ingressum hostium, vt te capiant. Iob. *Quasi rupto muro, & aperta ianua, irruerunt super me.* Phil. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, &c.* Iud. 10. Iob 6. Phil. 4.

Sextò, debet esse castrum cordis bene munitum victualibus, & armis, scilicet pane verbi Dei, hoc est assidua scripturæ, & mandatorum meditatione: vt & scientia deuotionis, & vino compassionis pascatis tempore opportuno. Et nota, quòd quanto castrum est melius garnitum: tantò magis peccant, qui reddunt illud. Psal. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Isa. *Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset vt flumen pax tua.* Psalm. 118. Isa. 48.

Septimum necessariũ, est ad pacem cordis conseruandam, castrũ domino legis reddere: id est, adiutorium inuocare à Domino, & date sibi castrum, dicendo. *Pater in manus tuas commendo spititum meum.* Quasi dicat. Ex quo non possum in pace custodire cor meum, reddo illud tibi, vt tu in pace custodias. Et tunc nullus audebit castrum cordis impugnare. Ipso enim concedente pacem, quis est, qui contemnet? Dominus enim, qui semper te adiuuat, debilitat illum: & sic debilitatus inimicus conuertitur ad pacem. Prouer. *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos eius conuertit ad pacem.* Quando enim Dominus castrũ cordis tui accipit in custodiam, tenebit illud in pace, quia in pace factus est locus eius: & habitatio eius in Syon, id est Deum cognoscentibus, vel contemplantibus. Et hæc cogitatio sequitur ex pace. Quia sicut ex aqua turbida non Prou. 3.

resultat

resultat imago: & oculus turbatus clarè videre non potest.
Sic in corde turbatus Deum contemplari, vel cognoscere non potest.
Per istam pacem excludimus
Subitam tentationem:
Malam voluntatem.
Propriam necationem.
Prauam consuetudinem.

Vnde dicitur. *Ibi confregit potentias.* scilicet, diaboli, *arcum*, id est, subitam tentationem, quæ mentem ex insperato, & subitò penetrat, sicut arcus. Psal. *A sagitta volante, &c.* Sene. *Scutum, quantum ad malam voluntatem.* Sicut enim bona voluntas scutum est contra diabolum, vt inimicus non possit intrare ad cor; quia in maleuolam animam non introibit sapientia. sequitur. *Gladium.* & hoc quantum ad opus malum, quo homo propriis manibus se interficit. Psal. *Gladij ancipites in manibus eorum.* Eccl. Quasi romphea bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non erit sanitas, sequitur. *Bellum.* & hoc quantum ad consuetudinem prauam, vel continuam tentationem. *Pacem habete, & Deus pacis erit vobiscũ.* Sed quidam sunt pacifici cum pacificis, & est bonorum conditio. Quidam non sunt pacifici cum pacificis: & est peruersorum. *Cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Quidam non sunt pacifici cum non pacificis: & est cõditio infirmorum: more scorpionum, qui tacti pungunt. Quidam sunt pacifici cum non pacificis, & est conditio perfectorũ. *Cum ijs qui oderunt pacem, eram pacificus.* Nam visio alicuius personæ, quam quis odio habet, mouet cogitationem: cogitatio verò grauat cor, & auget dolorem. Pax vera quatuor à nobis exigit, humilem subiectionem. *Quis resistet ei, & pacem habebit?* Scilicet obedientiam. *Et percutiam illis fœdus pacis.* Liberalem dilectionem. *Ego cogito super vos cogitationes pacis, & non afflictionis.* Magnam remunerationem. *Et pax christi exultet in cordibus vestris.*

Psal. 90.
Psal. 149.
Eccl. 20.
2. Cor. 6.
Psal. 129.
Ibidem.
Iob. 9.
Ezech. 27.
Ier. 29.
Coloss. 3.

De Patientia.

PAtientia, est virtus, contumelias, & omnes aduersitates æquanimiter portans. In patientia anima custoditur, sicut thesaurus in arca. Sicut multum diligeret homo arcã, in qua posset thesaurum suum bene custodire: sic deberet diligere patientiam, quæ custodit animam. Nam sub

forti

fortitudine duæ ſpecies collocantur. Vna, qua aduerſa repellendo certamus, quam bellicoſitatem quidam appellãt. Altera, qua æquanimiter ferimus: & patientia dicitur.

Anima cuſtoditur.

Vita gubernatur.

Per eam qualis ſit homo, probatur.

Per eam, ad modum vrſi, verberibus impinguatur.

Luc.21. Primò, in patientia, vt in arca anima cuſtoditur. Luc. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Multum deberet diligere homo illum, qui faceret ei talem arcam gratis. Sic debet diligere tribulationem, qui fabricat arcam iſtam. Apoſt. *Tribulatio patientiam operatur.* Quot contumeliæ tibi dicuntur, & quot iniuriæ fiunt: tot laminæ. & claui ad fortificandum arcam tuam apponuntur: vnde magnas gratias deberes illi agere, qui tibi talem arcam fabricaret, non contumeliam reddere. Si ergo venit operarius, quem tibi Deus mittit, qui tibi arcam fabricet, in qua theſaurus animæ conſeruetur, non eſt repellendus, ſed amplectendus. Dominus vult multùm fortificare arcam amicorum ſuorum: & ideò multos operatores mittit: qui multos clauos apponant: ſic patientiam tribulatio fabricat: ſed infirmiter perficit. 3. Cor.12. *Virtus in infirmitate perficitur.* Vnde, ſicut ſolicitè cuſtodit homo arcam, in qua habet ingentem theſaurum: ſic debet cuſtodire patientiam, in qua tam pretioſus theſaurus animæ cuſtoditur. Quia ſicut latrones plus quærunt, & impugnant loca, in quibus credunt latere magnum theſaurum: Sic Dæmones plus impugnant patientiam, in qua ſeruatur anima; quia patientia opus perfectum habet. Geneſ. Gen.9. *Da mihi animas: cætera tolle tibi.* Et ſicut latrones facilè habent theſaurum, poſtquam fregerint arcam. Ita diabolus animam, poſtquam turbauerit hominem, & abſtulerit patientiam; quia. *Cor fatui, quaſi vas fractum, omnem ſapientiam non retinebit.*

Secundò, in patientia vita gubernatur. Quod guberna- Prou. 14. tor facit naui, hoc patientia cordi. Prou. *Qui patiẽs eſt, multa gubernatur patientia*; quia doctrina viri per patientiam Prou.19. cognoſcitur. Proueb. Vnde ſicut nauis ſine gubernatore ventis, & turbinibus agitatur: & eadem neceſſitate compulſa frangitur in ſirtes, & breuia: ſic cor inſipiens. Vn-

de

de Isa. *Paupercula, tempestate cõuulsa, absque consolatione erit.* Isa. 54. hæc paupercula est anima impatiens, virtutum possessione, & gratia spoliata: quam tempestas cuiuslibet tentationis à stabilitate sua euellit: & absque consolatione relinquit.

Tertiò, per patientiam, qualis sit homo, probatur. Sicut virtus sinapis per contritionem: & virtus vasis per fornacis feruorem. Prou. *Vasa figuli, probat fornax: & viros iustos, patientia.* Prou. 28. Homo febre quartana, vel tertiana laborans, non dicitur curatus esse, si diebus, quibus non est paroxismus, non febricitet. Sic nullus debet dici patiens pro eo, quòd non turbetur, cum nulla ei infertur molestia. Sed si instante iniuria, vel tribulatione, patiens esset: tunc diceretur patiens. Item, Si nullus esset ventus, arbor, quæ tunc non quatitur, non diceretur propter hoc immobilis. Similiter lignum, quod non arderet, igne absente, non diceretur propter hoc incombustibile: & sic de aliis: sic homo sine tribulatione non potest dici patiens. Greg. *Qualis quisque apud se lateat, illata contumelia probat.* Sap. *Contumelia, & tormento interrogemus eum, & probemus patientiam illius.* Sap. 2. Item, fons lutosus, iactu lapilli facilè turbatur: arenosus non: sic homo plenus luto peccati de modico grauatur: virtuosus non, quia non conturbabit iustum quicqaid ei accidit. Item, cruda regula, si ponatur in flumine, dissoluitur: cocta, non. Ita homo carnalis, qui non est igne charitatis, vel tribulationis decoctus, deficit in aqua tribulationis. Isaiæ. *Excoxi te, non quasi argentum elegi te in camino paupertatis.* Isa. 19. Non quasi argentum decoquitur, qui de hoc, quod decoquitur, feces assumit, non deponit. Hiere, *Frustrà conflauit conflator, malitiæ eorum non sunt cõsumptæ, &c.* Hierem. 6. Item. Ciconia deuorat serpentes venenosos, & ei non nocent: & sic nutritur eis. Sic viri spirituales venenosis verbis, contumeliis, & detractionibus non moriuntur, sed pascuntur. Matth. *Etsi mortiferum quid biberint, &c.* Matth. vlt. Item, patiẽtia vincit, & triumphat de hostibus. Verus patiens sine ictu, & repercussione suos hostes vincit. Nec tantillùm iniuriæ inferret. *Nobile genus vincendi est patientia.* Vincit, qui patitur. Si vis vincere, disce pati. verè patiẽs à toto mundo vinci non posset. Sen. *Facilius est gentem multam vincere, quàm hominem vnum.*

Quantò

Quartò, instar vrsi verberibus impinguatur, & vt Salamandra, igne tribulationis: & in aquis amaris tribulationum viuit, vt piscis in mari: & nutritur lapidibus increpationum, qui in panem ei vertuntur & illud aurum, in igne
Iob. 36. tribulationis deputatur. Iob. *Ab aquilone aurum veniet.* Ité qui in hac vita est absque patientia, est quasi homo sine cappa tempore pluuiali: & sicut homo inermis in medio
Prou. 31. inimicorum suorum. Prou. *Qui impatiens est, sustinebit damnum.* Laudanda est patientia; quia sine ferro martyres esse possumus: & clypeo patientiæ franguntur contumeliæ: magnæ siquidem virtutis est, si non lædas, à quo læsus es. Cedendum est furori, exemplo Domini, qui non vt timidus, sed vt prouidus horam passionis consultò expectauit Luc. 4. 8. & 10. Potuit Dauid pluries Saulem occidere. 1. Reg. 24. Thobias gratias egit Deo de obcæcatione. Ita & Iob de filiorum morte. Audiuit Petrus Matth. 15. non vsq; septies, sed septuagies septies, dimittendum esse peccatum.

De Paupertate.

PAupertas, & Pauperies idem sunt. Paupertas dicitur aliquando carentia diuitiarum. Sen. *Pecuniam perdidisti, ô te fœlicem, si cum illa auaritiam perdidisses! Sed si maneret illa apud te, tanto es fœlicior quò tanto malo materia subdita est.* Aliquando dicitur contemptus diuitiarum. Sen. *Nemo adeò dignus est Deo, quàm qui opes contempsit.* Aliquando dicitur paupertas, amor ipsius paupertatis. Vnde paupertas est altissima res, quæ beata ore Domini nominatur: & ei non tantùm regnum cœlorum promittitur: sed datur. Et notandum, quòd paupertas multis de causis amanda est, nempè.

Quia filius Dei eam amauit.
Quia ipsam in hoc mundo elegit.
Quia pauperes potius exaudiuit.
Quia libera, & expedita.
Quia secura, & quieta.
Quia pauperes Deus honorat.
Quia pauperibus regnum cœlorum donat.

Prima causa est; quia filius Dei eam amauit, in tantùm, quòd voluit eam assumere. Bern. *Ne fortè aliquis arbitretur filio*

filio sublimia palatia esse quærenda, vt cum gloria, rex gloriæ susciperetur: sed non propter hoc à regalibus sedibus venit; horum enim in cœlis æterna affluentia suppetebat. Sed paupertas non inueniebatur in eis. Porrò in terris abundabat, & superabundabat hic species: & nesciebat homo pretium eius. Hanc itaque filius Dei concupiscens, descendit, vt eam sibi eligeret, & nobis sua æstimatione faceret pretiosam. Fuit ergo pauper in natiuitate; quia in pānis inuolutus est præsepio reclinatus. Pauperior fuit in vita sua; quia non habuit, vbi caput suum reclinaret. Pauperrimus fuit in fine vitæ; quia vestibus nudatus. Matth. *Et exeuntes eum, &c.* vnde Ber. *Magna abusio, vt diues velit fieri vermiculis multis affectus: pro quo Dei maiestas pauper fieri voluit.* *Luc. 2.* *Matth. 4.* *Matt. 8.*

Secunda causa est. Quia pauperes Deus elegit in hoc mundo. Iaco. *Nonne pauperes elegit Deus in hoc mundo?* Isa. *Elegi te in camino paupertatis.* Greg. *Hos elegit Deus, quos mundus despexit.* Quia plerunque ipsa despectio hominem vocat ad se ipsum: & quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis sanat. *Iaco. 1.* *Isa. 48.*

Tertia causa est. Quia Deus pauperes exaudit. Psal. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, &c.* Eccle. *Deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures Dei perueniet:* Illorum est memor. Psal. *Tibi derelictus est pauper.* Item. *Non in finem obliuio erit pauperis.* Illorum est solicitus. Psal. *Ego mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.* Illorum est refugium. Psal. *Factus est Dominus refugium pauperis.* Illorum est salus. Psal. *Animas pauperum saluas faciet.* *Psal. 9.* *Eccl. 21.* *Psal. 9.* *Psal. 39.* *Psal.*

Quarta causa est. Quia paupertas est libera, & expedita. Greg. *Ad patriam liberius tendimus; quia in via pondere caremus.* Terrena enim substantia æternæ felicitati compara ta pondus est, non subsidium. Vnde Isid. *Si habes diuitias, vende, & da pauperibus:* Si non habes, grandi onere liberatus es. fœlix paupertas, si læta est: nec tamen paupertas est, si læta est. Sen. *Qui cum paupertate bene cōuenit, pauper non est.*

Quinta causa est, quare amanda est paupertas; quia sine cura, & quieta est. Securius pugnat qui in duello est denudatus. Sanson vacuis manibus occidit leonem, & sola asini mādibula occidit mille viros Iud. B. quoque Hieronymus ait. *Pauper in pecunia, diues in conscientia, securius dormit in*

ic.15. *palea, quàm diues in purpura.* Pro ea habenda non mouentur lites, nec bella. Cayn, qui interpretatur possessio, semper
Iob.15. habebat caput tremulum. Iob. *Sonitus terroris semper in auribus eius*: & cum pax sit, semper insidias suspicatur. pauper nullum timet. Gregori. *Quid in hac vita laboriosius, quàm terrenis diuitiis affluere? & quid quietius, quàm in hac vita nihil appetere?* Item, paupertas custodit hominem, ne à serpente infernali mordeatur: vnde super illud Psal. *Omnia à te expectant.* glos. Si in escam inimici dari volumus, non debemus esse terreni; quia sic in principio maledictus est serpens, vt terram comedat. Dicitur, quòd serpens hominem nudum timet, vestitum inuadit. Sic Diabolus pauperes non inuadit; quia non inuenit, per quod eos possit capere. Sed diuites inuadit sicut prædones, & fures: nudi ergo cum nudo luctari debemus. Si enim vestitus quisquam cum nudo luctetur, citò ad terram deiicitur; quia habet, vnde teneatur, Item, paupertas est fossa contra Diabolum, quod Diabolus multùm nititur imple-
Abac.1. re. Abac. *Comportabit aggerem, & capiet eam.* Sed multi sunt fatui, qui Diabolum iuuant ad implendum fossam ca-
Abac.2. stri sui. Abac. *Væ qui multiplicat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum?* Item, paupertas iuxta verbum sapientis, est bonum odibile, possessio sine calumnia. Grego. *Magna securitas cordis est nihil habere concupiscentiæ seculari.* Qui non habet in mundo, quod diligat: nihil est in mundo, quòd pertimescat.

Sexta causa est, quòd pauperes Deus multum hono-
Iob.30. rat; quia pauperibus iudicium tribuit. Iob. & Matth. *Vos*
Matt.19. *qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedes, &c.*
Psal.1. Psal. *Honorabile nomen coram illo.* Tanta est dilectio eius ad
Matt.25. pauperes: vt quod fit pauperi, sibi reputet fieri. Matth. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. &c.* Paupertas confert septem bona, peccatorum recognitionem: virtutum conseruationem: cordis quietem: desiderij impletionem: spiritualium bonorum dulcedinem: meritorum exaltationem: & cœlestem hæreditatem. Est etiam paupertas quoddam martyrium. Greg. *Verè genus martyrij est, paupertas voluntaria.* Quid enim mirabilius: vel quod martyrium grauius, quàm inter epulas esurire? inter vestes algere

algere? paupertate premi inter diuitias, quas ostendit mundus, quas offert Diabolus? quas noster desiderat appetitus? Mirabile est ignem tangere, & non vri: spinas colligere, & non pungi. Et nota. Quod licet paupertas bona sit, eam voluntariè sustinentibus: multi tamen ex ea suum faciunt detrimentum. Sic vinum sanis, & robustis est salutiferum: febricitantibus autem, & debilibus capite est nociuum, & aliquando mortiferum. Eccles. *Eccl.13.* *Paupertas nequissima in ore impij: quia propter paupertatem Deum blasphemat.* Equus enim morbidus sæpe in fabrum ipsum medentem pede feriens, & mordens dentibus insilit. Sic tales, si Deus eis mederi voluerit (ipsis paupertatem, vel tribulationem dando) insiliunt in ipsum, membratim discerpendo; vnus accipit linguam, alius caput: & sic de aliis membris per quæ iurant, quod horribile est audire. Eccles. *Eccl.28.* Vir multùm iurans horripilationem capitis facit: & irreuerentia illius obturationem aurium.

Septima causa est. Quia Deus pauperibus regnum cœlorum tribuit Matth. *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non solùm ad possidendum: sed ad dandũ Luc. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* Illos ab angelis deportari facit ad locum quietis. Luc. *Factum est, vt mereretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Sed diues sepultus est in inferno.* Sed pauperes mali impatientia agitantur, boni verò in se ipsis humiliantur. Melior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quàm diues torquens labia sua. & insipiens. Consuetum est, quòd qui abundanter prandet, parum cœnet Diuites autem mali in hoc mundo prandent abundanter, & ideò iustum est, vt parum cœnent in futuro. Quod patet in diuite epulone. Multùm enim splendidè in mane huius vitæ comedit: & ideò meritò in vespere, id est in fine huius vitę, parùm cœnauit; quia ad cœnam suam guttam aquę habere non potuit. Sed e conuerso, sancti pauperes in mane huius vitę comedunt parùm, id est vel paruam, vel nullam consolationem huius vitæ habuerunt. Iustum est igitur, vt in vespere huius vitæ habeant magnam cœnam. Item, non dicitur pauper, qui habet lapidem pretiosum, de quo posset emere regnũ *Matth.5.* *Luc.16.* *Luc.16.* *Prou.15.* *Luc.15.*

vnum. Talis est paupertas, qua emitur regnum cœlorum, Ber. *Vænale habeo, dicit Dominus.* Quid Domine? *Regnum cœlorum, quod emitur paupertate.* Ideò melius est lucrari sacco paupertatis, quàm perdere in pretiosis vestibus. Exemplum de diuite, & Lazaro: & de diuite magna fame, & peregrino.

De Passione Christi.

PAssio græcè πάθος: sed nomine passionis intelligimus dolorem, tristitiam, læsionem & quicquid ad pœnam pertinet à Christo passum.

Passio Christi, (vt dicit Ber.) *est vltimum refugium contra omnia incentiua.* Vnde Ber. Visa Christi passione, quis tam delitiosus, quòd nō abstineat? & quis tam malitiosus, quòd non pœniteat? & quis tam iracundus? quòd non doleat.

Possent assignari hic plures effectus, vel vtilitates scilicet.

Culparum nostrarum deletio.
A Diaboli potestate liberatio.
Vulnerum nostrorum sanatio.
Nostræ charitatis accensio.
Pacis nostræ reformatio.
Ad bonum faciendum prouocatio.
Regni cœlestis apertio.

Primus effectus passionis Christi, est culparum nostrarum deletio. Sicut enim litteræ deleri solent liquore ali-
Isa.47. quo. Sic Christus deleuit peccata nostra, sanguine suo. Isa. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, peccatorū non re-*
Coloss.2. *cordabor,* Coloss. *Dolens, quod aduersum erat, chirographum de-creti.* gl. peccatum Adæ, quod Diabolus tenebat, quasi cautionem decreti mortis æternæ, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Nos comederamus, & biberamus in ta-
Ioan.18. berna Diaboli: & ipse Christus soluit pro nobis. Psal. *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Ioan. *Si me quæritis, sinite hos abire.* quasi dicat. Offero me fide iussorem & obsidem pro illis liberandis. Item, nos furtum feceramus, & ipse pro nobis su-
1.Pet.2. spensus est in ligno. *Ipse peccata nostra tulit supra lignum in corpore suo, non super iumentū sarcinarium.* Diu est, quòd portauit onera peccatorū nostrorum: sed non sufficit malis hominibus, nisi onerēt eum peccatis iterum, onus super onus addendo: & adhuc portantur ab eo. sicut solet dici de homine

mine oneroso. Videtur mihi, quòd portem eum in humeris meis, dicit Dominus de his, qui semper sunt in voluntate peccandi. Isa. *Laboraui sustinens. Vos estis onus meum.* Isa. 1. *Proiiciam vos à facie mea*, scilicet exponendo vos tribulationibus: vel in peccatis dimittendo. Sicut solet homo proiicere onus, quod portat inuitus, vel tædio affectus. Isa. 61.

Secundus effectus, est nostra liberatio: quia liberauit nos à potestate Diaboli. Sicut mulier, videns filium suum cecidisse in ignem, & comburi, festinanter proiicit se in ignem, & educit eum: nec curat, si vestis eius comburatur. Sic Deus, videns populum suum in ignem inferni quotidie cadentem, non curans de crematione vestis, id est corporis sui, descendit in mundum, vt eum eriperet. *Eripuit vos de potestate tenebrarum: & transtulit nos in regnum filij dilectionis suæ*, id est, dilecti filij. August. *Solus emit, vt solus possideret: vnde nullus debet habere ius in nobis, nisi ipse.* Idem iustè sibi vendicat vitam meam, qui pro mea posuit suam.

Tertius effectus, est vulnerum nostrorum sanatio. Isa. *Liuore eius sanati sumus.* id est, sanguinis effusione per liuorem Iudæorum. Vel liuore, id est, dilectione. Fidelis medicus iste, qui mortiferam potionem bibit pro infirmo suo, & sanatus est æger, id est mundus. Cùm accepisset acetum, dixit: *Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.* Item, sudauit medicus, & sanatus est æger, id est mundus. Factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. De mundi ægritudine mortuus est medicus, & sanatus est æger mundus, ipse de sanguine suo, & tribulationibus suis fecit nobis emplastrum ad sananda vulnera peccatorum nostrorum Eccl. *Altissimus de terra.* (scilicet corporis sui.) *creauit medicinam: & vir iustus non abhorrebit eam.* Acerbissima fuit Christi passio, quia grauissimum fuit peccatum. Isa. 53. Eccl. 38.

Quartus effectus, est nostræ charitatis accensio. Non est lignum ita frigidum, vel aquosum, quod non succendatur, si ponatur in fornace, vel clibano: nec cor aliquod ita tepidum, quod si ponatur in fornace amoris Christi, quin intueatur, quantum in passione nos amauit. & quod non accendatur ad amandum Deum. Gregor. *Super omnia*

reddit te amabilem, bone Iesu, calix passionis, quem bibisti, opus nostræ redemptionis.

Coloss.1. Quintus effectus, est pacis reformatio. Coloss. Pacificãs per sanguinem crucis eius, siue quæ in *Isa.53.* terris sunt. Isa. *Disciplina pacis nostræ super eum.* Vnde discipulis post resurrectionem importauit pacem, dicens: *Pax vobis.* Et postea ostendit eis manus, pedes, & latus. quasi dicat. tantum constant mihi pax vestra, non rumpatis eam.

Sextus effectus, est ad bonum faciendum prouocatio. Nihil ita mouet hominem ad laborem, sicut memoria passionis Christi. Bern. *Hoc est, quod plus me mouet: me vrget:* *Tren.3.* *plus accendit, calix tuus, quem bibisti.* Tren. *Dabis eis scutum* *1. Pet.4.* *cordis laborem tuum. Christo passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

Heb.10. Septimus effectus, est regni cœlestis apertio. Heb. *Habete igitur, fratres, fiduciam in meritum Sanctorum, in sanguine* *Isa.21.* *christi, qui initiauit nobis viam.* Ideò dicitur crux clauis. Isa. *Dabo clauem Dauid super humerum eius.*

De Pœnitentia.

POenitentia est medicamentum vulneris, spes salutis, per quam Deus ad misericordiam prouocatur. Sed est pœnitentia discreta & fructuosa, indiscreta, & periculosa, tarda & onerosa. De pœnitentia discreta dicit B. Ambros. *Pœnitentia est mala præterita plangere: & plangenda iterum non committere.* Talis est commendanda à multiplici suo effectu. Per pœnitentiam,

Peccata remittuntur,
Deus homini placabilis redditur.
Æterna pœna vitatur.
Bona perdita restaurantur,
Homo donis spiritualibus ditatur
Homo ab inimicis defenditur,
Vita æterna acquiritur.

Primò, per pœnitentiam peccata remittuntur; quia per *Act.3.* ipsam reus peccator Deo reconciliatur. Act. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Reconciliatur ergo anima cœlesti sponso per pœnitentiam, quantumcunque fornicata

fornicata fuerit. Iere. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere, & ego suscipiam te.* Ezech. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Ezech. 18.

Secundò, per pœnitentiam Deus peccatori placatur. Pœnitentia enim ita Deum ad se inclinat, quòd peccatorem, qui mille mortibus dignus erat, qui infernum meruerat, propter pœnitentiam ita peccatum eius dissimulat, vt vindicare nequeat, aut nesciat. Bern. in sermone de fragmentis septem misericordiarum. *Mirabilis bonitas Dei, qui sic cognoscit reo, vt nec pœnitentem damnet vlciscendo: nec confundat improperando: nec minus diligat imputando.* Psal. *Bonitatem feciſti cum seruo tuo, Domine.* Psal. 118. Item, ita potens est pœnitentia: & ita gratiam Dei acquirit, quòd plus faceret pro illa, quam pro tota cœlesti curia sine illa: auertit enim sententiam Dei, quantumcunque minetur, & feriat. Iere. *Et si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersùs eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui facere ei, vt patet in Niniuitis.* Iere. 18. *Nónne vidisti Achab humiliatum coram me? Ecce, quia humiliatus est causa mei, non inducam malum, quod cogitaui in diebus eius.* 3. Reg. 21.

Tertiò, per pœnitentiã debita pœna soluitur, & æterna pœna euitatur. Facit enim mutari legem iustitiæ: dũ pœnam æternam mutat in temporalem, vt innuitur. Peccauit, inquit, Dauid. statim Nathan respondit. *Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris.* 2. Reg. 12. Magnam bonitatem facit Deus peccatori, quando pro modica pœnitentia à pœna æterna eum absoluit: sicut si creditor debitori suo pro modico obolo remitteret magnũ debitum. Ideò dicit Greg. quòd Sancti temporalem pœnam reputant lucrum; quia per hãc æternam euadere non ignorant. Ezech. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, vita viuet, & non morietur.* Ezech. 18. Si aliquis adiudicatus esset suspẽdio, omnia (quotquot haberet) libenter profunderet, si posset sententiam illam euadere. Sed contra existentem in peccato mortali data est sententia, vt suspendatur in perpetuum in inferno Ezech. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Ezech. 18. Scilicet æternaliter: sed ista sententia reuocatur per pœnitentiam Ezech. *Si impius egerit vt sup.* Ezech. 18. Item, si rex dixerit seruo suo, quòd nisi infra

certum terminum sibi assignatum daret certam summam pecuniæ, ipsum occideret: securum esset seruo illi, acquirate se ante terminum assignatum. Sic est de pœnitentia,
Apoc.2. quòd ante mortem fiat. Apocal. *Age pœnitentiam, si quo minus veniam tibi.* (id est ad te citò, scilicet in morte.) *Et mouebo candelabrum tuum de loco suo.* glo. Auferam dona, & virtutes à te; & societatem fidelium. Sed nota, quòd pœnitentia facta in mortali, est sicut falsa moneta: vnde: Sicut non liberatur debitor, soluens falsam monetam, vel non habens debitam formam: Sic non liberatur peccator, faciens pœnitentiam in mortali peccato, quò ad Deum, &
Cor.13. præmium vitæ æternæ, nisi sit informata charitate. 1.Cor. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Quartò, per pœnitentiam bona perdita restaurantur.
Gen.3. Aug. *Per pœnitentiam bona omnia perdita restaurantur.* Gen. *Tres autem adhuc dies sunt* (i. tres partes pœnitentiæ. Con-
Luc.16. tritio. Confessio. Et satisfactio.) Luc. *Citò proferte primam stolam, & induite illum.* (id est restituite illi innocentiam, & statum pristinum) *& date annulum.* id est fidem, & alias virtutes. Item, restituit corporalem sanitatem. Ita enim pœnitentia tenet Deum in manu sua, quòd facit ei mutare legem naturæ; cum per pœnitentiam Ezechiæ sanitas reddita sit, & ter quinos annos vita donata. Restituit etiam bona temporalia, vt Manasse in Babilone incarcerato su-
Paralip.33. bitò regnum suum: & omnia perdita restaurauit. *Egit Manasses pœnitentiam valde coram Domino Deo patrum suorum: & reduxit eum in regnum suum Hierusalem.*

Quintò, per pœnitẽtiam homo donis spiritualibus ditatur. Act. *Pœnitentiã agite, & accipietis donum spiritus sancti.*
Act.2. Solet aliquis homo nobilis vetulam turpem, & ignobilem ducere in vxorem, non propter se: sed propter magnas diuitias, quas habet: & propter amplam hæreditatem, quam possidet. Sic & tu pœnitentiam assume in vxorem: & si non propter se (quia tibi videtur turpis, & grauis) attamen propter thesaurum gratiæ, & virtutis, quem secum defert: &
Sap.8. hæreditatem æternam, quam promittit. Sap. *Hanc amaui, & exquisiui à iuuẽtute mea: & quæsiui meam sponsam assumere: & amator factus sum formæ illius.* Et sequitur. *Et proposui mihi*

illum.

illum assumere ad conuiuandum, sciens quia communicabit mihi de bonis suis. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

Sextò, per pœnitentiam ab inimicis homo defenditur. Qui vult hospitale, vel ecclesiam defendere, apponit crucem ligneam: vt sciant homines esse domum Dei. Sic qui vult se â Dæmonibus custodire, signum crucis, id est pœnitentiæ super se ponat. Dictum est in Ezech. *Super quem videritis signum Thau, ne occidatis.* Lupus non comedit hericium: nec pisces inanem arundinem propter aculeos: sic nec Diabolus aliquem in asperitate pœnitentiæ viuentē. Apoc. *Dictum est quatuor angelis. Nolite nocere terræ, & mari: neque arboribus, quo vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Matth. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulans per loca inaquosa, &c.* Apost. *Stigmata, id est signa Domini Iesu in corpore meo porto.* id est signa passionis eius, & pœnitentiæ, quæ me probant eius esse militem. Item pœnitentia angelos lætificat. Luc. *Gaudium est angelis Dei super vno peccatore, pœnitentiam agente, &c.* Sicut solent gaudere nobiles, & magnam capere voluptatem in captione vnius apri, vel cerui, quàm de centum bobus, qui domi coaluntur: patet ex Euangelio de oue, & de drachma deperdita. & de filio prodigo reuertente ad pœnitentiam. Luc. *Cœperunt omnes simul gaudere, & epulari, &c.* Exec. 9. Apoc. 14. Matth. 12. Gal. 6. Luc. 15.

Septimò, per pœnitentiam acquiritur vita æterna. Matt. *Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum.* Heu pro rebus mundanis, quæ facilè dilabuntur, & sunt in perpetuo fluxu, tantùm laboramus: At pro æternis bonis vix manum, vel pedem mouemus. Aug. *Si tanta portat nobiscum cupiditas, quare non tanta porta charitas?* Item, Simia, gustata exteriore parte nucis, quæ amara est, statim eam reiicit, & ad dulcedinē nuclei non peruenit. Sic peccator pœnitentiam suā proiiciens propter aliquam difficultatem, quam in principio inuenit, ad dulcedinem spiritualis consolationis, vel æterni præmij non peruenit. Greg. *Si mens appetit, quod demulcet: prius gustet, quod dolet.* Item, Fortior lignorum, vel bladi maius onus libenter assumit humeris: vt maiorem habeat remunerationem. Sic debet pœnitens maiora onera ieiuniorum, laborum, & aliorum grauium sibi assumere, vt magis remuneraretur. Apostol. 1. Corinth. Matth. 3. Corinth. 3.

Vnus quisque mercedem accipiet secundùm suum laborem. Ber. *Si pœnitentia nostra paulatim minuitur: paulatim gemmis corona priuatur.* Item ad transeundum mare securius est intrare magnam nauim, quàm paruam. Nauis est pœnitentia; quia sicut per nauem de ripa ad ripam traiicimur. Sic per pœnitentiam de mari huius mundi, ad cœlestem patriam
Sap. 14. peruenitur. Sapient. *Exiguo ligno credunt homines animas suas: & transeuntes mare per ratem, liberati sunt.* Item est & alia pœnitentia, quæ dicitur indiscreta. Ideò sciendum, quòd vult Deus sibi prudenter seruiri, vt non minorati & debiles fiant, & post medicorum suffragia requirant. Diabolus enim contra hominem pugnat astutia potius, quàm viribus. ideo nos contra eum sapientia pugnare oportet.
Prou. 8. Prouer. *Melior est sapientia, quam vires: & vir prudens, quam fortis. Qui nimis pellem extendit, dissipat eam: & arcus nimis*
Rom. 6. *tentus debilitatur. Qui nimis emungit, elicit sanguinem.* Rom. *Rationabile sit obsequium vestrum.* Item ille, qui equum suum nimis fatigat in principio itineris, in fine non perficiet cursum suum. ita qui nimis seipsum affligit, partũ proficiet. Ber. *Qui ex indiscretionis vitio ieiunat, & vigilat: & talia*
Prou. 10. *agit. vt deficiente spiritu, vel corpore languente, spiritualia impediantur: abstulit corpori suo boni operis effectum.* Prouerb. *Exemplum Deo honorem. Sacrilegus est, & omnium vitiorum reus.* Iste innocentem crucifigit, quando latronem crucifigere debuit. occidit hominem, cum feram interficere credit, sicut Lamech. Aug. *Carnem restringere debemus, non extinguere: reprimere, non opprimere: seruiat, non sæuiat: ancilletur, non dominetur, alioquin morietur.* Item iste nimis nauem suam onerat, quæ contra pericula alleuianda esset: & ideò sæpè submergitur. Item similis est illi, qui vermes vult excutere de arbore, & excutit flores, & fructus cum vermibus. Et lotrici, quæ pannos lauando lacerat, super lapidem percutiendo. Greg. *Bona voluntati non semper credendum est: sed regenda, & refrænanda, maximè in insipiente.* Item si ille, qui aufert vitam alicui, qui victurus esset per annum, homicida iudicaretur: quantò magis ille, qui ieiuniis, & afflictionibus se afficit: vt decem annis citius, quàm moriturus esset, è vita decedat? Bern. *Non habet callidus hostis efficacius inclinamentum ad tollendum de corde charitatem, quàm si effice-*

rẽ

re posſit, vt in ea incautè, & ſine diſcretione ambuletur.

Item, eſt pœnitentia tarda, quæ eſt oneroſa, & damnoſa: & propterea non tarda, ſed feſtina ſit pœnitentia noſtra; quia per feſtinationem pœnitentiæ

Placatur ira diuina.
Confutatur Dæmonum ſuperbia.
Recuperatur iuſtitia perdita.
Acceleratur vita perpetua.

Primò, debet eſſe feſtina, & nõ tarda; quia per feſtinantiam placatur ira diuina, & ad miſericordiam dignus efficitur pœnitens: quia plus Deo placet feſtina pœnitentia, quàm dilata. Illi enim, qui citò conuertuntur de peccato, ex optimo vitæ ſuæ Deo offerũt. Alij, quaſi feces Deo reſeruant. Vnde qui vſque ad ſenectutem expectãt pœnitentiam facere, illi ſimiles ſunt, qui dominum ſuum cibare volunt pane muſſido, & furfure vitæ ſuæ, & fece vini ſui potare; cum de meliori deberẽt illi dare, De vita ſua, quod melius & pulchrius eſt, dant Diabolo, & mundo. reliquias verò Deo volunt, date. Pſal. *Fortitudinem meam* (ad tibi ſcilicet ſeruiendum) *cuſtodiam.* Item, iſti iniuſti ſunt ſibi ipſis. Si aliquis haberet quatuor equos, & imponeret debiliori totum onus illorum quatuor, non tantùm iniuſtus, ſed vt ſtultus ridendus eſſet: ſic ille, qui totum, quod facere debuit tempore pueritiæ, iuuentutis, adoleſcentiæ, & ſenectutis, ſuper ſenectutem impoſuerit, quando iam præ debilitate ſe ipſum potare non valet. Mal. *Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum: & immolat debile Deo ſuo.* Item, inimicus eſt ad ſeipſum, dum ſe potius vult habere malum, quàm bonum: infirmum, quàm ſanum: mortuum, quàm viuum: ſeruum, quàm liberum: nihil habentem, quàm eſſe omnium bonorum participem. Eccleſ. *Melior eſt vnus timens Deum, quàm mille filij impij.* Item, ille qui non poteſt leuare onus peccatorum, quod minus eſt: quo modo leuabit illud, quod maius eſt, & ipſe erit debilior? ſimilis eſt cuidam homunculo, qui dum in ſylua pararet ſibi ligna, tam ingentem faſciculum parauit, vt vix poſſet mouere: & cum deberet ſubtrahere, ſemper aliquid addebat: & ita tanto ſuccubuit oneri.

Pſalm. 58.

Mal. 1.

Eccl. 16.

Secundò, debet eſſe feſtina, & non tarda; quia ex hoc

confu

confutatur Dæmonum ſuperbia. Magnum periculum eſt homini peccatori, ſine pœnitentia longo tempore diſcurrenter tranſire. Nam per totum illud tempus captus tenetur vinculis inimicorum, à quibus ſolui poſſet, ſi veller.

Baruch.3. Baruc. *Quid eſt ô Iſraël* (id eſt peccator) *quòd in terra inimi-*
Prouer.26. *corum es?* ſcilicet captiua, & ligata teneris. Prou. *Quæ in iuuentute* (id eſt in vita) *non congregaſti, quomodo in ſenectute* (id eſt in morte) *inuenies?* Iſte ſeminat maledictionem, & vult benedictionem metere, contra Apoſtolum, qui dicit. *Quæcunque ſeminauerit homo, hæc & metet.* Item, ſimilis videtur eſſe illi, qui ludit ſcaccorum ludo, & parum ludum cognouit. Ego permittam mihi familiam auferri: deinde mactabo illum, cum quo ludo, in angulo: cum tamen ſciat eum, cum quo ludit, peritiſſimum luſorem, velut imperitiſſimus luſor eſt peccator, qui ſemper in ludo tentationũ ſuccumbit: qui familiam virtutum, & bonorum operum per peccatum ſibi permittit auferri, ſcilicet in angulo, id eſt, in fine vitæ, non mactat luſorem peritiſſimum, qui eſt Diabolus: ipſe enim ab initio mundi exercitatus eſt in ludo tentationum, & deceptionum. Quia ergo præſumptione confidit peccator, quòd in angulo debeat eum mactare, id eſt, in fine vitæ ſuæ vincere, quando grauius tentat, vt dicit Greg. *Tunc Diabolus grauiores tentationes ingerit, quando fini magis appropinquare conſpicit.*

Tertiò, debet eſſe feſtina; quia ex hoc recuperatur iu-
Eccl.17. ſtitia perdita. Eccl. *Pœnitentibus dedit Deus viã iuſtitiæ.* Morans autẽ in peccato, ſemper addit peccatũ peccato, & ita pœnam pœnæ. Greg. *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit.* Mora enim in peccatis, tanquam debitum, currit ad vſuram; quia quantò diutius erit in peccatis, tantò plus ſoluet de pœna. Sicut quantò plus differt homo ſoluere, quod debet ad vſuram, tan-
Rom. 2. tò plus ſoluet, cum tempus aduenerit. Rom. *Secundùm duritiam tuam, & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ.* Verè magna eſt vſura, quando pro vno denario ſoluitur pecunia infinita, id eſt, pro delectatione peccati, pœna
Eccl.20. æterna. Eccl. *Datum inſipientis non erit tibi vtile; oculi enim illius ſeptemplices ſunt. exigua dabit, & multa improperabit.* Itẽ, ſi aliquis iuuenis dominum ſuum, quandiu potuiſſet,

impu

impugnasset: & postea senio confectus seruitium suum ei offerret, credo, quod non multùm curaret. Sic qui impugnat Deum in iuuentute: & ei seruire disponit in senectute. Matth. *Si offeras claudum, vel languidum, nònne malum est?* Matth. 1. Item, membrum de nouo fractum citius renodatur, & infirmitas non diuturna facilius sanatur: & sordes in vase derelictæ, & inueteratæ difficilius remolientur, sed nouæ facilius terguntur. Eccl. *Ne demoreris in errore impiorum: sed ante* Eccl. 21. *mortem confitere, &c.* Ité si aliquis regi suo in magno debito fœneretur, & rex diceret ei: nisi citò quod debes, reddas, incarcerabo te in perpetuum: & reddes tunc in centuplũ; multa incommoda sustineret, quin prius redderet. Sic Deus comminatur ibi pœnitentiam, & carcerem inferni: nec exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem; quia pœnam solues ibi in futuro maiorem, ni soluas in præsenti. Item, canis videns se percutere volentem, salit lutum, vel spinas: & ita intrat aliquam pœnam, vt maiorẽ euitet. Et latro potius eligit aurem, vel pedem amittere: vel in exilium mitti, quàm sustineat suspendium. Et homo non vult pœnitentiam agere in præsenti, vt pœnam euitet æternam: Iob. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix*: id est, Iob. 6. qui renuit pœnitentiam in præsenti, sustinebit maiorem in futuro.

Quartò, festinare debet propter temporis breuitatem: & ex hoc acceleratur ad vitam perpetuam. Quando aliquis inchoat dietam suam hora tarda, oportet eum magis festinare. Senec. *Faciamus quod in itinere fieri solet.* Qui tardè exierunt, velocitate moram compensant. Stultus est agricola, qui eo tempore seminat, quo metendum esset. Sic qui in senecture expectat pœnitentiam suam facere, quando deberet fructus pœnitentiæ recipere. Item, cum sine veste nuptiali nemo possit intrare ad nuptias cœli, fatuus est, qui morte vrgente, quærit vestem nuptialem sibi parari. Pœnitentia perficitur corde, ore, & opere. Corde; quia pœnitentia ficta Saũli non profuit. Vnde Psal. *Tibi dixit cor meum.* Ore, *Qui abscondit scelera sua non dirigetur.* Opere, vt sit virtuosa sine alicuius mali admistione. Amos. *Quærite bonum, & non malum, vt viuatis.* Est fructuosa sine procrastinatione pœnitentia. *Non tardes conuerti ad dominum,*

1. Reg. 15. Psal. 26. Prou. 28. Amos 3.

num,& ne differas de die in diem.

De Prædicatione.

PRædicare, secundùm grammaticos, est apertè seu publicè dicere, celebrare, diuulgare, & laudare: quod fit linguis loquendo. Tenetur enim prædicator impio obiicere impietatem suam: licèt ille nõ semper acquiescat; alioqui sanguinem eius Dominus requiret de manu sua.

Prædicatorem oportet lucere, vita scilicet, & doctrina. Sed ad hoc, vt homo bene prædicet, multa videntur valere, scilicet, vt prædicator sit.

Vita laudabilis.
Doctrina facilis.
Eloquentia vtilis.

Primò, Quòd prædicator sit vita laudabilis, vt ipse laudabiliter viuat; litteræ enim non habent auctoritatem, nisi in illis pendeat *sigillum* authenticum. Sic sciens multas litteras non habet auctoritatem, quòd credatur ei, nisi ha-
Matth. 6. beat testimonium bonæ vitę. Matth. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Aug. *Non obedienter auditur, qui seipsum non audit.* Iuuare debet vita doctrinam, non impedire. Prædicatores, qui dicunt, & non faciunt, similes sunt cæcis, & claudis, qui sedent in introitu ciuitatis mendicantes, qui transeuntibus viam præmuniunt: *sed* nunquam per eam ambulant, contra illud. Iac. *Sic loquimini & sic facite.* Item lanij, qui carnes aliis vendunt peiores sæpe comedunt: & sutores calceamentorum peiores sotulares portant. Sic clerici, & sacerdotes, qui aliis ministrant verbum salutis, interdum sunt aliis deteriores. Psal.
Psal. 9. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitiam meam, &c.* Indignum enim est, cœlestem doctrinam in vase immundo
Prou. 16. ponere. Prou. *Quomodo, si argento sordido ornare velis vas fictile. Sic tumentia labia cum pessimo corde sociata, &c.* Sicut irrisione dignus est, qui argento vas fictile onerare vellet: & cum vellet lutum decorare, sordidaret argentum. Sic irrisione dignus est, qui (cum malus sit) bona dicit. & docens bona, quodammodò se obligat ex doctrina sua ad faciendum. Grego. *Qui alios ad bene operandum excitat, ad bene agendum seipsum ligat.* Qui prædicat aliquã delectationem venenosam, & eam postea sumit, non videtur credere,

quod

quod dicit Apost. *Qui prædicas non furandum, furaris.* Item, qui bene docet, & malè viuit, quasi qui defert lucernã ante se, quæ immundi tiam suam aliis ostendit: & literas suæ damnationis publicat. Prosper. *Bene loqui, & male viuere nihil aliud est, quàm sua sententia se damnare.* Apost. *In quo alium iudicas, te ipsum condemnas.* Se ipsum confundit, & sibiipsi contradicit. Ioan. *Non confundant opera tua sermonem tuum.* Iste habet linguam longè maiorem manu: quod est monstruosum. Greg. *Mõstruosa res est manus remissas, & linguam magniloquam habere.* Item, quis crederet illi, qui aliquam viam assereret latronibus plenam, & eandem frequentaret? Item, quis non haberet suspectam exhortationem insequendi hostes ab eo, qui esset ex parte hostium. Tren. *Crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quòd ingrederetur hostis per portas Hierusalem, propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius.* Rom. 2. Tren. 4.

Secundum est, quòd doctrina prædicatoris sit aperta, & facilis. Prou. *Doctrina prudentum facilis.* Eccles. *Ne abscondas sapientiam in decore eius.* Aug. *Quid prodest clauis aurea, si aperire non potest, quod volumus? Et quasi obest lignea, si potest (quod nihil aliud quærimus) patere, quod clausum est. Quid prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis? cum loquendum omnino sit nullâ causa.* Et quod *loquimur non intelligant: per quos, vt intelligant, loquimur.* Prou. 14. Eccl. 4.

Tertium est, quòd doctrina prædicatoris sit vtilis. Aug. *Dixit quidam eloquens, & verum dixit: ita debemus dicere eloquentem* (ait) *vt doceat, vt delectet, vt flectat.* Deinde addidit. *docere necessitatis est: delectare suauitatis. Flectere victoriæ: docendi necessitates in rebus est constituta, quas diximus, vt veritatem docendo non deseramus, quominus intelligantur, minus placeant, minus moueant quæ dicuntur:* vera tamen, & iusta dicantur. Alia duo in modo, quo dicamus, non dixit. Sed delectare vult eum sibi dixi autem flectere necesse est, quomodo dicat. Delectandus est auditor, & ita flectendus, vt non moueatur ad agendum, & si delectatur. Si suauiter loquaris, ita flectitur, si ames quod polliceris, timeat quod minaris. Prædicare, actus est principalissimus, & proprius Episcopi, & dignior, quàm baptizare. D. Thom. part. 3. qu. 67. art. 1. Gerson par. 4. eum consulito in operibus.

De

De Perseuerantia.

PErseuerantia, dicitur voluntas perferendi passiones sine defectione & est species fortitudinis. Vel est propositum perseuerandi in bono vsque in finẽ, & est conditio annexa cuilibet virtuti. Vel est continuatio boni vsque in finem, & non est nomen virtutis, hoc modo: sed status consequentis ad omnes virtutes.

Perseuerantia commendabilis est à multiplici suo effectu, scilicet.

Multa bona impetrant.
Impetrata conseruat.
Virtutem operanti ministrat,
Coronam laborantibus donat.

Primum, quod perseuerantia facit, est; quia bona impe-
Luc. 10. trat. Luc. *Et si perseuerauerit pulsans, propter improbitatem eius surget: & dabit illi quotquot habet necessarios.* Si homo tantum perseueraret in omni oratione, quantum pauper ad ostium diuitis pro eleemosina, citius impetraret spiritualem eleemosinam, quàm ille corporalem. A post. *Perseuerãtes in oratione, Spiritum sanctum acceperunt.*

Secundus effectus; quia bona impetrata, & acquisita cõseruat, & custodit. Aug. *Perseuerantiam magnum Dei donum est, quo dona cætera conseruantur.* Perseuerantia datur homi-
Psal. ni per bona merita. gl. super illud. *Retribuit mihi Dominus secundùm iustitiam meam.* pro fide, spe, & aliis operibus reddet Deus perseuerantiam. Virtutes enim per bona opera merentur augeri, & tandem perfici. Perseuerantia verò nihil imperfectum relinquit. Seneca. Videmus debiles mulieres senilis ætatis peregrinationes longas perficere. Videmus naturam nuce modica, continuè operando arborem magnam efficere: & aquam, quæ adeò mollis est, lapidem adeò durum perseueranti concussione cauere.

Tertius effectus est; quia virtutem operanti ministrat, ne deficiat: & aspera facit mollia & suauia. Ber. *Subitò procedenti de vmbra ad solem, de ocio ad laborem graue cernitur omne, quod incipit. Sed postquam ab hu de ssuescere, & ab illa se paulisper assuescere cœperit, vsus tollit difficultatem, inuenitq; facilè quod impossibile putauit.* Seneca. *Perseuerandum est, & assiduo*
Iob 17. *labori robur addendum.* Iob. *Timebit iustus viam. & mundus*

mani

manibus addet fortitudinem. Sic homo in principio suę conuersionis deficiēs, Gal. *Bonum facientes non deficiamus.* Item, Gal. 6.
poma putrida, & vermiculosa, & sine cauda, citò cadunt de arbore: sed sana, bene se tenent vsque ad maturitatem. Sic peccatores interius putridi, & vermiculosi, & carentes cauda perseuerantiæ, citò cadunt pro modico vento tentationis. Iob. *Tollet eos ventus vrens, & auferet de loco suo.* Iob. 37.

Quintus est; quia coronam laborantibus donat. Apoc. Apoc. 2.
Esto fidelis vsque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ. Ber. *Per seuerantia est spiritualis filia summi regis, virtutum finis & consummatio,* Chrisosto. *Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec gloriam fortitudo. Non enim qui cœperit: sed qui perseuerauerit, hic saluus erit.* glo. Non cœpisse virtus est, sed perfeciſſe. Chrisosto. *Incepisse multorum est: sed perfecisse paucorum.* Consueuerunt multi in initio feruentes esse, in fine remitti, & dissolui. Quæ vtilitas est senum primò florentium; & postea tabescentium. Grego. *Incassum bonum incipitur, si ante vitæ terminum deseratur, quia & frustrà velociter currit, qui, prius quàm ad metam veniat, desicit.* Ideò cauda hostiæ iubetur offerri. Leu. *Indecens est animal sine cauda.* Vnde dicitur. Quòd pauo auis sine cauda nō audet apparere, præ verecundia. Sic sine cauda perseuerantiæ non audebit aliquis coram Deo, in die iudicij apparere. Item, Qui nauigant per mare, propter ventum contrarium non dimittunt nauigare. Sed contra ventum perseueranter laborant, donec ad portum veniant. Canis venaticus sequitur leporem per spinas, & tribulos, donec apprehendat. Sic nos Deum. *Sic currite, vt comprehendatis.* Sed quatuor sunt impedimenta, quæ retrahunt hominem à perseuerantia. Leuit. 3. 1. Corin. 9.

Primùm, est delectatio, quando quis voluptatibus delectatur.

Secundum abundantia.

Tertium difficultas, vel labor.

Quartum est infortunium.

Conseruatur perseuerantia in bono agendo. *Nemo mittens manum ad aratrum.* Et in malo tolerando. *Væ his quæ perdiderunt sustinentiam.*

A Deo remuneratur.

Videte vos metipsos, ne perdatis, quæ operati estis. tentationem: nec modicum pati verbum, qua temeritate ergo magna præsumit, qui modica non potest? Prouerb. *Sapiens timet, & declinat à malo, stultus transilit, & confidit.* Magna ergo fatuitas præsumentis, quòd præsumit exire à peccato, quando voluerit: cum tamen à casu in peccata modò carere non possit. Eccl. *Repromissio nequissima multos perdit.* homo à Deo positus in paradiso terrestri, stare non potuit: quomodo ergo in paradiso cœlesti suis se viribus ponere præsumit? *Præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humiliat.*

Prouer. 18.

Eccl. 29.

Iud. 6.

De Præparatione.

PRæparare, est ante parare, quæ nobis vtilia fore credimus.

Præparatio est bona homini, cum valeat ad quinque. Solent enim homines præparari, nempè

Ad defendendum.
Ad seruiendum.
Ad recipiendum.
Ad Computandum.
Ad iuuandum.

Primò, præparant se homines ad defendendum, vt obsessi in castro. Obsessi enim, cum castrum defendere nituntur, tria facere solent, videlicet,

Auxilium domini inuocant.
Muros in circuitu ædificant.
Et aditus hostibus claudunt.

Primò, auxilium domini inuocant. Sic & nos in nostrum adiutorium contra malignos hostes, auxilium Dei, & Sanctorum implorare debemus Hier. *Ito, & prepara te ad bellum.* Ita viriliter resistendo Diabolo, non tradas castrum Domini tui sine eius licentia: Sed præpara te ad bellum, Dei, & Sanctorum auxilium implorando. Item, qui obsidentur, mittunt internuncios ad dominum, & ad amicos, vt eis supperias ferant. Psal. *Leuaui oculos meos in montes.* (id est ad Sanctos.) *vnde veniet auxilium mihi.* Quod figuratur, cum. *Viri Iabes miserant ad vniuersos terminos Israel pro succursu.* Isti nuntij sunt orationes. Psal. *Intret oratio mea in conspectu tuo, &c.* glos. Mira virtus ponitur orationis, quæ, quasi quidam

Psal. 120.

Reg. 4.

quidam nuncius, ad Deum vadit, & mandatum peragit, quò caro peruenire nequit.

Secundò, muros (scilicet virtutum) in circuitu constituunt: Sicut enim muri ingressum, & impetum hostium impediunt. Sic virtutes vitiis obsistunt. Largitas enim non permittit, quòd auaritia ingrediatur. Castitas prohibet luxuriam. Humilitas superbiam, & sic de aliis. Ideò Iud. *Filij* Iud.10. *Israël circundederunt muris vicos suos in præparatione pugnæ contra Holofernem.* Et nota, quòd si ruptura fit in muro, patet aditus hostibus. Sic si habeas multa opera virtutum, & deficiat vna, habent aditum hostes tui, vt te capiant, & occidant. Iob. *Quasi rupto muro, & operta ianua, irruerunt super me.* Iob.6.

Tertiò, aditum hostibus claudunt. Ostia, per quæ solent hostes intrare, sunt quinque sensus corporis. Claude ergo fenestras istas; quia per ipsas mors intrat ad animam. Iudith. *Nunciatum est Holoferni, quòd filij Israel præpararent se* Iud.5. *ad resistendum: ac montium itinera concluserunt.* Holofernes Diabolum significat: qui quotidie animas nostras impugnat, vt eas acquirat: contra quem præparare nos debemus, sicut dicitur Eccle. *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iu-* Eccl.2. *stitia, & timore: & prepara animam tuam ad tentationem: & deprime cor tuum, & sustine.* Quo loco,

Consolationem capimus,
Erudimur,
Et monemur,

Consolationem capimus, cùm nos filios vocat. Non modica consolatio esset pauperi humili orto genere, si rex adoptaret eum in filium, & hæredem: quod facit Dominus, quando dat peccatori, quòd recedat à peccato, & efficiatur filius Dei per gratiam. Roma. *Si autem filij, & hæ-* Rom.8. *redes.*

Secundò erudimur, ibi *Ad seruitutem Dei accedens.* In hoc docemur, quòd Diabolus impugnat eos, qui Deo seruiunt, & Diabolum ipsum deserunt: vt Pharao filios Israël fugiendo persecutus est. gl. Qui ab illecebris mundi vult abstinere, & in Christo piè viuere, persecutionem patitur, dum enim diuino seruitio se astringit, & præparat, bellum Diaboli contra se excitat: sicut Rex sibi subditos non im-

pugnat sed aduersarios.

Tertiò monemur, ne cadamus de equo virtutum, ibi, *Rom.8. Sta in iustitia, & timore.* Roma. *Qui se existimat ire, videat, ne cadat.* Sequitur. *Deprime cor tuum.* per humilitatem; quia humilitas liberat. *Et sustine.* per patientiam? quia radix virtutum, & custos est patientia.

Secundò, debemus nos præparare ad seruiendum: sicut ministrantes cibos coram magnatibus. Isti enim se præparant, vt decenter, & honestè seruiant. Sic qui Deo seruire desiderant, præparare se debent, vt decenter seruiant. Deus enim sanctus, & mundus est: ideò vult ha- *Leuit.2.* bere sanctos, & mundos seruos. Leuit. *Sancti eritis, quo- Reg.6. niam ego sanctus sum.* Ideo primo Reg. *Præparate corda vestra Domino* ideſt, per conscientiæ puritatem, vel purgationem: *& seruite illi soli.* Hîc nota, quomodo debemus Deo seruire.

Diligenter.
Libenter.
Reuerenter.
Et singulariter.

Primò diligenter, ibi. *Præparate.* Seruus diligens semper *Psal.118.* est paratus mandata sui domini adimplere. Psal. *Paratus sum, & non sum turbatus, &c.*

Libenter, ibi. *Corda vestra.* Quod non de puro corde, sed *Paralip.28.* inuito impenditur, non placet Deo: Paralip. *Seruite Domino corde perfecto, & animo voluntario; quia coacta seruitia non placent Deo.*

Tertiò reuerenter, ibi, *Domino.* Si enim cum tanto timore, & reuerentia seruitur dominis terrenis, propter eorum *Psal.2.* potentiam, & dignitatem: quantò magis Deo, qui est Rex regum, & Dominus dominantium? Psal. *Seruite Domino in timore.*

Quartò singulariter, ibi. *Isti soli.* Quia solis sibi seruien- *Cor.6.* tibus dat præmium. Non vult habere seruos ad medietatem. 1. Cor. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros.* non carnis, non mundi, non Diaboli: sed Dei. Matt. *Matt.7.* *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Tertiò, debemus nos præparare ad recipiendum. Recepturi enim principem suum, præparant se, & hospitium

mundi

mundificant Greg. *Si domum nostram quisquam diues, prapotens amicus intraret, omni festinatione tota domus mundaretur: ne quid fortassis adesset, quod oculos intrantis amici offenderet.* Tergat ergo sordes praui operis, qui Deo præparat domum mentis Eccl. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua: & in conspectu illius seruant animas suas.* Eccl.2. Require de hoc. Cap. de Munditia cordis.

Quartò, debemus nos præparare ad computandum, id est, ad rationem reddendam de bonis nobis commissis. Amos *Præparare in occursum Dei tui, Israël.* vulgo dici solet. bene munitus non timet: securus expectat aduentum domini sui. Ideò fatuæ virgines (quia non fuerunt paratæ, nec munitæ) à Deo turpiter sunt repulsæ, paratæ verò: honorificè sunt receptæ. Matth. *Ideò & vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Amos 4. Matth.25. scilicet, ad iudicium. Veniet autem ad tria, nempè

Ad computandum.
Ad perscrutandum.
Ad pugnandum.

Primò ad computandum: quia bona nobis commissa dissipauimus, vt villicus iniquitatis. Luc. *Cui dictum est. Redde rationem villicationis tuæ.* Luc.16. Matth. *Tunc temporis veniet dominus illorum seruorum, & ponet rationem cum eis.* Matth.25. Præpara ergo te in occursum Dei, per tuæ conscientiæ examinationem, ante iudicium. Eccl. *Ante iudicium para iustitiam tibi.* Eccl.18. id est, bona opera, quæ pro te respondeant in iudicio: & ita ante iudicium interroga te ipsum.

Secundò, veniet ad scrutandum: quia peccata nostra abscondimus. Soph. *Scrutabor Hierusalem in lucernis.* Soph.1. Peccata enim, quæ modò sunt abscondita, manifestabuntur, vt merces fardellorum in nundinis. 1. Corinth. *Veniet Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* 1. Corinth.4. & ideò præpara te per confessionem, peccata deponendo. Sicut latro extra domum furtum proiicit, ne cum eo inueniatur. Psal. *Præoccupemus faciem eius, &c.* Psal.94.

Tertiò, veniet ad pugnandum contra peccatores; quia mandata transgressi sunt. Apoc. *Pugnabo cum illis in gladio oris mei. Pugnabit etiam orbis terrarum contra insensatos.* Non restat ergo nisi pacem facere cum illo. Luc. *Quis rex iturus* Luc.14.

facere bellum aduersus alium regem, rogat ea, quæ pacis sunt. quia ei resistere non potest: sic & nos faciamus.

Quintò, debemus nos præparare ad adiuuandum. Ituri enim ad curiam magnam, ornant se, & præparant diligenter: sic nos, qui vocati sumus ad curiam cœli, meritò nos
Apoc. 20. præparare debemus, vt honorificè recipiamur. Apoc. *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se.* Nuptiæ istæ appellantur beata vita. In introductione sponsæ ad sponsum solent fieri conuiuia, & festa magna: sic erit in coniunctione Christi, & Ecclesiæ post iudicium, quod figuratur Hester. 1. vbi dicitur, quòd *Rex Assuerus iussit præparari conuiuium pro coniunctione, & nuptijs Hester.* Tunc dabit sponsus sponsæ nouas vestes, quando corruptibile hoc induet corruptionem: & mortale hoc immortalitatem. Et nota, quòd tripliciter oportet hominem præparari ad nuptias istas, scilicet vt sit

Charitas in corde.
Pœnitentia in corpore,
Largitas in operatione.

Ad nuptias corporales tria hominum genera solent recipi, ad nuptiarum honorem, & decorem, scilicet:

Bene induti.
Diuites.
Et curiales.

Primò, bene induti: quia fruriferi ribaldi à curiis principũ
Hest. 4. expelluntur. Hest. *Non erat licitum, sacco indutum intrare aulam regis Assueri.* Sic non habens vestem nuptialem, id est,
Matth. 19. charitatem, eiectus est à nuptiis Christi. Matth.

Secundò, diuites recipiuntur; quia soluunt pretium sedis suæ, alij non. Sic ad consortium beatæ vitæ qui hîc tribulationes, & angustias persoluerunt, id est, sustinuerunt pro
Luc. 20. pretio. Luc. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis regnum, sicut disposuit Pater mihi regnum, vt comedatis, & bibatis super mensam in regno meo.*

Tertiò, liberales. & aulici largi, & curiales solent ad curias, & ad festa vocari, auari nõ: sic misericordes (quia Christũ in pauperibus refecerũt) à Christo propterea digni sunt
Matth. 25. vocari ad nuptias cœli. Matth. *Venite benedicti, patris mei, regnũ percipite, &c. Esurini enim, & dedistis mihi mãducare, &c.*

De

De Probatione.

PRobare, est demonstrare, & argumentando planum facere. Vnde probatio quærit ratione facti, & tangit cor.

Probare solent homines multa, quæ probatione indigent. Nam sicut probatur pecunia, vtrùm sit bona, vel falsa: sic Deus vult probare illos, quibus daturus est regnum multis modis, nempè,

In fide, vtrùm sit constans
In tribulatione, vtrùm sit patiens,
In tentatione, vtrùm sit obediens,
In verbo, vtrùm sit sapiens.
In opere, vtrùm sit compatiens.
In conuersatione, vtrùm sit placens.

Primò igitur probatur homo per fidem. Sicut clericus quando debet recipi ad ordinem, vel beneficium. Corinth. 2. *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate in operibus,* Quia & fides sine operibus mortua est. Pet. *Probatio vestræ fidei, multò pretiosior sit auro, quod per ignem probatur,* id est. Fides vestra per tentationem probata, & examinata. *pretiosior sit auro.* Sicut enim aurũ in fornace examinatur, probatum foras, cuius sit fulgoris, apparet: ita fidelium constantia inter pressuras contemptibilis videtur. Sed finito certamine, in iudicio, quantæ sit gloriæ, ostenditur. *2. Cor. vlt.* *1. Pet. 1.*

Secundò, probatur homo in tribulatione, vtrum sit patiens, sicut aurum probatur in fornace ignis. Sap. *Tanquam aurum in fornace, probauit electos Dominus.* Iob. *Probauit me quasi aurum, quod per ignem transit.* glo. quædam patientia Sanctorum auro comparatur: Quia sicut in metallis nihil pretiosior auro: ita hæc apud Deum omni laude dignissima. Ideò Iac. *Probabo eos, sicut probatur aurum.* Qui autè in tribulatione deficiunt, aurum non sunt, nec argentum: sed æs, vel plumbũ. Moneta, quæ falsò sonat, vt æs: vel plicatur sub digito, vt plumbũ, non recipitur: sed reprobatur. Hiero. *Argentũ reprobum vocate illos, vel falsam monetam.* econtra dicitur in Psal. *Probasti cor meum, & visitasti: nocte igne me examinasti, &c.* Eccl. *Igne probatur argentũ, & aurum.* homines verò receptibiles, id est digni sunt, vt recipiantur in camino humiliationis, id est tribulationis, quæ animã humiliat, ne cadat per superbiam. Eccl. *Vasa figuli probat fornax.* *Sap. 3.* *Iob 28.* *Iac. 13.* *Hier. 6.* *Psal. 16.* *Eccl. 2.* *Eccl. 6.*

& homines iustos tentatio tribulationis. Olla vacua igni apposita, crepat, plena, non: sic homo vacuus gratia, crepat per impatientiam.

Tertiò, probatur per tentationem, vtrùm sit obediens.

Psal. 80. Psal. *Probaui te apud aquam contradictionis.* gl. apud populum contradicentem tibi. Qui enim graditur in via Domini, multos habet contradictores, detractores, & insultores.

Gen. 12. Sic probauit Deus Abraham. Gen. *Tentauit Deus Abraham,*

Tho. 12. *& dixit ad eum. Tolle filium tuum vnigenitum,* &c. Tho. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, quòd tentatio probaret te. sicut probatur miles in torneamento.* Aug. *Tentaris, vt proberis.* Psalm.

Psal. 25. *Proba me, Domine, & tenta me: quia beatus vir, qui suffert tentationem,* &c. Iac. *Tentaris, vt qui nesciebas te, à teipso inueniris.* Eccles. *Qui non est tentatus, quid scit?* id est se ipsum non

Iac. 1. nouit. Greg. *Cum tentamur, ad Dei iudicium recurrere debemus: & maiores laudes referre, quàm pulsati fuerimus, nos no-*

Eccl. 34. *luimus.* Psalm. *Proba me Domine, & scito cor meum.* id est, fac

Psal. 138. me nosse. Item, tenta, vt exercearis. Iob. *Caldei,* id est Dæ-

Iob 1. mones, *fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos.* id est for-

Psal. 118. tiores, & perfectiores. Psal. *Seruus tuus exercebatur in iustificationibus tuis.* id est, tentationibus.

Quartò, per verba, vtrùm sit patiens Sicut porcus probatur in lingua, vtrùm sit sanus, necne. Non dicitur porcus sanus, qui habet grana in lingua. Sic nec homo, qui habet mala verba, scilicet

Murmurationis.
Detractionis.
Adulationis.

Murmurationis. Greg. *Qualis quisque apud se lateat, illata*

Sap. 2. *contumelia probat.* Sap. *Contumelia, & tormento interrogemus eum, & probemus patientiam eius.*

Detractionis. Hier. *In verborum pondere probatio consistit vitæ humanæ.*

Prou. 18. Adulationis. Prouerb. *Sicut probatur in conflatorio, argentum, & in fornace, aurum: Sic probatur homo in ore laudantium.*

Sed hæc probatio habet tres gradus: prima, per testes. *Eri-*

Act. 1. *tis mihi testes in Hierusalem* Act.

Rom. 1. Secunda, per pactum. *Ante promiserat Deus per Prophetas suos.*

Tertia

Tertia, per iuramentum. Hebr. *Quoniam neminem habuit, per quem iuraret, iurauit per semetipsum.* Heb. 6.

Quintò, per opera, vtrùm sit compatiens. Sicut probatur arbor esse bona, vel mala ex fructu. Matth. *Arbor bona, bonos fructus facit, &c.* Eccl. *Samuel in filiis probatus est.* id est, in operibus. Sap. *Filij, qui nascentur, testes sunt nequitiæ aduersùs parentes.* id est opera operarios accusabunt in die iudicij. Ioan. *Me oportet operari opera Patris mei. Opera enim, quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Ideò dicitur Timoth. *Solicitè curate ipsum, probabilem Deo exhibete operarium.* Matth. 7. Eccl. Sap. 4. Ioan. 9. Tim. 2.

Sextò, probatur per conuersationem, vtrùm sit placens. Sic probatur homo ex habitu, vel facie. Eccl. *Ex visu cognoscitur vir: & ab occursu faciei cognoscitur sensatus ab insensato.* Homo cognoscitur, si sit bonæ, sanctæ, & modestæ conuersationis, & vitæ, vel econuerso. Eccl. *Sapientia.* (id est vita hominis) *lucet in vultu eius.* Eccl. *Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enunciant de illo.* Ideò Deuter. *Date ex vobis viros prudentes, & non ignaros; quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris.* Eccl. 19. Eccl. 8. Eccl. 19. Deut. 1.

De Prouidentia.

PRouidentia est, qua futura prospicimus, antequam facta sint. Cuius partes sunt ex præsentibus futura perpendere, & aduersùs calamitatem aduenientem consilio se præmunire.

Prouidentia valet ad multa: sed specialiter ad duo.

Ad tentationem aduersorum sustinendam.

Et ad vitam perpetuam acquirendam.

Primò, valet prouidentia ad tentationem, & tribulationem aduersorum sustinendã. Greg. *Hostis callidus tantò liberius pectus percutit, quantò nudum à prouidentiæ lorica deprehendit: & tantò quisque minus aduersitate premitur, quantò contra illam præsciendo paratus inuenitur.* Minus enim iacula feriũt, quæ præuidentur, &c. Senec. *Tunc per rationem rectè viues, si omnia æstimes, & propenses.* Idem. *Si prudens esse cupis: futura attentè prospice: & quæ possunt contingere, animo tuo cuncta propone. Nihil tibi subitum sit: sed totum ante conspicies.*

Secundò, valet ad vitam perpetuam acquirendam. Si pro sustentatione vitæ vnius anni tam sollicitè prouidet sibi homo, in æstate: quare de vita æterna, in qua semper

Deut.4. victurus est, non prouidet in vita ista? Deut.5. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Si homo non potest habere victũ temporalem sine magna prouidentia, & sollicitudine: quomodo est ita fatuus, quòd putet se habere æternam, & beatam vitam sine prouidentia, & labore? Chrisost. *Escam corporis, si sollicitus non fueris, non habebis: vestitiam verò, si sollicitus non fueris, habebis.* Quæ ergo dementia est, non esse sollicitum de eo, quod, nisi sollicitus fueris, perdes: & esse sollicitum de eo, quod, nisi sollicitus fueris, apprehẽdes? Item, si homo deberet ire vltra mare sine reditu, prouideret sibi longè ante de necessariis viæ, de quibus ibi viueret: & forsitan portaret secum quicquid habere posset. Et tamen miser homo, citò recessurus de mundo isto sine reditu, & ignorat diem: & non prouidet sibi de quo viuat in futuro: quod & bruta faciunt, vt formica.

Prou. 6. Prouerb. *Vade ad formicam, ô piger, &c.*

De prouidentia Dei, habes. Gen.1. & 37.

De creatione hominis, & de prouidentia humana, habes. Deut.32. Proverb.6. Eccl.7. Sap.9.

Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.

De Purgatorio.

Vid. Th. de Ag. in lib. 4. dist. 45. Rich. in 4. dist.21. art. 1. q. 1.

PVrgatorium est locus, in quo est simul pœna sensus, & damni: vtraque tamen temporalis. Et capitur Purgatorium non solùm pro loco: sed pro pœna quoque purgatoria (vbicunque tamen illa sit) quod tamen negant quidam hæretici. Contra quos ratio est aperta in contrarium. Constat, quòd omne peccatum non est mortale: sicut nec omnis infirmitas est ad mortem. Nec omnis offensa punitur à iudice pœna mortis: nec omnis casus inducit mortem. Et sic in aliis multis. Si ponatur, quòd aliquis decedat in venialibus tantùm, constat, quòd nõ damnabitur in æternum; quia non habet mortalia: ergo saluabitur aliquando; ex quo non damnatur: non potest tamen saluari, nisi purgetur; ergo est aliquis locus in alio seculo ad purgandum.

Item, cum aliquis confitetur de mortalibus grauibus, aut remittitur ei tota pœna necessariò debita, aut non: si sic, quis ergo faceret fructus dignos pœnitentiæ, iuxta præceptum Ioannis Baptistæ, si non oportet, quòd soluat

pœnam

pœnam nondum solutã? Dic ergo, quòd in alio seculo est purgatorij locus, in quo purgantur animæ, antequàm assumantur in gloriam: quia non erit æterna; quia non damnabitur; ergo transitoria: ergo in alio seculo est pœna purgatoria, quæ transit, & purgat. Potest autem sanè credi, quòd illa pœna est ignis, iuxta verbum Apost. ad Corint. 1. Cor. 3. *Si cuius opus arserit* (id est cremabile erit) *detrimentum patietur, tum quia pœnam luet, tum quia minorem in cœlis habebit gloriam.* salute æterna, *si autem saluus erit. quasi per ignẽ.* commemorat lignum, argentum, stipulam, & eiusmodi. In auro intellectum designat: in argento eloquium: in lapide pretioso opus incorruptũ: in ligno affectionem cognationis in fœno possessionis: in stipula familiaritatis. Hæc ignea purgatione examinanda sunt. Videtur autem sentire Grego. in Mora. quòd idem sit ignis infernalis, & purgatorius: sicut idem est ignis, qui aurum purgat, & paleas cõcremat. Et secundùm hoc, videtur ponendus iste locus purgatorius subtus limbum, quasi ignobilior locus, de quo purgati transierunt olim ad limbum.

Item creditur, quòd mali angeli sint ministri pœnarũ; quia boni angeli non leguntur puniisse bonos: magis autem conuenit hoc malis. Et quamuis non intendant purgare, sed affligere: tamen illa afflictio, vel punitio est purgatio.

Differt autem hæc pœna, scilicet purgatoria à pœna pœnitentiæ præsentis vitæ, in tribus, scilicet,

Quia hæc est leuior: illa acerbior.

Quia hæc est interdum breuior, illa prolixior.

Quia hæc citò liberat, illa est tardior.

Dico, quòd illa pœna acerbior est ista; quia ibi puniuntur venialia, & reliqua debita pro mortalibus, quæ nõ sunt hic soluta. Greg. *De quibusdam leuibus culpis ante iudicium ignis purgationis credendus est.* August. *Purgandus est igne purgationis, qui hic distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis (& si æternus non sit) miro modo est grauis: excedit enim omnem pœnam, quam aliquis passus est in hac vita.* Nunquam enim in carne inuenta est tanta pœna: licet mirabilia passi sint sancti martyres tormenta.

Multi tamen sunt, qui non timent hunc ignem; quia non

non cogitant de illo, nec considerãt conditiones eius terribiles. & ideò non cauent à peccatis. Exemplum de cæco, qui transiuit vadum periculosum, vbi, se videns, non est ausus transire. Aliqui sunt, & si cogitant de illo: tamen firmiter non credunt; & ideò non timent, secundùm quòd vulgò dicitur. *Stultus non timet, donec capiatur.* Exemplum Gen. 9. Gen. de Sodomitis, qui noluerunt credere Loth de excidio ciuitatis, & exire cum eo.

Ista pœna interdum est breuior illa, aut prolixior. Creditur enim, quòd in modico tempore per magnam contritionem, vel pœnitentiam hic voluntariè factam, se possit expedire quis de longa ibidem sustinenda. Vnde ille, qui expectat facere pœnitentiam suam in purgatorio, similis est homini, qui pro vno obolo, quem modo non vult soluere, obligat se ad centũ libras: quia illa pœna grauior est 1. Cor. 3. in centuplum *Qualis vnusquisque fuerit, ignis probabit.*

Tertiò, ista pœna est meritoria præmij maris, illa retardat à præmio; caret enim Dei visione, quam per timorem, & amorem desiderant habere Sancti. Pœna itaque purgatorij est maxima. Nam sicut delectationes spirituales sunt intensæ: ita tristitia de absentia, præcellit omnem dolorem corporeum.

Quibus quærendus est Deus.

QVærunt Deum multi, & non inueniunt. Et hoc quia
non quærunt
Sicut debent.
Quando debent.
Vbi debent.

Tria ergo sunt hic consideranda, *scilicet quomodo* quærendus est Deus. Quando, & vbi: de quo nota, quia quærendus est

Lachrymabiliter.
Diligenter.
Perseueranter.

Primò, lachrymabiliter, sicut mulier quærit filium amis- Luc. 2. sum. Luc. *Ego & pater tuus, dolentes, quærebamus te.* Bernard. *O bone Iesu, quomodo in gaudio te inuentam, quando mater dolens vix inuenit?*

Secundò, quærendus est diligenter. Si homo ita diligen-

ter

ter Deum quæreret, sicut quærit acum, vel obolum, fortè inueniret. Luc. *Quæ mulier si perdiderit drachmam vnã, nónne accendit lucernam, & euerrit domum: & quærit diligenter, donec inueniat.* Deut. *Si quæsieris dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris eum.* Magna stultitia hominum, qui quærunt cum magno labore, & sollicitudine, quæ vix, vel nunquam possunt inueniri: & non quærunt, quæ citò inueniuntur. Temporalia vix inueniuntur quæsita. Eccles. *Si secutus fueris, scilicet temporalia, non apprehendes.* Cœlestia verò si quæsieris statim inuenies. Matt. *Omnis, qui quærit, inuenit.* Item, stultus debet reputari infirmus, qui non vult quærere medicinam, vel sanitatem, & moritur: & si quæreret, inueniret, & viueret: sic infirmus spiritualiter, sicut scriptum est. *Quærite Dominum, & viuet anima vestra.* Econuerso dicitur. Rom. *Si quis non quæsierit Dominum, morietur.*

Luc. 15. Deut. 4. Eccl. 11. Matth. 17. Rom. 15.

Tertiò, quærendus est perseuerãter. Isa. *Venit nox, & mane, si quæritis, quærite.* i. si quæritis in die prosperitatis, quærite in nocte aduersitatis. Psalm. *Quærite faciem eius semper:* quia semper eius auxilio indigetis. Cant. *Circuibo ciuitatem, &c. Surgam de lectulo carnalium voluptatem: quæram per totũ mundum publicè, & priuatim, si forte inueniam, quod diligit anima mea.* i. Deum meum, quem diligo tota mente, &c. Paululùm cum pertransissem, inueni quem diligit anima mea. Inuentum tenui, nec dimittam, id est ardentissima fide, & dilectione ei adhæsi. Sed non inuenitur Deus à quærentibus; quia non quærunt eum tempore congruo. Tempus autem congruum est vita præsens Isa. *Quærite Dominum dum inueniri potest.* id est, dum viuitis.

Isa. 21. Psal. 104. Cant. 3.

Tempus enim quærendi Deum congruum est,
Dum dies est.
Dum præsens est.
Dum misericors est.

Primò, dum dies est: ergo quæramus eum; quia vix aliquis de nocte inueniri potest. Cant. *Per noctes (scilicet culpæ, & ignorãtiæ, vel mortis) quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui eum, & non inueni:* Noli ergo expectare quærere Dominum, vsq; ad noctẽ culpæ, vel mortis: sicut faciunt multi, de quibus dicitur Ioan. *Ego vado, & quæretis me: & in peccato vestro moriemini.* Sed sicut ille Iosias, de quo dicitur 2.

Cant. 3. Ioan. 8.

Para

Paral.33. Paralip. Cum adhuc puer esset, cœpit quærere Dominum; quia dicitur in Prou. *Qui manè vigilauerit ad me, inueniet me.* manè, scilicet iuuentutis.

Secundò, dum est propè Deus, quærendus est, & præ-
Isa. 60. sens, Isa. *Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum propè est:* pulsat enim ad ostiũ cordis? non oportet eum
Apoc.3. multùm longè quærere. Apoc. *Ego sto ad ostium, & pulso:* aperi ei ergo citò, ne fortè declinet, & recedat: & non possis
Cant.5. eum inuenire cum sponsa, quæ dicit Cant. *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea.* Sequitur. *Spoliãt me tunica mea, &c.* Paulò post sequitur. *Surrexi, vt aperirẽ dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat: quæsiui illum, & non inueni: vocaui, & non respõdit mihi.* Nec mirũ, quia ad ostium
Ioan. 6. tuum pulsauerat, & noluisti aperire. Ideò dicitur. Ioan. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum: quæritis me, & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire.*

Tertiò, tempus quærendi Dominum est, dum misericors est: id est, dum vacat negotiis nostris. Qui habet negotium ad regem, obseruat, quando possit inuenire illum placatum. Nunc est tempus miserendi: nunc omnis, qui piè quærit, inuenit. Sed cum acceperit tempus, vt iustitia iudicet, non erit tempus misericordiæ: sed iustitiæ. Nunc ergo est tempus requirendi Deum, nunc est tempus misericor-
Oseæ 10. diæ. Oseæ. *Tempus requirendi Dominum cùm venerit, qui doce-*
Luc. 13. *bit nos iustitiam.* Luc. *Contendite intrare per angustam portam, quia dico vobis, quòd multi quærent intrare, & non potuerunt.* Sicut illi, qui conuertuntur ad vesperam cum fatuis virgini-
Matth.25. bus. Matth. *Domine, domine, aperi nobis, &c* Item stultus est infirmus, qui expectat quærere medicinam, quando iam
Ioan.7. non potest conualescere. Ioann. *Quæretis me, & non inuenie-*
Prouerb. 1. *tis.* quia nimis tardè quæritis, sicut fatuæ virgines. Prouerb. *Manè consurgent ad me, & non inuenient me.* Item, non inuenitur.

A delicioſis.
A cupidis.
A pigris.

Quia non quæritur, vbi ipse est, non enim inuenitur in-
Matth. 4. ter delicioſos: sed in deserto. Matth. Psal. *In terra deserta,*
Psal. 62. *inuia, & inaquosa.* Sine humore deliciarum: sic in sancto, id est

est in deserto apparui tibi. Item, non inuenitur à cupidis in diuitiis temporalibus. Oseæ. *In gregibus suis, & in armentis surgent ad quærendũ Dominum, & non inuenient: ablatus est ab eis.* Sed vbi inuenietur? In præsepio pannis inuolutus pauperibus. Luc. *Inuenietis eum in præsepio, &c.* Item, nõ inuenitur à pigris in lectulo carnalitatis, & lasciuiæ. Cant. *In lectulo meo per noctes, quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.* Sed inuenitur in templo, non in chorea, vel in foro: sed in medio doctorum: Sed inuenitur in orationibus in templo. Prou. *Qui manè vigilauerit ad me, inueniet me.* Et non inuenietur inter cognatos, & notos. Luc. *Non inuenerunt eum, &c.* regressi sunt in Ierusalem, & ibi inuenerunt eum: non cum pueris, choreas ducendo: non in taberna, bibendo: non in platea, ludendo: non in foro, merces vẽdendo, nec secularia tractando: sed in medio doctorum audiẽdo, & interrogando. Sic qui Deum quærit inter cognatos: & in temporalibus rebus, nõ inueniet: quærat eum in Hierusalem, id est, in castro religiosorum, vbi communiter de se fit sermo. Cant. *Paululum cum pertransissem.* eos scilicet notos, & temporalia cuncta, inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Quamobrem quærẽdus est Deus tripliciter, celeriter, cordialiter, & fructuosè. Celeriter. Luc. *Et præcurrens ascendit in arborem sicomorum, vt videret illum.* Cordialiter. *In toto corde meo exquisiui te.* Fructuosè. *Quærite Dominum & viuet anima vestra.*

Oseæ 5.
Luc. 2.
Cant. 3.
Prou. 18.
Luc. 2.
Cant. 3.
Luc. 19.
Psal. 118.
Psal. 69.

De Religione.

REligiosus vir debet esse mortuus mundo, vt viuat Deo. Col. *Mortui estis, & vita nostra abscondita est cum christo in Deo.* Vnde, sicut mortuus in sepulchro absconditur: Sic religiosus in claustro. Sicut docet dominus per Isa. *Vade, populus meus, intra in cubicula tua, & claustro claude ostia tua super te.* id est, sensus corporis. In periculo est thesaurus, vbi omnia ostia sunt aperta. Item, monachus claustralis se debet reputare vilem: cuius pedes sunt quotidie in foro, vt dicitur Prouerbior. De muliere garrula vaga, quietis impatiente: nec valente in domo consistere pedibus suis, id est, cogitationibus, & affectionibus perstrepere non cessat in mundo: cuius anima facta est, quasi

Coloss. 4.
Isa. 26.
Prou. 7.

forum

forum rerum vænalium. Sic Bernar. conceſſit Achab. Reg.
3. Reg. 20. *Fac tibi plateas in Damaſco, & forum rerum vænaliũ, ſicut fecit pater meus in Samaria.* Sic multi concedunt Diabolo, vt anima ſua ſit forum rerum vænalium; quia non cogitant, nec attendunt, niſi temporalia. Iſti exierunt corpore de mundo: ſed remanent mente. Corpus eſt in choro: ſed cor in foro. Iſti ſignificantur per vxorem Loth, quæ poſt exitum de
Geneſ. 19. Sodomis retro reſpiciens, verſa eſt in ſtatuam ſalis Gen. Statua autem ſimilitudinem habet hominis, non virtutis. Sic tales ſimilitudinem habent monachi ſecundùm appa-
2. Reg. 19. rentiam exteriorem, non ſecundùm veritatem. Vnde. Reg. *Nuncij Saul credentes inuenire Dauid in lecto.* (id eſt monachum in clauſtro,) non inuenerunt niſi ſtatuam, & pellem capræ, id eſt. habitum monachalem. Similiter Petrus, & Ioannes credentes inuenire Chriſtum in ſepulchro, non inuenerunt, niſi ſudarium. Item, debet eſſe mortuus mundo, vt Sicut corpus mortui iacet in terra: ſed ſpiritus eſt in
Philip. 3. cœlo. Sic religioſus, ſi in terris eſt corpore, in cœlo debet eſſe mente. Philip. *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* Aues, quæ circa terram volitãt, citius capiuntur, quàm illæ, quæ in al-
Prou. 1. tum volant. Prou. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* gl. Laqueos Diaboli facilè euadit, qui oculos habet ſemper in cœlis. Item, Sicut anima mortui ſeparatur à carne: Sic religioſus debet ſeparari à carnali amore. ſi. n. homo poſt mortem ius non habet in propriam vxorem: quantò minus in alienam? Non dicitur beſtia mortua, quæ laſciuiam non reliquit. Apoſt. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Et ſicut caro mortui, conſumitur à vermibus in ſepulchro: & ſpiritus eſt in cœlo.* Sic iuſtus per pœnitentiam conſumit
Iob 7. corpus ſuum in hoc mundo: ſed mente eſt in cœlo. Iob. *Suſpendium elegit anima mea*, in deſiderio æternorum: & mortem oſſa mea in mortificatione carnalium deſideriorum. Item, religio facit hominem fortiorem: ſi latro videat aliquem hominem ſolum, inuadit citius, quàm ſi ſocietatem haberet: & in collegio fortior eſt vnitas; quia mentium, &
Prouerb. 8. corporum. Prouer. *Frater, qui iuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.* Item, ille qui ludit aleis, vel latrunculis, ſi poteſt ligare aleas ſuas: tunc non habet locum tollẽdi, qui ludit cum eo: ludus itaque alearum nobis eſt cum diabolo: liga ergo

te,

te,quantum potes; quia ligatum non tollit Diabolus. Si ligas equum tuum, ne amittas eum, quare non ligas teipsum vinculo religionis, qui te amittis solutum? Nunquid plus diligis equum tuum, quàm te? Eccl. *Subijce collum tuum in vinculis illius. Vincula enim illius alligatio salutaris.* Item, mortuus non sentit, si pungatur, vel deiiciatur, vel eleuetur, sic non verè mortuus mundo. Reg. *Sicut angelus Domini, dominus meus, vt nec de benedictione, nec maledictione moueatur. Asinus nec de luto indignatur, quod portat, nec de thesauro superbit.* Sic bonus religiosus nec de humili officio turbatur, nec de honorabili superbit, vt possit dicere illud Psal. *Vt iumentum factus sum apud te.* Sed sunt quidam, qui ante restringuntur, inflantur, & turbantur multùm: sic equus quando cingulatur, vel stringitur, inflat ventrem. Psal. *Paratus sum, & non sum turbatus: & humiliatus sum vsquequaque.* Item mortuus omnia temporalia relinquit: sic religiosus omnem proprietatem debet deserere: & omnia coram Deo, & fratribus reportare: & nihil sibi arrogare. Corinth. *Quid habes, quod non accepisti, &c.* Et ideo consueuerũt dicere. Vestrum est, & non meum. Non nisi peccato potest dicere homo, meum est. Sed ferè fit contrarium; quia peccatis suis alios associant: & bona, quæ à Deo sunt, sibi solùm appropriant. Bern. *Monacho habenti proprium negabit Deus suum proprium:* scilicet cœlum, vel æternum regnum. Religiones factitias appellat. B. Anselmus, quæ factæ videntur post institutionem legis Euangelicæ.

Eccl. 3.

1. Reg. 19.

Psal. 72.

Psal. 118.

Corin. 3.

B. Anselmus Gerson de perfectione cordis.

De Repletione Spiritus sancti.

TRiplex repletio, abundantiæ, excellentiæ, & sufficientiæ.

Prima fuit in Christo.

Secunda in B. Virgine.

Tertia in Sanctis.

Repletur aliquis Spiritus sancti gratia, si cor suum euacuatur vento superbiæ, & omni immunditia. Vnde quando aliquis vult dolium suum implere vino, hæc facere consuenit,

Euacuat.

Lauat.

Ligat.

Et erigit.

Primò ergo euacuat illud, quia ſicut, dicit Ber. *Non eſt vbi ſe infundat gratia, vbi totum occupat vanitas.* Vaſa enim vacua repleta ſunt oleo gratiæ: deficiente vaſe vacuo, ceſſa-
Rom.8. uit oleum, vt dicitur Rom. *Timor enim infuſa repellit.* Vnde ſuper illud. *Aue gratia plena.* dicit Bern. *Quæris quo merito gratia plena? eo quod mentem eius nullum vitium occupauit humanum, quo minus influeret gratiæ plenitudo.*

Secundò, vt debet lauari. Quia, nemo ſapiens balſamum in vaſe immundo poneret: ſic nec Deus gratiã ſuam in corde immundo. Bern. *Balſamum eſt gratia Dei, vas puriſſimum requirit.* Debet ergo lauari vas cordis aqua lacrymarum in
Iſa.1. confeſſione. Omnia enim in confeſſione lauantur. *Iſa. La-*
Ezech.18. *uamini, mundi eſtote, &c.* Ezech. *Laui te aqua, & mundaui ſanguinem tuum ex te.* (id eſt peccatum tuum) *& vnxi te oleo gratiæ.*

Tertiò, debet obſtrui, & ligari vas cordis. Eas enim, quod non habet operculum, & ligaturam deſuper, immundum erit. Obtura ergo ſenſus tuos, ne gratia Dei effundatur per aliquod foramen; ita ſcilicet ſicut obturas dolia tua, ne vi-
Ier.10. nũ effundatur; quia mors intrat per feneſtras quinque ſenſuũ. Ier. *Non aperias feneſtras domus vento mortifero. Sicut nec*
Eccl.22. *ſenſus tuos malis. ſed ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis.* Ec. iſtud vas (ſcilicet, cordis) debet ligari multis vinculis, quæ ſunt,

Timoris religioſitas.
Obedientiæ pronitas.
Corporis infirmitas.
Pacis communitas.
Ardoris charitas.

Eccl.1. Primò, vas cordis debet ligari *vinculo timoris* Dei. Ecc. *Timor Domini, ſcientiæ religioſitas.* ideſt, cor religans, ne gra-
Prou.8. tia effundatur: cuſtodiens iuſtus cor, vt ianitor domum. Prouerb. *Timor Domini odit malum.*

Ezech.3. Secundum, eſt obedientia, Sicut ligat homo belluã ſuam, ne effugiat. Ezech. *Ecce data ſunt ſuper te vincula obedientiæ.* (ſcilicet diuinorum præceptorum) *& ligabunt te in eis* (ſcilicet prælatis.) *Et non egredieris de medio eorum, tranſgrediendo, vel ſine licentia aliquid faciendo.* Eccl. *Iniice pedem tuum in*
Eccl.6.

compedes

compedes illios, & collum tuum in torques illius: subiice humerum tuum, & porta illam: & ne alligeris vinculis eius. In toto animo tuo accede ad illam: & in omni virtute tua, serua vias eius. Inuestiga illam, & manifestabitur tibi: & continens factus ne derelinquas eam. In nouissimis enim inuenies requiem in ea: & conuertetur tibi in oblectationem: & erunt tibi compedes eius in protectione fortitudinis, & base virtutis: & torques eius in stola gloriæ. Decor enim vitæ est in illa; & vincula illius alligatura salutaris.

Tertium, est corporis infirmitas, qua ligatur homo, vt non possit moueri ad peccatum. Ezech. *Ecce circundedi te vinculis, vt non mouearis.* (scilicet ad peccatum) *& non conuertas te à latere in latus: donec compleatur dies obsidionis tuæ.* Ezech. 3.

Quartum, est pacis communitas. Eph. *Solliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Ephes. 4.

Quintum, est ardoris charitas. Col. *Super omnia habentes charitatem: quod est vinculum perfectionis.* Colos. 3.

Quartò, requiritur, quòd sit erectum per cogitationem, & desiderium cœlestium. Sicut salit canis. Et auis nobilis, post prædam collum extendit. Iob. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila: & in arduis ponet nidum suum?* Iob. 39. Quatuor sunt signa repletionis, nempè.

Quando percussum, non potest sonare.
Quando non plus potest intrare.
Quando videtur superfluere.
Quando palpatur, est firmus in pondere.

Primum, signum repletionis vasis est, si percussum non resonet, vt patet in dolio pleno vino. Sic est in illis, qui ad percussionem tribulationis non murmurant, vt martyres Sancti: de quibus dicitur. *Non murmur resonat: non querimonia, &c.* Iob. *Nunquid mugiet bos, cùm præsepe cordis plenitudinem habet gratiæ, non habet locum mugitus tribulationis.* Iob 7. Exemplum de B. Stephano, non resonante per impatientiam, cum lapidaretur; quia plenus gratia, & fortitudine. Actuũ. 6. Nota, potus vacuus ad ignem crepat, plenus non. Eccl. *Vasa figuli probat fornax, &c.* Eccl. 27.

Secundum est, quando in vas plus non intrat. Sic homo plenus gratia, & temporalia, & carnalia despicit. Isaiæ. Isa. 1.

Plenus sum. scilicet gratia. sequitur. *Adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Sic fuit
Luc. 1. in B. Virgine. Luc. *Aue, gratia plena,* Ber. *Delicata est diuina consolatio: nec conceditur admittentibus alienam.* Vt qui habet
Psal. 76. bonum vinum, non quærit aquam fœtidam. Psal. *Renuit consolari anima mea, &c.* Greg. *Mentem, quam Spiritus sanctus repleuerit, in amaritudinem terrenorum, & in dulcedinem aternorum conuertit.*

Tertium est, vt superefluat. Quando homo per bona opera, & verba gratiosa effluit ad modum fluuij inundan-
Eccl. 24. tis. Eccle. *Qui adimplet, quasi Eufrates sensum.* Et nota, quòd sicut vas superinfusum effluit circunquaque: ita multoties dulcedo infusa cordi, redundat in sensus corporales. Nam Eufrates non solùm suum implet alueum, sed etiam alienum; quia supereffundit Ægyptum. Et hæc plenitudo est in Christo, quem legimus plenum gratiæ, & veritatis. De cuius plenitudine omnes accepimus. Dicitur ergo vas plenum gratiæ: quando redundat desuper, per verba gratiosa, Ex abundantia enim cordis os loquitur. Non potest exire de vase, nisi quod in eo est. Greg. *Spiritus sanctus eos, quos repleuerit, de se loquentes facit.*

Quartum est, quòd quando palpatur, est firmum in ponderei; quia vas plenum non ita mouetur, vel vertitur, sicut vacuum. Sic homo plenus gratiæ. Exemplo de Petro, qui ad vocem ancillæ motus, Christum negauit: & post plenitudinem Spiritus sancti, crucem sustinuit. Et de beata Lucia, quam tanto pondere Spiritus sanctus fixerat, quòd moueri non poterat, nec trahi ad peccatum. Nota, de hoc Cap. de Instabilitate.

De Resurrectione Generali.

Resurgere, est iterum surgere. Est autem duplex resurrectio, increata, vt Deus, qui est causa efficiens resurrectionis. *Ego sum resurrectio & vita.* Hæc resurrectio non est futura, sed fuit ab æterno: alia creata, & est triplex, spiritualis, Temporalis, & corporalis. Spiritualis, quando quis resurgit de peccato. Temporalis, qua quis cadit de prosperitate. Resurrectio corporalis est reunio animarum intellectiuarum ad corpora sua: & est extima corporum suscitatio, quæ potest probari tripliciter.

Auct

Auctoritatibus.
Rationibus.
Et exemplis.

Primò, potest probari auctoritatibus diuinarum scripturarum. Isa. *Viuent mortui tui: interfecti tui resurgent.* Ezech. *Educam vos de sepulchris vestris, populo meus. Et dabo vobis spiritum, & viuetis.* Iob. *Scio, quòd Redemptor meus viuit: & in nouissimo die de terra surrecturus sum, &c.* 1. ad Corinth. *Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur in momento, & ictu oculi in nouissima tuba. Canent enim tuba: & mortui resurgent incorrupti.* Isa. 26. Ezech. 29. Iob 19. Corinth. 15.

Secundò, rationibus. Si aliqua corpora sunt sicut semina: quæ prius moriuntur, & putrescũt: & postea viuificãtur: multò magis corpus humanum, quod est nobilissimum inter cætera corpora. 1. Cor. *Insipiens tu, quod seminas, non viuificatur: nisi prius moriatur.* Item hoc exigit Ecclesiæ conformitas: si enim Christus, qui est caput Ecclesiæ, resurrexit: & totum corpus Ecclesiæ resurgere debet. Aliter non essemus corpus Ecclesiæ integrum, nec decens. 1. Corinth. *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, &c.* Quando rex, vel aliquis magnus facit filium suum militem nouum, multos alios cum illo in milites promouet. Ita Deus pater rex cœli, & terræ, quando resuscitauit filium suum Iesum, dedit nobis spem resurrectionis nostræ. Apocal. ad Rom. *Si Christus resurrexit, & nos resurgemus.* Cor. 15. Cor. 15.

Tertiò, exemplis naturalibus ostenditur. Plus enim potest Deus, quàm aliquis artifex. Vnde si artifex de cineribus vitrum purum facit: & fractum vitrum liquefacit. & reformat. Et ex metallo imaginem facit: & ex terra facit ferrum. Quid mirũ, si summus artifex hoc facit de corporibus hominum. Phi. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori, &c.* Item, plus potest Deus, quàm ipsa natura: nam de puluere phœnicis, quæ sola auis est, aliam phœnicem facit natura. Item, ad rugitum leonis suscitantur leonculi, quare non poterunt suscitari homines ad vocem filij Dei? Ioan. *Mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent.* Item, ad iussionem sanctorum multi mortui resuscitati sunt, & quare non ad iussionẽ Dei omnes pote- Phil. 3. Ioan. 6.

Iob 19. runt ſuſcitari? de eius certitudine dicit Iob. *Scio enim,quòd*
2.Mach.7. *Redemptor meus viuit.* Mach. E cœlo iſta poſſideo, diuina
Iſa.26. potentia conſummatur. *Viuent mortui tui.*

De Recidiuatione.

RECidiuare eſt iterum cadere, quando nouo peccandi actu,quis Deum ipſum offendit.

Recidiuatio eſt periculoſior, quàm prima infirmitas ſit. Et ideò à recidiuo nos debent multa retrahere,ſcilicet,

Releuandi difficultas.
Medicinæ ſumptuoſitas.
Mortis æternitas.
Peccati fœditas.
Damni multiplicitas.

Primum,eſt releuandi difficultas.Recidiuantes enim in infirmitatem,debiliores fiunt, quàm ante: & quantò frequentiùs cadunt, tantò plus læduntur, & debiliores fiunt,
Luc.11. & difficiliùs reſurgunt.Luc. *Fiunt nouiſſima illius peiora prioribus.* Tales ſunt ſicut ſotulares veteres: vel pellicium vetus:vel vtres veteres, qui ſuturam tenere nequeunt: & in
Pſal.18. lutum inferni proiiciuntur. Pſal. *Vt lutum platearum delebo eos.* ſcilicet,de libro viuentium.

Secundum,eſt medicinæ ſumptuoſitas,vel paſſio Chri-
1.Cor.6. ſti. ad Corinth. *Empti enim eſtis pretio magno.* Aug. *Homo, appende te ex pretio,ne tibi veſcaris.* Iſti ſunt ſicut ignaui milites. Milites victi ſolo timore cadunt, & fugiunt de prælio. Senec. *Plura nos terrent, quàm premant. & plus opinione, quàm re laboramus.* Item,ſimiles ſunt vxori infideli: quæ,
Iud.14. peregrinante marito, & moram faciente, fingens illum mortuum, adhæſit alteri. Iud. *Dalida vxor Samſonis accepit alium virum.* Sic anima miſera cõmittit ſpirituale adulteriũ,iungens ſe carnis illecebris,derelicto ſponſo ſuo Chri-
Ierem.2. ſto. Iere. *Quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum,ſic con-*
Eccl.6. *tempſit me domus Iſraël.* ſicut dicitur Eccl. *Zelus,& furor viri, non parcet in die vindictæ:nec acquieſcet cuiuſquã precibus, &c.*

Tertium, eſt mortis æternitas. Cuius comparatione
Pſal.48. mors temporalis eſt dulcis. Pſal. *Mors depaſcet eos, ſicut beſtia herbam: & non conſumet.* hi comparantur porco in vo-
2.Pet.2. lutabro luti. Petr. *Sus lota in volutabro luti.* Iere. *Quam vilis*
Ierem.3. *facta es,nimis iterans vias tuas.*

Quartum

Quartum, est peccati fœditas: id est peccatum, quod Deum expellit ab homine; quia ponit immunditiam in hospitio cordis, ne Christus ingrediatur. Mundi enim sunt oculi eius, & ad iniquitatem respicere non potest. Ideò potest comparari meli, siue taxo, qui agreditur de fouea, quam sibi excauando parauit magno labore: superuenit vulpes, & fœdauit fossam: Vnde cum taxus rediit, habitare amplius ibi non curauit: sed relinquit eam propter immunditiam, & sic vulpes lucrata est eā. Sic cor humanum durum Christus cauauit per passionem suam, vt ibi habitaret per gratiam: sed recedit ab eo propter immunditiam peccati; quia ibi Diabolus stercorizauit per malam cogitationem, & delectationem, quam suggerit. Sap. *Corripietur à superueniente iniquitate.* glo. expelletur. Sap. 3.

Quintum, est damni multiplicitas: scilicet perditio gratiæ, cum qua omnia bona perduntur. Ezech. *Si auerterit se iustus à iustitia sua: & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecit, non recordabuntur.* Eccl. *Qui in uno peccauerit, multa bona perdet.* Exemplum de filio prodigo. Luc. Item tempotis perditio. Greg. *Omne tempus tibi impensum requiretur à te, qualiter fuerit expensum.* Tren. *Vocabit aduersum me tempus.* Item corpus Domini, cui cum tanto labore paratur hospitium: & post peccatum turpiter expellitur. Ezech. 18. Eccl. 9. Luc. 15. Tren.

Turpius eiicitur, quàm non admittitur hospes.

Multum tristaretur aliquis, qui expelleret eum de domo sua. Ideò qui expellit Christum de domo sua, id est, de corde suo, ipse repellet eum de consortio, & regno suo. Matth. *Hospes eram, & non collegistis me. Discedite ergo à me: maledicti, in ignem æternum.* Vnde Versus. Matth. 25.

Morbus mors sumptus, peccatum, gratia tempus,
Et corpus Domini, fine fine caueto relabi.

In recidiuante non redeunt peccata remissa, quantùm ad pœnam æternam: licèt remaneat obligatio ad pœnam non solutam: redeunt tamen per modum circunstantiæ aggrauantis. Ingratitudo enim est circunstantia aggrauãs peccatum. Ingratus est, qui beneficium se recepisse negat: ingratus, qui non reddit, ingratissimum omnium, qui oblitus est.

De Sapientia.

SApientia Græcè σοφία distinguitur dupliciter. Prima est malorum, & hæc reprobãda. Secunda bonorum, & hæc approbanda. De prima dicitur Iacob. *Non est ista sapientia* Iac.3. *de sursum descendens: sed terrena, animalis, & Diabolica.* terrenam sapientiam habent talpæ huius mundi, id est, cupidi in amore terreno defixi. Sicut talpa in terra sapienter se habet, & supra nihil valet. Luc. *Filij huius seculi, prudentiores* Luc.16. *filijs lucis in generatione sua sunt.* Baruch. *Filij Agar (i. hypocritæ) exquisierunt sapientiam, quæ de terra est.* Non est magna prudentia ibi thesaurizare, vbi non pores diu manere; Baruch.3. vt peregrini. Psal. *Aduena sum ego apud te, ô munde.* Dicunt Psal.38. Naturales Quòd perdix aliena oua furatur, & fouet: & dũ alienos pullos nutrierit, ab eis derelinquitur, vel aliquãdo occiditur: Ita multi mundana sapientia edocti, aliena auferunt: & ex improuiso extorta dimittunt. Ioël. *Perdix fo-* Ioel.13. *uit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in medio dierum suorum derelinquunt eas: & in nouissimo erit incipiens.* Item, animalem sapientiã habẽt carnales in præparatione deliciarum, quæ similes sunt astutiæ infirmorum, qui cogitant, quomodo (ignorantibus custodibus) possint cibum, quem appetunt, habere, licèt noxium, & prohibitum. Prou. *Vsquequo, paruuli, diligitis infantiam: & stulti ea, quæ sunt noxia, cupiunt.* Isti quolibet mane volunt se degustare de herba venenosa: de cuius gustatione vident alios occumbere. Rom.8. Aug. *Omne seminarium voluptatis, venenum puta.* Ro. *Prudentia carnis, mors est.* glo. Dignus est morte æterna, qui habet prudentiam carnis, hoc est, cum studiosius implet ea, quæ carnis sunt, quàm quæ spiritus sunt, appetendo bona temporalia, & non fugiendo mala aliena.

Diabolicam sapientiam habent *illi, qui* sapientes sunt in perpetuatione malorũ, & nequitiarum. Diabolus enim semper intendit malum facere, & alios decipere. Sic & illi, qui sapientes sunt, ad decipiendum alios. Illi sapientes The.4. sunt, vt peius valeant. The. *Sapiẽtes sunt, vt faciant mala: bene autem facere nescierunt.* Sic Diabolus magister eorũ. Isti similes sunt insanis: qui tunc cantant, quando eos magis infirmitas vexat: & tantò sapientiores se credunt, quantò magis à ratione alieni existunt. Thess. *Stultus factus est omnis*

mis homo in conscientia sua. Istorum sapientia infatuabitur. Corinth. *Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi?* 1.Cor.1.

Taliter sapientes

A Deo annichilantur.
A Dei consilio elongantur.
A Dei visione separabuntur.

Primò, annichilantur. Isa. *Peribit sapientia à sapientibus: & perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* Isa.29.

Secundò, à Dei consilio elogantur. Matt. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & reuelasti ea paruulis.* Matth.11.

Tertiò, à Dei visione separabuntur. Iob. *Non audebunt eum contemplari omnes, qui sibi videntur sapientes.* Iob 37.

De sapientia bonorũ, quæ est approbanda, dicitur Eccl. *Sapientiã sanctorum narrent populi.* Eccl.13.

Hęc autẽ sapientia dicitur à sapio, quod est rectè sentire: & qui eam habẽt, Σοφοὶ dicuntur. Est autẽ hæc sapientia æternorũ contemplatio, cum delectatione.

Et consistit.

In confessione peccatorum.
In congregatione meritorum.
In cautela periculorum.
In emptione æternorum.
In custoditione thesaurorum.

Primò enim, sapientia bonorũ consistit in confessione peccatorum. Ber. *Inuenisti sapientiam, si prioris vitæ peccata deleas.* Si desiderium huius seculi paruipendas, si æternam patriam toto desiderio concupiscas. Igitur confessio reddit iudicem placatum. Psal. *Dixi, confitebor, & tu remisisti, &c.* Psal.31. Item, faciũt eum immemorem. Ezech. *Quacunque hora ingemuerit peccator, &c.* Hæc est sapientia leonis: qui, ne inueniatur à venatoribus, caudã suã vestigia operit. Psal. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.* Ezec. Eccl. *Sapiens cor, & intelligibile, abstinebit se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit, &c.* Psal.31. Eccl.3. Nota, quòd opera iustitiæ sunt, videlicet,

Contritio, quæ peccatum iustè ponderat.
Confessio, quæ peccatum iustè numerat.
Satisfactio, quæ peccatum iustè mensurat.

Omnis enim iustitia consistit in pondere, numero, & mensura.

Secunda sapientia, est in congregatione meritotum.
Prouer. 10. Prouerb. *Qui congregat in messe, filius sapiens est.* Sicut vulgò dicitur. Qui sibi de longè prouidet, de prope gaudet. hæc est sapientia formicæ, quæ in æstate congregat, de quo in
Prou. 6. hyeme viuat. Prouerb. *Vade ad formicam, ô piger: & disce sapientiam, &c.* Nota: sicut tempus messium pascit totum annum: sic tempus pœnitentiæ (si bene expendatur) tempus futurum.

Tertia sapientia, est in cautela periculorum, quæ fit duobus modis.

Cautè à malo declinando.

Et patienter sustinendo. Hæc est vera sapientia.

Vnde quidam.

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figuræ.
Qui sapit innumeris moribus aptus erit.

Prou. 14. De primo, Prouerb. *Sapiens timet, & declinat à malo.* Stultus prosilit, & confidit: quia stultus non timet, donec capitur. Sed sapiens in omnibus metuit. De secundo. Pro-
Prou. 13. uerb. *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia.* Quanta sapientia est facere, vt illi suffragetur ad vitam, quæ parabat mortem. Hoc facit patientia; quia vincit, qui patitur. Cor sine patientia, est sicut nauis sine gubernatore, vt habetur sup. Cap. de patientia.

Quarta, est in emptione æternorum per eleemosinam. Eleemosina enim sapiens mercator est; quia modico pre-
Eccl. 20. tio multa redimit. Eccl. *Qui omnia sua dat pro regno æterno.*
Matth. 19. Aug. *Regnum cœlorum tantum valet, quantum habes.* Matth. *Vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Si non es diues, quòd possis totum pretium soluere: id est, omnia relinquere, esto tamen socius ementium, dando eleemosinam pauperibus pro tenenda societate.

Quinta, in custoditione thesaurorũ: hæc est humilitas, quæ tam sapienter hominem custodit, vt nec à latronibus, id est, à Dæmonibus videatur. Ducit hominem per viam humilem: & Diabolus nescit ire nisi per sublimia. Et humiles non inuenit. Prou. *Vbi humilitas, ibi sapientia.* Sapientia mundana Deum prouocat, peccatum multiplicat, proximum molestia afficit, hominem infamat.

De

De Seruitio Dei.

SEruire Deo, est summa ingenuitas; licet huic diuino seruitio non repugnet hominis obsequium. Dicitur autem seruitus Græcè δουλία.

Seruiunt quidam Deo: quidam verò Diabolo. Circa seruitium Dei duo sunt consideranda, scilicet, *Vid. Gers. part. 2.*

Quomodo.

Propter quid.

Seruiendum est Deo, & Domino nostro multis modis, & rationibus plurimis, scilicet,

In timore.

Voluntariè.

Honestè.

Solicitè.

Primò, seruiendum est Deo in timore, & in tremore. Si cum tanto timore, & reuerentia seruitur dominis terrenis propter eorum potentiam, & dignitatem: cum maiori reuerentia seruiendum esset Regi regum, & domino dominantium. Psal. *Seruite Domino in timore.* Vt ab eius offensati meatis. Greg. *Deum timere, est nulla, quæ facienda sunt, præterire.* Eccl. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Et exultate ei cum tremore: vt quæ beneplacita sunt ei, faciatis. Eccl. *Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt illi.* *Psalm. 2.* *Eccl. 7.* *Eccl. 1.*

Secundò, voluntariè. Psal. *Seruite Domino.* corde perfecto, & animo voluntario, non coacto; quia coacta seruitia Deo placere non possunt. Chrisost. *Cum tali vultu respicit Deus ea, quæ facis, cum quali facis.* Dicitur ad Ephes. *Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; sed vt serui Christi, facientes voluntatem eius ex animo.* *Psal. 27.* *Ephes. 6.*

Tertiò, honestè, & mundè. Deus enim sanctus est, & mundus: & ideò vult habere seruos sanctos, & mundos. Leuit. *Sancti eritis, sicut & ego sanctus sum.* Si enim seruus tuus apportaret bonum ferculũ in vase immundo, & manibus immundis, displiceret tibi, vt credo. Sic quodcunque donũ, vel seruitium offeratur Deo ab existente in peccato mortali, non placet ei. Ideò dicitur in Psal. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit.* Si tu sordidã ancillam abominaris: quantò magis Deus sordidã animam abominabitur? Ideò dicitur Regum. *Præparate corda vestra Domino* *Leuit. 3.* *Psalm.*

per

per conſcientiæ puritatem: & ſeruite illi per cordis integritatem.

Luc. 2. Quia non vult habere ſeruos ad medietatem. Luc. *Seruiamus illi in ſanctitate, & iuſtitia, &c.*

Quartò, ſollicitè. Vult enim Deus habere ſeruum ſollicitum, non negligentem. *Tim.* *Sollicitè curate ipſum exhibete Deo operarium, &c.* Seruus debet eſſe ſolicitus, quomodo domino ſuo bene ſeruiat: & dominus, quomodo ſeruo ſuo

1. Pet. 5. bene prouideat. Pet. *Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum.*

Matth. 6. Quoniam ipſi cura eſt de vobis. Matth. *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus: &c.* Chriſoſt. *Eſcam corporis ſi ſollicitus non fueris, habebis: iuſtitiã verò, niſi ſollicitus fueris, non habebis.* Item, qui ad fontem vadit, non eſt ſollicitus, quid bibat. Quid ergo times ſtulte?

Matth. 6. prouidentia Dei maior eſt fonte. Quis eſt ille pater, qui non prouideat neceſſaria filiis, cum non ignoret, quòd egeant? Matth. *Scit enim pater veſter: quia his omnibus indigetis.* Iterum ſeruiendum eſt Deo.

Sapienter.

Et fideliter.

Rom. 12. Primò, ſapienter. Apoſt. ad Rom. *Rationabile ſit obſequiũ veſtrum.* gloſſ. Sapienter ſibi Deus vult ſeruiri: ne nimietate debiles fiant: & poſt modicorum ſuffragia requirant. Arcus ſi ſemper tendatur, deficit: vel debilitatur nimis: &

Prou. 14. pellis, ſi nimis extendatur, diſſipatur. Ideò dicitur. Prouer. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens.* id eſt, voluntatem domini faciens. Iracundiam autem eius inutilis ſuſtinebit. Seruus ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, pla-

2. Cor. 6. gis vapulabit multis. Propter hoc dicitur. Corinth. *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros.*

Secundò, fideliter. vult dominus habere ſeruũ fidelem.

Matt. 25. Matth. *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, &c.* De hoc require Cap. de fidelitate.

Secundò, videndum eſt, propter quid ſeruiendum ſit Deo. Seruire enim Deo debemus: quia eſt noſter

Creator.

Redemptor.

Pater.

Dominator.

Liberator.

Remu

Remunerator.

Primò, Quia Creator noster est: vnde sicut vasali tenentur dominis sui ratione feudi, vel terræ, quam tenent ab ipsis: & nisi seruitium debitum redderent eis, terram & feudum amitterent: sic nos ratione corporis nostri: & bonorum terrenorum, ac spiritualium debemus Deo seruire, ne fortè auferatur à nobis. Exemplum de illo, qui noluit operari de talento sibi commisso, & amisit: & illè, qui operatus est, augmentauit suum. Matth. Item si aliquis amisisset vi- *Matth. 25.*
sum, vel aliquod membrum corporis, libenter seruiret illi, qui ei redderet per totam vitam suam: quantò magis illi, qui dedit, & data conseruat. Greg. *De nihilo Deus fecit omnia: & qui sibi vult esse, & non sibi, nihil vult esse inter omnia.*

Secundò, quia redemptor. Iure redemptionis debet se homo totum seruitio Dei; quia solus emit, vt solus possideret. Nullus ergo habet ius in homine, nisi ipse. A post. ad Corinth. *Pro omnibus mortuus est Christus: vt qui viuunt, iam* *2. Cor. 1.*
non sibi viuant: sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Si vis, quòd seruus tuus, quem emisti, vel conduxisti ad tempus, totum se in toto tempore illo, seruitio tuo se exhibeat: nec sustineres, quòd aliquam partem temporis in suo, vel alterius seruitio poneret: quantò magis Deus, qui te redemit suo sanguine pretioso, debet te habere ad seruiendum sibi? Augustin. *Iustè sibi vendicat vitam meam, qui pro ea posuit suam.*

Tertiò, quia pater noster est, Isa. *Et domine pater noster es* *Isa. 30.*
tu, & factor noster tu: & opera manuum tuarum omnes nos. Nos verò lutum in manu tua: & si filius tenetur patri seruire, à quo partem corporis recepit: quantò magis qui formauit, & vitam donauit? Eccl. *Qui timet dominum, honorat parentes:* *Eccl. 3.*
& quasi dominis seruiet his, qui se genuerũt in opere, & sermone.

Quartò, quia dominator, & Dominus noster est: & indigemus auxilio, & defensione eius. Si enim ei seruiremus, semper pacem haberemes: quia cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Si autẽ ei non seruiamus, nunquã nobis bellũ deficiet: imò suscitabit nobis aduersarios, sicut fecit Salomoni, & multis aliis. Iob. *Quis resistit tibi, & panem habuit?* Sicut Barones solent mouere bella, & guerras contra subditos sibi resistentes, &

debi

mouere bella,& guerras contra ſubditos ſibi reſiſtentes,&
Gal.10. debitum ſeruitium renuentes.

Quintò, quia liberator: liberos enim ſuos ſeruos facit. Gal. *Non ſumus ancillæ filij,ſed liberæ:qua libertate Chriſtus nos liberauit.* Libenter ſeruiret homo illi, qui eum liberum faceret:quantò magis Deo,qui ſeruos manumittit? Apoſto. Non ſumus ſerui,ſicut ſub lege: ſed liberi ſub gratia con-
Rom. 6. ſtituti. Rom. Et B. Aug. dicit. *Summa ingenuitas hæc eſt,in qua ſeruitus Chriſti comparabitur.*

Sextò,quia remunerator: remunerat autem ſeruos in
Rom.6. præſenti,& in futuro. Rom. *Nunc verò liberati à peccato:ſerui autem facti Deo habebitis fructum veſtrum in ſanctificationē:*
Ioan. 16. finem verò vitam æternam. Ioan. *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum,&c.* in tantum,quòd erit de conſilio eius.
Ioan. 15. Ioan. *Iam non dicam vos ſeruos: ſed amicos meos de mènſa mea.*
Ioan. 17. Ioan. *Volo pater,vt vbi ego ſum,illic & miniſter meus.* quando dicetur, *Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam,intra in gaudium domini tui.*

De ſeruitio Diaboli.

Gab.in 4.diſt. 15.q.5.art.1. SEruitus eſt multiplex.

Seruiunt quidam Diabolo. Quidam peccato. Quidam denario. Diabolo enim ſeruiunt,qui ſeruiunt.

Gulæ.
Luxuriæ.
Pecuniæ.

Num.16. Primi ſeruiunt gulæ. Rom. *Chriſto,Domino noſtro,non ſeruierunt:ſed ſuo ventri.* Sen. *Maior ſum,& ad maiora natus quã vt ſiam mancipium corporis mei.* Iſte, qui ſeruit gulæ,nihil reportat de ſeruitio ſuo,niſi corruptionem. Apoſt. *Qui ſeminat in carne,de carne metet corruptionem.* Stultum eſt ſeminare,vbi quicquid ſeminatur, corrumpitur:& ponere pretioſum liquorem in vaſe tali,in quo ſtatim corrumpitur.

Rom. 6. Alij ſeruiunt peccato luxuriæ. Roman. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ.* glo. peccato luxuriæ. Ita illud peccatum efficit hominem ſeruum : à quo vix poteſt
Prou. 3. recedere,qui inciderit. Prouerbiorum. *Fouea profunda meretrix.* Qui in foueam cadit, non quando vult, exit. Sicut
Prou. 7. nec piſcis de naſſa, & auis de laqueo. Prouerbior. *Vincula*

ſunt

sunt manus illius. Oseæ. *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Dominum; quia spiritus fornicationis in medio eorum,* Oseæ 5.

Iste pro seruitio suo, reportat funem ad suspendendū eum in infernum, id est, damnationem mortis æternæ. Rom. *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis?* Nam finis illorum, mors. Rom. 6.

Alij pecuniæ seruiunt, vt auari. Luc. *Non potestis seruire Deo, & Mammonæ.* glo. Diuitiis seruit, qui custodit eas, vt seruus sed qui seruitutis iugum excutit, distribuit vt dominus, iste de seruitio suo nihil reportabit in fine. Iob. *Diues cum dormierit, nihil secum affert.* Stultitia magna est seruire illi, qui in fine eiicit eum nudum de domo suo. Eccl. *Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ: sic reuertetur, &c.* Luc. 16. Iob 27. Eccl. 5.

sciendum, quòd inutile valdè est seruire peccato.

Propter difficultatem seruitij.
Propter inutilitatem præmij.
Propter officij vtilitatem.

Primò, propter difficultatem seruitij. Sap. *Lassati sumus Sapien. 5. in via iniquitatis, & perditionis: & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus.* Iere. *Seruite Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die, ac nocte.* Stultitia est seruire tali Domino, qui non permittit seruos suos quiescere, nec in præsenti, nec in futuro. Ierem. 16.

Secundò, propter inutilitatem præmij: quia quod lucratur seruus, non est suum, sed domini: sic peccator nihil facit meritorium vitæ æternæ. Oseæ. *Comederunt alieni robur.* Prou. *Ne des alienis honorem tuum, &c.* Oseæ 8. Prou. 5. 80.

Tertiò, propter vilitatem officij. Psal. *Manus eius in cophino seruierunt.* gloss. cophinus est vas, in quo portatur terra. Diabolus vult sibi semper seruiri de immunditia: peccauerunt ei: & non filij eius in sordibus. Ideo filius prodigus seruiuit in custodia porcorum. Seruitus diuina singularis. Deut. *Illi soli seruies.* Col. *Domino Christo seruite.* Luc. 16. Deut. 6. Colloss. 3.

De Sequentibus mundum.

SEquuntur quidam mundum, id est mundanam conuersationum: quidam carnem: quidam diabolum: quidam ipsum Deum.

Primos deiicit vanitas.
Secundos voluptas.

Tertios

Tertios malignitas.

Quatuor charitas.

Primò, sunt quidam, qui sequuntur mundi vanitatem. *Osee 12.* Oseæ. *Effraim pascit ventum. & sequitur æstum.* Quantò magis aliquis pascit ventum, tantò magis exinanitur & tantò magis incenditur. Sic quantò magis diuitias habuerint: *Eccles. 10.* tanto magis inanes sunt. Eccl. *Qui auarus non implebitur pecunia,* Vacuum enim attrahit: & quantò plus æstus cupiditatis sequuntur: tantò plus ardent: quia, vt dicit Iuuenalis, *Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.* Sicut ignis ex appositione lignorum. Eccl. *Qui sequitur vmbram, apprehendit ventum.* Sic qui tendit ad mendacia, id est, ad res temporales, quæ aliud promittunt, & aliud soluunt. Sicut mendacia verba aliud sonant, & aliud continent. Sicut stultus, qui summo mane surgebat, vt sequeretur vmbram, & subterfugiebat. Et de pueris, qui papilionem volantem, quem *Ier. 2.* non capiunt (quia fugit) amittunt. Ier. *Ambulauerunt post vanitatem: & vani facti sunt.* Item, stultum est cum expensis magnis, & laboribus multis quærere, quod non potest in- *Sap. 5.* ueniri. Sap. *Ambulauimus vias difficiles, &c. transierũt omnia, velut vmbra: & in malignitate nostra consumpti sumus:* quasi dicat. In seruitio mundi multùm laborauimus: & nihil reportauimus: sed ibi consumpsimus corpus nostrum. Ideo *Iob. 31.* dicitur. Iob. *Si ambulaui in vanitate: & festinauit in dolo pes meus:* quasi dicat, non festinauit, scilicet ad fraudandũ, vel ad decipiendũ cõtra vsurarios, & raptores: qui similes sunt leoni primo mane consurgenti, necessanti, donec aliquid apprehenderit, & catulis suis detulerit. Sequitur. *Appendat me Deus in statera iusta, me.* dicit, non mea; quia mundus retinebit possessionem, tanquam suam. Sed Deus arresta- *Iob 18.* bit personam. Iob. *Arctabuntur gressus illius.* Hoc est dictu: sicut equo oris durioris, qui ad libitum vult currere: & aui prædatoriæ, quæ post apprehensionem prædæ ligatur ad perticam. Item auis, dum descendit ad terram ad capiendum cibum, in retiaculo ponit pedem, & capitur: & lupus, dũ prædam accipit, in pedica retinetur: sicut stultus debi- *Iob 18.* tor, qui mutuò semper accipit, tãdem compedibus retinetur. Vnde sequitur in Iob. *Immisit in rete pedes suos: & in maculis eius ambulat, tenebitur planta eius laqueo, &c.*

Qui

Quidam sequuntur carnem : cuius societas est prædatoria, vel proditoria. Est enim sicut mulier, quæ blandiendo homines attrahit ad peccatum. Prouerb. *De meretrice, quæ multis sermonibus irretiuit iuuenem: & blanditiis labiorum protraxit illum, statim secutus est eam:* quasi bos ductus ad victimam. Item est sicut latro, qui peregrinis obuians in biuio, vel triuio, promittit se ducturum eos ad rectam viam, vel ad bonum hospicium: & ducit illos ad malum, Eccle. *Post concupiscentias tuas non eas, &c.* Pet. *Nouit Deus iniquos in die iudicij cruciandos reseruare; maximè, qui post carnem in concupiscentiis ambulant.* Isti obediunt carni suæ : sed dum non sperant, & computabunt districtè. sicut mercatores, qui latè pascunt ventrem suum: & districtè computant in luxuriis, desideriis, comessationibus, & potationibus: qui reddent rationem Deo, parato iudicare viuos, & mortuos. Prouer. 5. Eccl. 18. 1. Pet. 2.

Quidam ambulant post Diabolum, cuius societas est peremptoria. Isti insaniores sunt aliis, quasi si oues sequerentur lupum. Sic Diabolus per blandimenta decipit homines, vt figuratum est Reg. vbi Absalon per blandimenta decepit populum. vbi dicitur toto corde vniuersus Israël, sequitur Absalon ad impugnandum Dauid patrem suum Sic multi sequuntur Diabolum, vt Deum impugnẽt. Diabolus enim est sicut latro, qui promittit conductum viatoribus: & postmodum vigilat, diuerti faciens à via recta. Igitur non est bonum sequi mundum ; quia decipit: nec carnem; quia inficit: nec Diabolum; quia interficit sed Christum, quia reficit. Ber. *Mundus clamat, decipiam: caro, inficiam: Diabolus, interficiam.* Christus dicit, reficiam. Quem sequeris? Sequendus ergo est Deus, non mundus, non caro, non Diabolus. Nota autem, quòd quidam sequuntur Dominum 2. Reg. 15.

Per viam mandatorum.
Quidam per viam consiliorum.
Quidam per compendium tribulationum.
Quidam per viam castitatis.
Quidam per viam charitatis.

Per viam mandatorum. Psal. *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Iob. *vestigia eius secutus est pes meus.* opera eius imitando: *viam eius custodiui in bono proficiendo.* Psal 118. Iob. 23.

Quidam sequuntur eum per semitam consiliorum, quæ
Psal. 26. est rectior. Psal. *Dirige me in semita rectà propter nomen tuum.*
Ne Dæmones mihi insidiantes inueniant me. hanc viam
Luc. 9. docuit Dominus. Luc. *Vende omnia, quæ habes: & habebis thesaurum in cœlis: & veni sequere me.* Qui enim vult Deum sequi, oportet eum exonerari. Nemo enim est, qui haberet magnam, & arduam viam incedere, qui non libenter committeret sarcinulas suas alteri ad portandum, si inueniret, cui committere secure posset: quia quantò difficilior est via, tantò plus augeret onus suum. Sed diuites huius mundi, non sic faciunt. Non sicut Petrus, qui ait. *Ecce nos reliquimus omnia, &c.* Ber. *Bene feci sti, Petre: quia eum sequi non poteras oneratus.*

Quidam sequuntur eum per compendium tribulatio-
2. Reg. 18. nis, quę est via breuior. Reg. *Cucurrit Achimaas per viam compendij.* Hanc cucurrerunt sancti martyres, qui in vna die mille dietas peregerunt. Hanc offert nobis Christus exem-
1. Pet. 2. plo. 1. Pet. *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplũ, &c.* Cum enim Christus ambulauerit per viam amaritudinis, secundùm illud Eccles. *In fluctibus maris ambulaui: per*
Eccl. 24. *eandem viam oportet nos sequi.* Nec timere debemus, cum ipsum in itinere habeamus socium, vt viam ostendat: & vltra malum passum nos transferat. Psal. *Si ambulauero in me-*
Psal. 22. *dio vmbræ mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Sequens fortem dominum non debet timere; quia bene po-
Ier. 13. test eum custodire. Ier. *Non sum turbatus te pastorem sequens.*

Quidam sequuntur per viam innocentiæ, & castitatis.
Apoc 3. Apoc. *Habes pauca nomina, quæ non inquinauerunt vestimenta sua, ambulabunt mecum in albis; quia digni sunt.* Ier. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt, &*
Psal. 83. *sequuntur agnum, quocunque ierit,* Psal. *Non priuabis eos bonis, qui ambulant in innocẽtia.* Hi figurantur per illum iuuenem,
Tho. 5. de quo dicitur. Tho. *Inuenit Thobias iuuenem splendidum.* scilicet, honestate vel mundicia, *stantem,* id est, perseuerantem. *Præcinctum castitate: & quasi paratum ad ambulandum.* ad perficiendum, quantuncunque sit via aspera. Sicut canis, qui sequitur leporem per spinas, & tribulos, donec appre-
Philip. 3. hendat. Phi. *Sequar autem, si quo modo comprehendam.* id est, succurrite vt comprehendatis.

Quidam

Quidam sequuntur per viam amicitiæ, & charitatis, quæ est via leuior,& suauior,& excelsior. 1.Cor. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Eph. *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit vos.* Ioan. *Qui dicit se in Christo manere, debet ambulare, sicut & ipse ambulauit.* per viam, scilicet, amoris, & pacis. *1.Cor. in 4. Ephes. 5. Ioan. 2.*

Per hanc viam non sequuntur eum discordes, & litigiosi; quia per aliam viam vadunt, sed boni socij, quorum vnus supportat alium. Eph. *Vt filij lucis ambulate.* Ecce, quòd Dominus vult suos sequaces in luce ambulare, & non in tenebris, sicut ambulant filij Diaboli, similes vespertilionibus, qui diligunt tenebras, & oderunt lucem: vel latronibus, qui vellent, quod nunquam eluceſceret: vt possent liberius furari: contra quos dicitur. Rom. *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: vt sic in die ambulemus.* Nota, quòd qui de nocte vadit, hostem non videt: sed ab hoste videtur: libenter deuiat, qui libenter offendit, & frequenter cadit: propter hæc omnia dicitur. Io. *Si quis ambulat de die, non offendit; quia lucem huius seculi videt.* Sed qui ambulat de nocte, offendit; quia lux in eo non est. Nota, de cæco, qui propter defectum luminis in foueam cadit: & si deuiauerit, vix ad rectã viam redit. Tales dicent in fine illud Sap. *Ambulauimus vias difficiles: & lumen iustitiæ non illuxit nobis.* Itẽ, ad sequendũ Deum, nos mouere debet amor præmij. Nota, de seruo, qui libenter festinat, vt opus compleat; & postea quiescat. Et de viatore, qui libenter properat, vt malã quiescat. Et de viatore, qui libenter properat, vt malam terram pertranseat, & ad fertilem perueniat. Et de peregrino, qui quotidie sollicitat, donec veniat ad patriam suam, diu ab eo desideratam. *Rom. 13. Ioan. 10. Sap. 5.*

De Silentio.

SIlẽtium est taciturnitas σιγὴ Græcis, qua animus alitur. Taciturnitatem magnopere laudat D. Chrysost. cùm ait. *Si vindicare vis, sile, & funestam ei dedisti plagam.* *D. Chry.*

Silentium est cautius tenendum; quia dicit. Tullius. *Tacere qui nescit, loqui nescit.* Vnde nota quòd silentium

Hominem fortificat
Periculum vitat.
Vitam emendat
Deuotionem seruat.

Primò dico, quòd silentium facit hominem fortem. Sicut

vix, vel nunquam pugil vincitur, nisi malum verbum dixerit. Sic vix vincitur quis à Diabolo, si à malis verbis ca-
Isa.30. uerit Isa. *In silentio, & spe erit fortitudo vestra.* Acerbus pastor dixit. Omnis labor quicunque euenerit tibi, ex taciturnitate superabitur.

Secundò, per silentium euitatur periculum. Tunc porta castri cautius aperitur, quando notum est domino castri, quòd hostes portæ insidiantur. Vnde cum hostes inuisibi-
Iob.40. les portæ oris insidiantur, cum magna cautela aperienda est. Iob. *Memento belli, nec vltra addas loqui.*

Tertiò, vitam emendat. Hiero. *Linguam maledicam indidtum emendat silentium.* Vnde silentium seruare, est os, vnde
Iaco.3. exit ignis, & flamma, omnia comburens) obstruere. Iaco. *Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam siluam incêdit.* scilicet virtutum, & bonorum operum consumit. Sequitur. *Et lingua nostra ignis est. Vniuersas iniquitates lingua constituit in membris nostris, quæ maculat totum corpus & inflammat rotam mentis nostræ, inflammata à gehenna.* Item, silentium tenere, est bestiá
Iaco.3. indomitam clausam tenere. Iaco. *Omnis natura bestiarum, volucrum serpentum domatur: linguam autem suam nullus hominum potest domare.* glo. quin delinquat. *Est enim inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Dominum patrem: & in ipsa maledicimus homines: qui ad similitudinem Dei facti sunt.* Non oportet fratres hæc fieri. Item, silentium
Psal.56. seruare, est gladium penetrātissimum in theca abscondere. Psal. *Lingua eorum gladius acutus.* Iterum, silentium est frænum viri spiritualis. Claustralis sine silentio, est equus sine
Iaco. fræno. Iaco. *Si equis frena in ore mittamus ad consentiendum nobis, & omne corpus illorum circunferimus.* Item arca sine claue, & sine silentio. Qui silentium tenet, clauem oris ha-
Eccl.21. bet in arca cordis, vnde secutus est. Eccle. *In ore fatuorum cor illorum. & in corde sapientum, os eorum.* Rursus, homo sine silentio, est domus sine ostio: ciuitas absque muro, vt habes sup. de locutione.

Quartò, feruorem seruat deuotionis. Solet obstrui vas, in quo fit vinum. Et potus coopertus melius calorem suũ, & mundiciam seruat: Sic qui vult deuotionem cordis, &
Psal.38. mundiciam seruare: oportet eum os clausum tenere. Psal.

Posui

Posui ori meo custodiam (id est, obmutui) *& non aperui os meum, & cor. Lingua sapientium custodit sapientiam.* id est seruorem deuotionis. Silentium mulieri maximum præstat ornamentum, vt docuit. Arist. *Ari. 1. Pol.*

De Societate praua.

SOcietas est fraternitas, vel adunatio hominum ad aliquid perficiendum: Vnde dicitur propriè socius, qui in re seria, & laboriosa alicuius pars est. Vnde dicitur socius (vt aliis placet) eo quòd laborem alterius secet, & diuidat: vel quòd eum in re laboriosa sequatur.

Societas mala vitanda est omni solicitudine, & cautela, quia mala societas

Ad peccatum trahit.
Viam paradisi impedit.
Infirmitatem inducit.

Primò, ad peccatum trahit. Non libenter iter aliquis cum latronibus: quia eum bonis omnibus spoliatent; & postmodum occiderent. Sic non debet conuersari cum malis: qui eum ad peccatum trahunt: virtutibus spoliant: & morte damnant. Exemplum de spinis, quarum vna trahit aliam. Prouerb. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis, &c.* Corinth. *Nolite iugum ducere cum infidelibus:* *Prouerb. 1.* *2. Cor. 6.* *quæ enim participatio lucis ad tenebras? aut quæ pars fidelis cum infideli?*

Secundò, viam paradisi impedit. Qui vult ire in paradisum, non debet versari cum his, qui descendunt ad infernum: quia non sunt in via. Prou. *Ne delecteris in semitis impiorum: nec tibi placeat malorũ; via quia nouit Dominus viã iustorum: & iter impiorum peribit.* Vnde, cum bonis ambula, quia. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum: & in via peccatorum non stetit.* Nam mala societas est Deo exosa, in se est vitiosa, sibi ipsi pernicioſa, atque homini periculosa. *Prouerb. 4.* *Psal. 1.*

Tertiò, infirmitatem inducit. Qui nõ vult esse leprosus, debet vitare consortium leprosorum. Sana poma putridis sociata citiùs putrescunt. Sic sani cum infirmis citiùs infirmantur. Prouerb. *Amicus stultorum efficitur illis similis:* Fermentum modicum totam massam corrumpit: sic vnus peruersus totam societatem. Psalm. *Cum sancto sanctus eris: & cum peruerso peruerteris.* Non enim secura quis est iuxta *Prou. 13.* *Psal. 17.*

lupum: nec stupa iuxta ignem: nec gimen iuxta cattum. Sic nec iustus iuxta peccatorem: nec mulier iuxta leccatorem. Eccl. *Sicut lupus communicat agno aliquando: sic peccator iusto, & qui communicauerit cum superbo, induet superbiam.* Corint. *Corrumpunt bonos mores colloquia prauа.* Item, nō est rutum ægroto versari in aëre corrupto; quia ex hoc citò recidiuum pateretur. Sic non est tutum bonis versari in loco peccatorum; ex hoc enim ad peccatum inducuntur: & si sanati fuerint, frequenter recidiuum patiuntur. Genes. *Surgite, & egredimini de loco isto; quia delebit Dominus ciuitatē hanc.* Nullus potest esse in Græcia; vel in quapiam alia regione: quin de consuetudinibus, vel de idiomate illius regionis aliquid hauriat. Sic nec cum peccatoribus habitare, quin de moribus eorum aliquid retineat. Psal. *Cōmixti sunt inter gentes, &c.* Si dicat aliquis, magnū temporale commodum habeo de cōsortio eorum: vel magnum damnum patior de recessu. Resp. si quis esset in domo succensa, *vbi* non esset nisi vna fenestra, per quam posset *tantummodo* nudus exire: non ne omnia vestimenta dimitteret, & exire festinaret? Sic quilibet dispendium suorum, & suæ carnis, (quantumcunque potest) debet sustinere potius, quàm in prauorum commercio remanere cum periculo suo. Gen. Ioseph, relicto pallio in manu mulieris, fugit: & homo de periculo maris, libenter nudus euadit. Item, dens putridus de ore cum dolore eiicitur, ne alios corrumpat: & ouis morbida, de grege: & leprosus, de consortio hominum: & pomum putridum, de aceruo. Sic debent amoueri boni de consortio malorum: ne eos prauis actionibus, & locutionibus corrumpant. Nam, teste Arist. *Prauus socius impedit commune bonum, societas bona virtuosè copulatur.* *Innocentes, & recti adhæserunt mihi. A malo liberat. Væ soli, quia cum ceciderit.* In bono conseruat. *Nam est bonum hominem esse solum.* Bonum augmentat.

Eccl. 13. 2. Cor. 15. Gen. 19. Psal. 105. Gen. 29. Psal. 24. Eccl. 4. Gen. 2.

De Sanctificatione hominis.

SAnctificatio duplex assignari solet, viæ, & patriæ, sanctificatur homo

Per baptismi lotionem.
Per peccatorum confessionem.
Per eleemosinarum largitionem.

Per

Per custodiam mandatorum.
Per societatem perfectorum.
Per fugam peccatorum.

Primò, sanctificatur homo per baptismi lotionem. 1. Corinth. *Abluti estis.* id est, sanctificati estis: & loquitur hîc de ablutione baptismali: quæ virtutem sanctificandi habet à passione Christi. Rom. *Quotquot baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Heb. *Vt sanctificaret populum suum, extra portam passus est.* Vnde Christus, lotrix nostra, ad sordes nostras abluendas, fecit lixiuium de sanguine suo, cinetes accipiens in vtero Virginis, scilicet, infirmitates humanas; quia languores nostros ipse tulit. Isa. *De cineribus vitulæ ruffæ fiebat mundatio.* Vitula ruffa Christus pro nobis passus est. Apoc. 1. *Dilexit nos, & lauit nos, &c.* 1. Cor. 6. Rom. 6. Heb. 12. Isa. 53. Apocal. 1.

Secunda sanctificatio, est per peccatorum cõfessionem. Psal. *Facta est Iudæa* (id est, confessio) *sanctificatio eius.* Chrys. *Confessio cor emundat: sensus illuminat: animam sanctificat: ad remorsionem Christi præparat. Vnde Iudas* (id est confessio) *mundauit templum à gentibus inquinatum.* Tim. *Si quis emundauerit se, erit vas in sanctificatione.* Machab. *Elegit Iudas* (id est confitens) *sacerdotes sine macula ad sanctificandum templum; quia bonus, & discretus sacerdos eligendus est.* Psal. 113. Timoth. 2. 2. Mach. 4.

Tertia, est per fugam peccatorum, id est, per abstinentiam à peccatis post confessionem. Apost. 1. ad Thess. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos ab omni fornicatione: & sciat vas suum vnusquisque possidere in sanctificatione, & honore.* Corinth. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, ac spiritus: perficientes sanctificationem in timore Domini.* Quia per timorem Dei declinat omnis à malo. Eccl. *Qui timent Dominium, præparabunt corda sua: & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Thess. 4. Cor. 7. Eccl. 2.

Quarta, est per eleemosinarũ largitionem. Eccl. *Datum brachiorum tuorum, sacrificium sanctificationis offeres Domino.* Christus in cruce propriis brachiis nos lucratus est: & quicquid habemus. Solet dici: hoc de iure meũ est: & quod lucratus sum propriis brachiis. Magna est ergo præsumptio, ea, quæ Christus tanto labore quæsiuit, pauperibus non distribuere. Propterea dicitur offeres Domino, scilicet Eccl. 3.

Luc.11. in paupertate. Luc. *Quod superest, date eleemosinam: & ecce munda sunt vobis omnia.*

Leuit.20. Quinta, est per custodiam mandatorum. Leuit. *Custodite præcepta mea; quia ego Dominus, qui sanctifico vos.* Ad custodiam mandatorum nos inuitant dona percepta, & percipienda. Psal. *Dedit illis regiones gentium, &c. vt custodiant iustitiam eius.* Qui ergo præcepta non custodit, habet ius in laboribus manuum comedendis. Nau. *Iuxta quod mente nouerat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ.*

Psal.104. Nau.6.

Sexta, est per societatem perfectorum, id est, per bonam societatem. 1. Cor. *Sanctificatur vir fidelis per mulierem fidelem, & econuerso.* Psal. *Cum sancto sanctus eris, &c.* Sed dicitur. Quòd mulier turpis nõ libenter sedet propè pulchriorem, ne turpitudo illius magis appareat; quia oppositа iuxta se posita, magis elucescunt. Sic mali non libenter associantur bonis, ne malitia eorum, propter bonitatem magis appareat. Ioan. *Omnis, qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Sanctificatio patriæ habetur in via, & est glorificatio. vtroq; modo Deus dicitur sanctificare.

Corinth.7. Psal.77. Ioan.3.

De Solitudine.

D. Tho. 22.q. 188.num.8. Gerson tract. 2.in cant.B. Virg. Vid. Fran. Petrar. vbi pulchra, de vita solitaria.

Solitudo ad mentem D. Thomæ, non est de essentia perfectionis: sed est instrumentum congruum contemplationi.

Solitudo. In solitudine gratia conseruatur.
Deus cum anima loquitur.
Ibi sæpius consolatio infunditur.

Primò, in solitudine gratia conseruatur. *Si aliquis haberet fialam plenam balsamo, stultus esset, si turbæ se exponeret, ne fortè fiala frangeretur, & balsamum effunderetur.* Sic ille, qui in turba, & societate sè ponit, vbi aliquando gratiam Dei amittit. Gratię enim fatuorum effundentur: Beata Virgo in turba filium amisit, quem in templo inuenit. Luc.

Luc.2. Oseæ 2.

Secundò, Deus cum anima loquitur. Oseæ. *Ducam eũ in solitudinẽ: & loquar ad cor eius.* Libẽtius loquitur cum sponsa in secreto, quàm in aperto. Sic Deus cum anima sancta. Ber. *O anima sancta, sola esto, & illi soli placeas, quem solum in omnibus elegisti: an ignoras te verecundum habere sponsum: qui*

nequaquam

nequaquam cæteris præsentibus suam velit præsentiam exhibere? Fuge publicum, fuge ipsos domesticos: recede ab eo, qui tibi ministrat.

Tertiò, ibi sæpius consolatio infunditur. Iere. Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui. Iacob domi manens, benedictionē accepit, quam Esau frater amisit. Quid per Esau, nisi inquieti, & girouagi: qui, conscientia derelicta, exteriora solatia quærunt, & cœlesti benedictione priuantur? Et quid per Iacob domi manentem, nisi quieti, & pacifici designantur: qui testimonio conscientiæ gloriantur, & benedictionem paternam obtinent? Ideo Dominus in lege iubet os turturis retorqueri ad assellas, id est delectationes, & cōsolationes suas in intimis suis haurire. Hoc est, quod in Nau dicitur. *Aquam propter obliuionem hauri tibi.* id est in intimis tuis refrigeria consolationum tuarum haurias. *Ier. 2.*

De Spe.

SPerare, est existimare, credere, & confidere, licèt interdum in malam partem capiatur, vt est illud poëticum. *Hunc ego si potui tantum sperare laborem.* Sed accipitur in bonam partem, & ita.

Spes, est fiducia futurorum ex gratia Dei, & ex bona conscientia. Ideò sperandum est in Domino; quia sperantes in eo sustinet, ne cadant. Naturaliter qui debilis est, & timet cadere, alicui rei adhæret: vt patet in puero, vel in infirmo: sic naturalis ratio dictat animæ cognoscenti, scilicet debilitatem suam, quòd fortiori se adhærere & inniti debeat, scilicet Deo. Quia de facili transit malum passum, qui habet bonum fulcimentum, quæ eum bene potest eiicere à malo passu. Vnde qui sperat in Domino,

Sustinetur, ne cadat.
Seruatur, ne corruat.
Sustentatur, ne deficiat.
Præmiatur, vt gaudeat.

Primò, per spem homo sustinetur, ne cadat. Isa. *Qui ambulat in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini: & innitatur super Deum suum.* Aug. *Quid in te stas, proïce te in Deū: non se subtrahet, vt te cadere permittat. proïce te securus; suscipiet enim, & sanabit te. Securus esto sperans in Domino: quia* *Isa. 1.*

protector est omnium sperantium in se. Vanitatis est enim, non præstare fulcimentum innitenti sibi: sed veritatis est, non negare. Vnde cum Deus veritas sit, innitenti sibi non se subtrahit: sicut malitiosi pueri solent facere, qui appodiantibus sibi se subtrahunt, vt cadāt. Vnde maledictus homo, qui spem suam ponit in homine. Speremus igitur in Domino; quia non derelinquet omnes, qui confidunt in eo.

Secundò, per spem seruatur anima, ne corruat. Spes enim est anchora, seruans animam, ne à procella tentationum,
Hebr. 6. & tribulationum rumpatur, vt innuit Apost. Hebr. *Qui confugimus ad propositā nobis spem: quam sicut anchoram habemus tutam, & firmam.* Aug. *Si videris te fluctuari in mari huius mundi, noli abrumpi ab anchora, antequam intres ad portum.* Fluctuat nauis, si non longè à terra proiiciatur: nec in æternum fluctuabit, & si ad tempus fluctuat. Ideò spes est baculus valde necessarius in via huius vitæ peregrinanti. Qui
Psalm. huic baculo innititur, non corruit. Psal. *Non derelinquet omnes, qui sperant in eo.* Vnde à spe, ablata prima litera, dicitur Pes. Idem. *Sperans in Domino non infirmabor.*

Isa. 40. Tertiò, per spem sustentatur, ne deficiat. Isa. *Qui sperabunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assumentes pœnitentiam, vt acquirant, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.*

Quartò, præmiatur, vt gaudeat. Aug. *Spes enim est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia Dei proueniens: & ex meritis præcedentibus.* spes enim futurorum bonorum præsentem fortunam lenit. Nam si merces modica laborem mercenarij tolerabilem reddit: quid facere debet merces
Iacob. 5. æterna? Iacob. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, &c.* Si ille pro fructu terræ sperat, & tam patienter expectat: quantò magis nos pro cœlesti? Debet ergo iuuare spem nostram gloria æterna sperantibus promissa. Item, misericordia Dei, quæ vult omnes saluos fieri. Sicut homines amant ea, quæ sua sunt, & cōseruant ea: & si perdiderint, gaudent, cum recuperant ea: sic Deus, qui summè bonus est, vult conseruare eos, qui boni sunt: &
Luc. 15. peccatores, quos perdidit, vult recuperare. Luc. Exemplum de oue perdita. Ezech. *Ecce omnes animæ, vt anima patris: ita & anima filij mea est anima, quæ peccauerit, ipsa moriatur.*

Sequitur.

Sequitur. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, (dicit Dominus) & non vt conuertatur, & viuat?* Item bona quæ agimus, & mala, quæ sustinemus, debent iuuare spem nostram. Securus debet esse de re, qui habet bonum pignus apud se. Sic securi sunt de regno futuro, qui habent bona opera, quæ quasi quædam pignora sunt, & arrhæ regni cœlestis. Gregor. *Cum opus proficit, præmij fiducia crescit.* Idem. *Vir sanctus quot labores veritati nunc commendatus exhibet: tot iam remunerationis suæ pignora intra spei suæ cubiculum clausa tenet.* Item, mala, quæ pro Deo sustinemus, spem adiuuant. Greg. *Bonorum mens, quò duriora pro veritate tolerat, eò æternitatis præmia certius sperat.* Idem, Tantò spes solidior surgit: quantò quisque pro illo duriora pertulit. Certus esse potest de re, quæ vænalis est, quæ pretium habet apud se. Sic debet esse certus de regno, qui multas tribulationes sustinuit, quibus emitur. Act. Oportet per multas tribulationes introire regnum cœlorum. Sed inanes nostræ contentiones in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quàm portum conspicere potuerint. Act. 14.

Spes in Deo debet esse singularis.

Gen. 49.	Iudith 6.
Iob 13.	Prouerb. 3.
Isa. 34.	Ierem. 17.
Tren. 4.	Mich. 7.
Psalm. 25.	

Et in Domino sperans non infirmabor. Ac spes impiorum est abominabilis. Iob 8. *Spes hypocritæ peribit.*

De Tempore.

TEmpus describitur ab Arist. vt est numerus motus secundùm prius & posterius, id est, mensura discretiua secundùm durationem, cui respondet prius & posterius.

Tempus est considerandum, tanquam pretiosus thesaurus.

Quomodo vtiliter expendatur.

Quomodo transit velociter.

Quomodo districtius à nobis requiratur.

Primò, quomodo vtiliter expendatur; quia sicut dicit Bernard. *Nihil pretiosius tempore; Sed heu! nihil hodie vilius repu*

reputatur. Fatuus est ille, qui rem tam pretiosam dat hosti suo. quod facit qui tempus expendit in seruitio Diaboli.

Prouer.15. Prouerb. *Fili, ne des alienis honorem tuum: & annos tuos.* (id est tempus vitę tuæ) *crudeli,* id est Diabolo. Tempus vitæ præsentis est tempus opportunum; quia post hanc vitam datur tempus retributionis.

Iob 9. Secundò, quomodo transit velociter: & postquam transierit, non reuocatur. Iob. *Dies mei velociores fuerunt cursore.* Sen. *Infinita est velocitas temporis: punctũ est, quod viuimus, & adhuc puncto minus.* Et ideò fatuus est, qui multis obligatus est debitis, & pauca habet, si prodigè expendat: sic qui multa peccata habet: & parùm de tempore, si tempus ipsum amittat. Ber. *O si cognosceres, quàm multis, & multa debeas: videres, quòd nihil est, quod agis!* Sen. *Quem mihi dabis, qui aliquod pretium temporis ponat, qui intelligat quotidie se mori?*

Tertiò, quomodo à nobis districtius requiratur; quia de omni tempore oportebit reddere rationem. Bern. *Omne tempus tibi impensum requiretur à te, qualiter fuerit expensum.* Idem. *Parùm non æstimes tempus, quod in dictis, vel factis expenditur ociosis. Volat verbum irreuocabile: transit tempus irremeabile:* nec aduertit insipiens, quod amisit. Item, Si aliquis haberet seruum, vel filium, cui dedisset pecuniam ad negotiandum, & totam consumeret, vt filius prodigus: *vel etiã* pecunia illa eum impugnaret, non plus ei daret: sed potius residuum ei auferret: Sic facit Deus de tempore peccatori, quod ei dedit ad pœnitentiam, & ille abutitur eo per superbiam, & Deum impugnat. Prouerb. *Timor Domini apponit dies: & anni impiorum breuiabuntur.* Sen. Tempus tantùm nostrum est: sed post mortem non erit nostrum, sed Dei. & tunc accipiet ipse decios, id est *tempus:* & iactabit

Tren.74. contra nos. Tren. *Vocabit aduersùm me tempus.* Psal. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.*

Psalm. 74.

De Tentatione.

TEntatio. circa tentationem quatuor sunt considerandi, scilicet

Hostis tentans, vel impugnans.

Modus pugnandi.

Et modus vincendi.

Primò

Primò, est considerandus hostis impugnans: & hostis est Diabolus. Eph. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem: sed aduersus principes, & potentes, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ.* Eph. 6. Ab isto homine cauendum est,

Quia callidus.
Quia potens.
Quia inuisibilis.

Primò, quia callidus. Gen. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Secundò, quia potens. Vnde dicitur hic. *Aduersus principes, & potentes.* Iob. *Non est potentia super terram, quæ ei valeat comparari.* Genes. 2. Iob. 41.

Tertiò, quia inuisibilis, & nequam. Vnde sequitur. *Contra spiritualia nequitiæ.* Iob. *Crudelis est, & non miserebitur.*

Secundò, considerandus est modus pugnãdi. Circa quod nota, quòd diabolus tentat hominem de peccato, ad quod ipsum videt proniorem, placita ostendendo.

De qua re consueuit decipere, experta medicamẽta porrigendo.

Sub specie necessitatis, vel vtilitatis, procaciter suggerendo.

Delitias, & diuitias, atque preces mendaciter promittendo.

Callidè, & occultè, frequenter insidiando.

Lentè, & paulatim, animam pulsando,

Potenter, & audacter, violentiam inferendo.

Primò, tentat Diabolus de peccato, placita ostendendo. Sicut bellator impugnat castrum à parte debiliori. Gregori. *Mores vniuscuiusque conspicit, cui vitio sint propinqui:* & illa apponit ante faciem, ad quæ viderit mentem facilius inclinari: sicut venator ponit laqueos, vbi consueuerunt bestiæ frequentare. Psal. *In via hac, qua ambulabam absconderunt laqueum mihi,* absconditenim peccati pœnam, & ostendit delectationem: absconditur malum à diabolo, sicut pedica sub folio. Iob. *Absconditaest in terra pedica eius: & decipula eius super semitam.* Item, sicut sub grano est venenum in bucella, & hamus sub cibo. Eccl. *Quomodo capiuntur pisces hamo, & aues laqueo.* Sic capiuntur homines in tempore malo. Psal. 141. Iob. 20. Eccl. 9.

Secun-

Secundò, tentat, experta medicamenta porrigendo, de qua re consueuit aliàs decipere. Vnde tentauit Christum his tentationibus, quibus vicerat primum hominem; citius enim accenditur lignũ, quod aliàs fuit in igne, quàm si nunquam fuisset. Et membrum citius frangitur, vbi prius fuit fractum, quàm alibi. Et citius cadit homo in infirmitatem, quam habuerit, quàm in aliam. Tamen bestiæ, & aues in easdem pedicas, & retia non incidunt. Item, quando non inuenit per vnam tentationem, suggerit aliam: sicut medicus inuitat infirmum ad diuersa cibaria. Vnde tentauit Christum trina tẽtatione. Rex enim, cùm castrum non potest vincere ex parte vna, impugnat ex altera. Vnde

Reg. 2. 1. Reg. *Philisthæi, quia filij Israel in montana vincere nequierunt, ad campestria descenderunt.* Quia fugiens superbiam,

Isa. 24. cadit in anaritiam, vel luxuriam. Isa. *Qui fugerit à facie fornicationis, vel auaritiæ, cadet in foueam luxuriæ, & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo superbiæ.* Vnde dicit Augustinus. *Præmunitos esse volo, scientes neminem super terram absque tentatione victurum: cui si fortè tollitur vna, aliam securus expectat:*

Tertiò, tentat specie necessitatis, vel alicuius vtilitatis, procaciter suggerendo: vt quando suggerit voluptatẽ carnis sub specie discretionis, sub bona mercede falsum vendit. Greg. *Omnes suis vitijs fauẽt: & quod ad voluptatem carnis faciunt, ad necessitatis referunt actionem: & sub specie virtutu vitium voluptatis excusant.* Et nota. Non potest diu teneri castrum, vbi non sunt homines fortes, & defensales. Vnde cum obsidẽtur castra, extra mittuntur pueri paruuli, & mulieres; quia non sunt vtiles ad bellandum. Sic facias de corde tuo, vt cogitationes puerules, & affectiones molles extra mittas: & fortes, & viriles intus retineas. Mulieres sunt cogitationes, & affectiones, circa carnalia versantes. Nau.

Nau. 1. *Populus tuus in medio tui, quasi mulieres:* Paruuli in castro cordis sunt affectiones terrenorum: paruulus enim plus diligit pomum, quàm regnum. Prou.

Prou. 1. *Vsquequo paruuli diligitis infantiam: & stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupiunt?*

Quartò, diuitias promittendo: sicut amator solicitat mulierem precando, donando, & promittendo: sed postquam fuerit ab eo semel corrupta, sequitur eum non rogata,

gata,nec habet audaciam ei resistendi:sed dicit illud Iere. *Adamaui alienos,& post eos ambulo.* Item,non dicitur casta mulier: quæ libenter audiret verba corruptionis, licèt ei consentire nollet:& appetit diligi, licet diligere non appetat,cum dicat Augustin. *Non solùm appetere: sed etiam appeti velle, criminosum est.* Sic non est reputanda anima casta,quæ tentationes Diaboli recipit: & delectatur in eis, quanuis nollet consentire peccato. Attende, quòd cor tuum mutuò concedis inimico, quando sustines in peccato delectari:das verò, quando peccato consentis. Sed siue dono,siue mutuò ei cor tuum exposueris, non quando volueris,retrahes: quia sicut primò est in potestate populi regem facere, quem vult: factum autem non est in eius potestate de regno expellere: sic homo liberum habet arbitrium,vtrùm velit esse de regno Diaboli,vel non. Si aurem ei,peccando, subiugatus fuerit: non potest, quando vult, de potestate eius exire. Sicut pisces: qui quando intrat nassam etiam per se: sed non per se, & quando vult, exit. Oseæ. *Perditio tua ex te, Israel:tantummodò ex te auxilium tuum.* Ieré. 2. Oseæ 13.

Quintò, tentat, occultè insidiando: vt latro viatorem vndique circuit, vt non sit locus euadendi. Si aliquis comedit libenter, tentat eum de gula: si abstinet,de indiscretione: *Et sic circuit, quærens quem deuoret.* Item,ad tempus tentare cessat, quando ei viriliter resistitur, vt plus proficiat:& dum non cauetur,percutiat: sicut ille,qui obsidet castrum, recedit: vt, dum non speratur, irrumpat. Matth. *Reliquit eum diabolus.* Gregor. *Sæpe Diabolus,postquã mentem impugnauerit, ad tempus cessat: vt securam repente irrumpat.* Eccles. *Bona in mala conuertens insidiatur: & in electis suis ponit maculam.* 1. Petr. 5. Matth. 4. Eccl. 11.

Sextò,tentat lentè,& paulatim,animam pulsando:& tãtò periculosior, quantò minus sentitur. Iob. *Lapides excauant aquæ,& alluuione paulatim terra consumitur* per lapides, viros fortes intelligas:per aquam, blandimenta sæculi,vel diaboli,quæ cauant constantiã mẽtis,& vacuam relinquũt. Item,tentat plus pœnitẽtes,quam peccatores:fortes,quàm debiles; quia fortè Deus non permittit. Miles non mittit filium suum paruulum ad prælium: sed quando fortis Iob 23.

est

est,& potest ferre arma. Item, rex dedignatur impugnare villas campestres, & exercitum mouere contra eas:sed contra fortia castra:sic Diabolus fortiores impugnat. Vnde quando bellator aliquis vult terram alicuius capere,primò impugnat fortius castrum: quo capto, terra tota capitur; quia per illud impugnat dominum castri, & terrã eius:sic diabolus magis impugnat illos,qui eminent iustitia & fama:vt exemplo illorum alij capiantur. Vnde 1. Reg. dicitur, quod totum pondus prælij versum est in Saul. & in 2. Iud. dicitur,quòd Philistini, qui figurant Dæmones, acceperunt Samsonem,qui interpretatur sol eorum,id est,illuminans alios,& erutis oculis fecerunt eum molere, id est, peccata circuire. Et nota, quòd capto castro,facit ille,qui cepit,quicquid vult de munitione eius:sic Diabolus,quando capit aliquem magnum dominum: vel magnum, vel potentem,facit quicquid vult de scientia,lingua,& potentia eius. *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.* Item,rex castrum sibi subditum, vel sibi subditos non impugnat:sed sibi contrarios,& rebelles:sic diabolus rebelles sibi magis impugnat. Greg. *Hostis noster,quanto magis contra se bellare conspicit: tanto magis bellare contendit.* Iud. *Ego numquam nocui viro, qui voluit seruire Nabuchodonosor regi Babylonis:populus autem tuus,si non contempsisset me,non leuassem hastam meam contra eum.* Item, fortis contra debilem luctari dedignatur; & maximè contra eum,quem sæpe deuicit:& delitiosus miles communes cibos dedignatur. Iob. *Absorbebis fluuium*,gl.infideles seculares. *Et habet fiduciam,vt fluat Iordanis.* id est,bonus religiosus in os eius.

Septimò,tentat potenter,violentiam inferendo. *Iob. Insidiati sunt mihi, & præualuerunt: & non fuit,qui ferret auxilium. Sed rupto muro,& aperta ianua,irruerunt super me.* Miles, vel rex aliquis quando amisit castrum, nititur recuperare, & conuocat exercitum magnum. Sic fecit Pharao ad persequendum filios Israel, fugientes ab eo Exod. Sic fecit Diabolus contra pœnitentes. Gregor. *Quotidianis discimus experimentis,eos,qui conuerti deliberant,acrius tentari à concupiscentia carnis: & vrgeri grauius in operibus luti,& lateris: qui Aegyptum egredi,& Pharaonem fugere voluerit.* Ideò dicitur. *Cum immundus spiritus exierit ab homine,&c.* Dixit. *Reuertar ad domum*

Tren. 1.

Iud. 12.

Iob 40.

Exod. 14.

Luc. 12.

domum meam, vnde exiui: & vadit: & assumit septem spiritus nequiores se. id est exercitus septem vitiorum mortalium, quæ sunt.

Superbia.
Inuidia.
Accidia.
Ira.
Auaritia.
Gula.
Luxuria.

Superbia, in exercitu Diaboli vexillum portat. Psal. *Posuerunt signa sua.* Greg. *Euidentissimum signum reproborum est superbia.* Econtra electorum humilitas, quam cum quisque habeat in se, apertè cognoscitur, sub quo rege militet. Vnusquisque enim quendam titulum portat operis, quo facilè dignoscitur, sub cuius potestate rectoris seruiat. *Psal.73.*

Inuidia, sagittas trahit, detrahendo aliis. Ier. *Extendunt linguas suas, quasi arcum mendacij, & non veritatis: lingua eorum dolum locuta est.* *Ier.9.*

Ira, quasi parata lapides iactat blasphemiæ, & impropery. 1. Reg. *Semey maledicebat Dauid, mittens lapides aduersus eum.* Sed iste prius se percutit in capite, quàm alium in veste. Eccle. *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadit.* *Reg.16.* *Eccle.12.*

Accidia, foueam euacuat ab aquis gratiæ; spiritus enim tristis exsiccat ossa. Iudith. *Holofernes*, id est, Diabolus) *fecit præcludi aquæ ductum, ne veniret in ciuitatem cordis, ipsum letificans.* Psal. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem, &c.* *Iudith.12.* *Psal.45.*

Auaritia, foueas implet per terrenorum cumulationem. Daniel. *Venit rex Aquilonis, & portabit aggerem, scilicet diuitiarum, & capiet vrbes munitissimas.* Multi videntur captionem suam diligere, qui non cessant fossatum paupertatis implere, diuitias congregando. Eccle. *Multos perdidit aurum & argentum.* *Dan.40.* *Eccle.8.*

Luxuria, ignem succendit. Iob. *Ignis est vsque ad consumptionem deuorans.* Hunc ignem portant iuuenes lasciui, & & ornati. Ioel. *Ante faciem eius ignis deuorans, & post eum comburens flamma.* *Iob.31.* *Ioel.2.*

Gula, hunc ignem nutrit, & accendit, apponendo ligna cibariorum. 4. Reg. *Nabusardam succendit domum Domini.* *Reg.25.*

Psal. *Succenderunt igitur sanctuarium tuum.* scilicet superbia, & gula.

Tertiò, considerandus est modus vincendi. Circa hoc notandum, quòd tentatio vincitur multis modis, scilicet,

Resistendo.
Humiliando.
Orando.
Confitendo.
Spiritualiter exultando.
Fugiendo. Fidem seruando.

Primò, vincitur resistendo, & maximè in principio tentationis. Diabolus enim, dum paruulus est, de facili occidi potest: sicut ignis, antequam crescat, extingui: & infirmitas, antequam radicetur. Greg. *Si tentationi in corde nascenti festinè non resistitur, eadem hora, qua nutritur, roboratur.*

Iacob. 3. Iac. *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Sicut resistereres aduersario corporali, antequam hæreditatem, vel res tuas amitteres: & mortem corporalem incurreres: sic & spirituali resistas, ne mortem æternam incurras, & thesaurum gratiæ, &

Eccl. 10. virtutum hæreditatem amittas, quia Eccl. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdit.* Tene ludum tentationum, quia vno ictu totus ludus perditur. Et nota, quomodo reinuitandum sit ad ludum, sicut reinuitauit Antonius, quando *vulneratus* rediit ad eremum: & tunc inuitauit Dæmones. Et Laurentius, quando dixit (affatum est, iam versa, & manduca) quasi dicat, te inuito de alio latere: & tunc Diabolus stupefactus ludum dimittit: sicut dimisit Antonium. *Estote fortes in bello, &c.* Cùm ergo tibi cupiditas vanitatis, seu tentatio carnis offertur, esto velut periculosus epulator, qui cibos immundos, seu *non bene paratos in faciem proiicit* apponentis: sic cum indignatione tentationes à te reiiciens, quasi catino Diabolum in fronte percutiens. Item, qui pannos suos comburere sentit, amouet igem: & miser homo sentit se comburi igne concupiscentiæ malæ, & luxuriæ, & pedè mentis non retrahit. Ber. *Abscondi ignem in sinu meo, exusto iam latere, iam sanie defluente: ad hæc consulendum est, an excutiam illum.*

Secundò, vincitur humiliando. Humilitas sola est, quæ euadit omnes laqueos Diaboli, vt dictum est de Antonio.

Rhete

Rete enim Diaboli non capit piſciculos, id eſt humiles. humiles iuuat Deus in prælio, quia ei victoriam de omnibus attribuunt: & ideò non in ſe confidunt. *Cuſtodiens paruulos Dominus humiliatus ſum, &c.* Diabolus enim vadit per mentem ſuperbiæ, humiles per valles humilitatis: ideò eos non inuenit; quia non vadunt per viam ſuam. Grego. *Quotidie tela mittimus, ſi confoſſi tribulationibus, humilia reſpondeamus.*

Tertiò, orando. Exo. *Cum eleuaret Moyſes manus, vincebat Iſrael.* Iud. *Memores eſtote ſerui mei Moyſi, qui Amaleth non ſeruo pugnando, ſed precibus debellauit.* Plus valet vnus Sanctus orando, quàm innumeri peccatores præliando: ſicut dicit quædam glo. Debet petere auxilium à Deo, qui tentatur, ſicut faciunt in caſtro. Item, viri Iabes miſerunt ad Saul pro ſuccurſu, & habuerunt, cùm obſediſſet eos Naas Simonites, qui interpretatur ſerpens, & ſignificat Diabolum. Iſid. *Frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit.* Ab his, qui vigilant, latrones diuertunt: ſed dormientes ſpoliant, ſic ab his, qui vigilant in orationibus, Dæmones diuertunt. Matth. *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Exo. 24. Iud. 4. Matth. 24.

Quartò, vincitur confitendo. In vitis Patrum dicitur, quòd nihil ſic confundit virtutem Dæmonum, quàm ſi quis ſecreta immundatum cogitationum reuelauerit ſanctis patribus. Latrones fugiunt eos accuſantes: ſic Dæmones confitentes. Hiero. *Reuelata proditione: fugiet inimicus.* Eccle. *Qui reuelat arcana amici, fidem perdit.* Et poſt. *Si denudaueris abſcondita eius, non perſequeris poſt eum.* Debet reuelare iudici confeſſori, qui latrones (id eſt peccata) in domo ſua inuenit, id eſt in corde. Eccl. 28.

Quintò, vincitur ſpiritualiter exultando. Dicit Antonius. *Vna ratio eſt vincendi inimicum, lætitia ſpiritualis.* 1. Reg. *Dixerunt Philiſtæi, id eſt Dæmones: non fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius. væ nobis, venit Dominus in caſtra.* Exemplum de Antonio, quando circunfulſit eum lux (id eſt conſolatio ſpiritualis) Omnes Dæmones fugerunt ab eo. &c.

Sextò, vincitur fugiendo, quantùm ad tentationem carnis. Corinth. *Fugite fornicationem.* Sic, Gen. 39. de Ioſeph, qui, relicto pallio, aufugit. Luxuria eſt ignis, homo fœnum. Iſa. *Omnis caro fœnũ.* Et ſicut non eſt ſecurũ, fœnũ eſſe iuxta Cor. 6. Gen. 39. Iſa. 9.

ignem. sic nec hominem iuxta mulierem. Item, ouis naturaliter fugit lupum, & auis accipitrem & homo rationalis non fugit Diabolum, & mulierem, sicut fugeret serpentem?

Eccl. 3. Eccl. *Quasi à facie colubri fuge peccata.*

Septimò, fidem seruando. Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna.* Fides enim ostēdit homini vitam æternam: pœnam, si victus fuerit. Greg. *Solerter inuigilandum est: vt cum culpa blandiri incboat: ad quod meritum mens trahatur, agnoscat.*

Apoc. 11. Item, ostendit ei coronam, si vicerit. Apocal. *Esto fidelis vsque ad mortem &c.*

Circa vltimum nota, quòd vtilitas tentationum multiplex est. Tentatio proueniens

Hominem erudit.
Mentem humiliat.
Negligentiam fugat.
Cor conseruat.
Et coronat.

Eccl. 34. Iud. 3. Primò dico, quòd tentatio hominem erudit. Ecc. *Qui tentatus non est, pauca recognoscit.* Idē. *Qui non est tentatus* Iud. *Hæ sunt gētes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israel, & omnes, qui non nouerant bella Cananeorum.* id est Dęmonū qui interpretantur negociatores; quia semper in tentando negociantur. Et sequitur. *Vt postea discerent filij eorum pugnare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.*

Secundò, mentem humiliat. Grego. *Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant.* Idem. *Iebuseum Israel tolerat, vt humana mens de se humilia sentiat, dum minima non superat.*

Tertiò, negligentiam fugat. Cruda regula, si mittatur in flumine, statim dissoluitur, cocta non. Ita homo carnalis, qui non est de igne tentationis decoctus. glo. super illud Psal. *Proba me, &c.* Tenta me dicit: quia nisi tentaremur, negligentes essemus.

Quartò, animam conseruat. Greg. *Tunc interius bene custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exterius: aliquando vitiis, aliquando pressuris.* ad Corinth. 2. Cor. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, &c.* Et nota, quòd paterfamilias non dimittit bladum in campo: nec vinum in vinea quousque sit putridum: sed quousque sit maturum. Nec

forna

furnarius panem in furno dimittit, quousque comburatur: sed donec coquatur: sic Deus hominem in tribulatione omnino non derelinquit: sed quousque purgetur. 2. Petr. *Pet. 2.* *Nouit Deus pios de tentatione eripere.* Quintò, coronat. Iac. *Iac. 1.* *Beatus vir, qui suffert tentationem, &c.*

De Thesauro.

THesaurus tripliciter distinguitur, nempè Scientiæ, vel doctrinæ.
Animæ pretiosæ in corpore.
Virginitatis in carne.
Gratiæ in corde.
Fidelitatis, & constantiæ.
Benignitatis, & misericordiæ.
Charitatis, & amicitiæ.
Et æternæ vitæ.

Primus thesaurus est scientiæ, & doctrinæ, quæ pretiosior est auro, & argento. Prouerb. *Beatus vir, qui inuenit sapientiam, &c.* *Prouerb. 3.* Pretiosior est cunctis opibus, &c. Isa. *Dabo tibi thesauros absconditos, vt scias.* Matth. *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* *Isa. 49.* *Matth. 16.* ager iste, in quo thesaurus absconditur, est Christus. 1. Coll. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Nau. *Aperi eis Domine thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt cesset, &c.* *Coll. 2.* *Nau. 11.*

Secundus thesaurus, est animæ pretiosæ in corpore. 2. Corinth. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus,* id est, in carne fragili, thesaurus dicitur, quia pretioso sanguine redempta, qui præualet omni auro. 2. Petr. *Non corruptilibus auro, & argento redempti estis, &c.* *Cor. 4.* *Petr. 2.* Bern. *Totus mundus ad vnius animæ pretium æstimari non posset.* Non enim pro toto mundo redimendo dedisset se Deus ad mortem, quod fecit pro anima hominis. Quam ergo commutationem dabis pro anima tua, qui pro modico das illam? Nónne pro ea à regalibus sedibus filius Dei descendit, vt eam liberaret de potestate Diaboli?

Tertius, est virginitatis in carne. Iob. *Nunquid ingressus es thesaurum niuis, aut thesaurum grandinis aspexisti?* *Iob 38.* Virginitas dicitur nix propter candorem, & virginitatem; ideò comparatur liliis. Cant. *Sicut lilium inter spinas, &c.* *Cant. 2.* Grando dicitur propter motus, quos aliquando habet grauiores, vt

dicit Ier. quòd libido in virginibus maiorem parit famem: dulcius æstimatur, quod nescitur. Thesaurus dicitur propter pretiositatem. Eccl. *Omnis ponderatio,* (scilicet cuiuslibet rei temporalis, & quanticunque valoris sit) *non est condigna animæ continenti:* non dicitur corporis continentis, sed animæ; quia continentia corporis sine continentia mentis, parùm prodest, sicut habes. 1. Cor. de Virginitate.

Eccl. 26.

Corinth. 1.

Prou. 1. Quartus, est gratia in corde. Prou. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti.* id est, gratia in corde iusti: & dicitur gratia oleum; quia lenit cor, & impinguat per deuotionem. Psal. *Impinguasti in oleo caput meum.* id est, mentem meam spirituali lætitia repleuisti. Dicitur thesaurus: quia prætualet omni auro. Prouerb. *Super aurum, & argentum gratia bona.* Vnde versus. *Mundus centenis petit auro gratia plenis.* Nota, super bona, quæ dat gratia. Iucunditas enim cordis, quæ ex gratia prouenit, & puritate conscientiæ est thesaurus magnus. Eccl. *Iucunditas cordis, hoc est, vita hominis, & thesaurus sine defectione sanctitatis.*

Psal. 11.

Prou. 11.

Eccl. 30.

Isa. 33. Quintus, est virtus fidei in anima. Isa. *Erit fides temporibus suis diuitiæ salutis sapientia, & scientia: & timor Domini ipse thesaurus eius.* Iob. *Quasi effodientes thesaurum, gaudent vehementer, cùm inuenerint sepulchrum.* Thesaurum effodere, est defectus ad se humiliandum considerare. Sepulchrum inuenit, qui vsque ad perfectam considerationem sui inuenit, vt sibi fœteat vt sepulchrum. Ezech. *Desplicebitis vobis in conspectu vestro super omnibus, quæ feciistis.*

Iob 3.

Ezech. 20.

Eccl. 30. Sextus, est misericordia ad proximum. Eccl. *Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi.* id est, in operibus misericordiæ, secundùm quòd præcepit altissimus. Luc. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosinam. facite vobis loculos, qui non veterascunt, thesaurum indeficientem in cœlis.* Sequitur. *Et proderit tibi magis, quàm aurum.* scilicet absconditum. Eccl. *Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum.* Sicut perditur semen in terra proiectum. & ne abscondas in lapide in perditionem, scilicet tuam. sicut ille, qui dixit Luc. *Anima mea multa habes reposita, &c.* vel in perditionem pecuniæ. Sicut ille, qui scripsit in pariete, hîc sunt: & alius, qui accepit, scripsit. hîc non sunt. Ideò dicitur Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo, &c.* Sicut ille, qui dixit se nihil habere,

Luc. 12.

Eccl. 30.

Luc. 16.

habere, nisi trecentos aureos, quos pauperibus dederat.

Septimus, est thesaurus charitatis, & amicitiæ. Eccles. *Amicus fidelis, protectio fortis: qui inuenit illum, inuenit thesaurum, quo vtatur tempore necessitatis.* Eccles. *Amico fideli nulla est comparatio:* Et non est digna ponderatio contra bonitatem fidei illius: quia amicus semper iuuat, etiam post mortem. Eccl. 7. Eccl. 30.

Octauus, est vita æterna. Deut. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum.* scilicet, quando dicet. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, &c.* Hunc qui inuenit, vendit omnia, quæ habet, & emit thesaurum illum. Matth. *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo, quem oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.* Deut. 38. Matth. 13.

De Tribulatione.

Tribulatio patienter susceptа

Hominem à peccato separat.
Animam languidam sanat.
A peccato retrahit.
Ad viam rectam adducit.

Primò, tribulatio separat hominem à peccato, & ab amore mundi. Est enim tribulatio, velut absinthium, quo hi, qui sunt spirituales, à temporali consolatione separantur: sicut pueri aliqua amaritudine à lacte matris separantur. Electis suis Deus iter asperum facit: ne, dum delectantur in via, obliuiscantur eorum, quæ sunt in patria. Sed sicut pulmentum adhæret ollæ, in qua decoquitur, nisi sæpè moueatur. Sic cor hominis huic mundo, nisi tribulationibus agitetur. Augustus. *Ecce turbat mundus, & amatur, quasi si tranquillus esset.* quomodo inhæreret formoso, qui sic amplectitur fœtidum.

Secundò, sanat animam ægrotantem. Gaudere debet infirmus, cùm videt cœlestem medicum intromittere se de infirmitate sua, & ex hoc sperare veniam. Illi, qui in hoc mundo in omnibus prosperantur, sunt sicut infirmus, qui desperatus à medico, relinquitur voluntati suæ: cui nihil, quod petat, denegatur. Greg. *Desperatis ægris quicquid dari poscunt, medici dari præcipiunt. Qui autem ad salutem reduci possunt, ijs multa dari contradicunt.* Maius autē beneficiū confert Deus homini, quando ipsum affligit, quàm quando ipsum

prosperari permittit, plus enim confert prauo, qui ipsum corrigit, quàm, qui libitum suum facit. Et frenetico, vel insano, qui ipsum ligat, quàm qui eius insaniam non refrænat: tunc enim exponitur periculo: sicut nauis sine nauta

Psal.80. ventis, & procellis exponitur. Psal. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Mactandus vitulus, liber ad pascua dimittitur.* Seruandus, iugo premitur; quia iniustus ad debitam mortem effrænatis voluptatibus vtitur. Iustus verò à delectatione transitoriæ iucunditatis restringitur.

Tertiò, à peccato retrahit, & ardorem concupiscentiæ restringit. Est enim succursus homini missus à Deo. si domus alicuius igne esset succensa, qui ei aquam ad restringendum offerret, obsequium, & subsidium reputaret, non nocumẽtum. Tribulatio est aqua, quæ domum conscientiæ igne cupiditatis succensam extinguit. Exemplum de beato Benedicto, qui propter tentationẽ carnis vitandam proiecit se inter spinas, & vrticas nudus: & vulnere carnis

Eccl.11. sanauit vulnus mentis. Et eremita, qui combussit digitos suos, vt vitaret peccatum fornicationis. Eccl. *Malitia vnius horæ obliuianẽ facit luxuriæ maximæ.* Greg. *Quis nesciat, quòd melius est ardere igne febrium, quàm igne vitiorum?* Et tamen cùm febre corripimur: murmuramus & æstum vitiorum, qui occupare nos poterat, considerare negligimus. Item si quis ab hostibus suis duceretur super equum velocem, nisi esset ab hostibus occidendus, gratũ haberet, si quis equum illum occideret: vt sic ab hostibus liberaretur. quantũ ergo gratum esse debet ei, qui corpus suum lasciuum, quod ducitur ad mortem, in tribulatione, vel infirmitate aliqua debilitat: vt sic à Dæmonibus, & à pœna æterna liberetur. Gregor. *Durum non æstimes, quod pateris, dummodo ab æternis cruciatibus, & extrema passione libereris.* Itẽ si duellum committeres cum aliquo, gratum haberes, si quis hostem tuum debilitaret in tantum, vt tibi nocere non posset. Duellum

Gal.5. est inter carnem, & spiritum. Gal. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Vnde magnas gratias debet homo agere Deo, si carnem suam aliqua infirmitate, vel tribulatione debili-

Cor.9. tet, vt à spiritu superetur. Corinth. *Castigo corpus meum, &c.*

Eccl.10. Eccl. *Tribulatio facit cessare peccata maxima.*

Quantò

Quartò, ad viam rectam errantes reducit Dominus: sicut bonus pastor ouem errantem ad viam reducit. Psalm. *Erraui sicut ouis, &c.* Quære seruum tuum Domine. Quando aliquis porcum suum, vel ouem ducit ad pascua, vel ad forum, & non vult eum sequi, ligat fune, vel virga percutit: & sic inuitum ducit. Sic ligat nos Dominus in infirmitate, & aliis defectibus; quia nolumus eum aliter sequi. Psalm. 118. Oseæ. *In funiculis Adæ traham eos.* id est, in vinculis charitatis. Item, Pastores pecora sua, insequentibus hostibus, ad loca munita fugere compellunt: sic nos Deus in infirmitatibus, & tribulationibus ad cœlestem patriã intrare compellit. Luc. *Compelle intrare.* gl. qui aduersitatibus fracti ad amorem Dei redeunt, compelluntur intrare. Item, Sicut homo percutit equum, vel asinum suũ, vt ad viam redeat, vel vt citius vadat. Sic Deus vrget nos tribulationibus. De primo, Isa. *Domine in angustia requisierunt te.* Psal. *Implesacies eorum ignominia, &c.* De secundo idem. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Mira fatuitas hominum, bruta animalia quare percutiantur, agnoscunt: si sunt extra viam, ad viam redeunt: si in via, accelerant: & miser homo quare percutitur, non aduertit. Psal. *Vir insipiens non cognoscet, &c.* glo. Qui nescit se cædi, vt sit hæres dimisso exhæredato, cui paratur à flagello. Oseæ 11. Luc. 15. Isa. 27. Psal. 82. Psalm. 91.

Iterum in tribulatione homo.

Probatur.
Purgatur.
Consolationem meretur.
Calice potatur.
Illuminatur.
In regnum introducitur.

Primò, in tribulatione, qualis sit homo, probatur, sicut aurum in fornace. Iob. *Probauit me quasi aurum, quod per ignẽ transit.* Aurum rationibus dilatatur. Sic Sancti tribulationibus. Ferrum calidum debet malleari, non frigidum. Sic sancti amore Dei succensi debent in tribulationibus probari: & ferrũ calidum, dum tondetur, dilatatur: sed frigidum, frangitur. Bonus puer quando verberatur à patre, misericordiam petit, & emendationem promittit. Sed peruersus blasphemat, & irascitur, & peiorem se futurum ostendit. Iob 23.

Eccl.20. Eccles. Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris, olla fictilis vacuas ad ignem crepat, & magnum sonitum reddit: sed plenas non. Ita homo vacuus a gratia, crepat
Eccl.27. in tribulatione per impatientiam. Eccles. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Et nota, quòd Dominus non semper liberat suos ab infirmitatibus, & tribulationibus, sed bene vult probare eos. Pater enim non liberat filium suum de manu chirurgi, vel magistri: licèt videat eum affligi sub manu eius; quia scit sibi prodesse in futurum: sic Deus suos à tormentis. Non enim liberauit Petrum à cruce, Paulum ab ense, aliósq; Apostolos, & prophetas, atque martyres à pœnarum crudelium cruciatibus.
Heb.11. Heb. *Alij distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij verò ludibria, & verbera experti: insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Itē, qui peccat, debitor est pœnæ, & tenetur pœnam soluere; ideò non debet homo grauiter ferre, si Deus eum affligat in præsenti; quia vult eum acquitare, & emendam de pecato suo accipere in centuplum minorem, quàm postea soluere. Item, pueri quantò plus verberantur, tantò magis addiscunt, & melius
Isa.26. sibi consulunt, quàm si dimitterentur voluntati eorum. *Is. Misereamur impio, & non discet facere iustitiam.* Item, virtus medicinæ non statim sanat: sed primò amaritudo, postea vtilitas comprobatur: sic est de vtilitate flagellorū; ideò di-
Ioan.13. xit Dominus Petro. Ioan. *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.* Item, pater filium in decursorio ab ictibus non liberat: licèt videat ipsum graues ictus sustinere, vt laudem patiendo acquirat: sed si viderit eum in periculo, non posset sustinere, quin ipsum adiuuaret: sic Deus amicos suos sustinet affligi in præsenti: vt laudem, & gloriam cœlestis patriæ acquirant: sed si in periculo animæ eos videret, liberat. Ideò Dominus exposuit Iob periculo corporis, & rerum: & dixit Diabolo. Verumtamen animam eius
Psalm.9. serua. Psal. *Adiutor in oppor. in tribulationibus.* Tunc enim opportunum est, cùm de periculo animæ agitur.

Secundò, in tribulatione anima purgatur. Mulier bonos pannos sæpe lauat: sed viles, & veteres putrescere permittit: Sic Deus iustos flagellat in præsenti: sed peccatores

in ec

in peccatis putrescere permittit. Hebr. *Flagellabat omnem filiũ, quem recipit.* Sustinenda ergo est tribulatio, per quam à pœna æterna liberatur, qui sustinet. Exemplum de infirmo, qui patitur abscindi sibi pedem, ne totum corpus amittat: & fur auriculam, vt euadat suspendij pœnam. Hebr. 12.

Tertiò, in tribulatione consolationem meretur. Deut. *Afflixi te penuria, & dedi tibi manna.* Quantò sunt amariores herbæ medicinæ: tantò plus oportet apponere de zaccaro, vel melle, vt infirmo facilius propinentur: sic de consolatione in tribulatione. Psal. *Secundùm multitudinem dolorum meorũ in corde meo consolatio tua, &c.* A qua amara transiens per aquam dulcem, dulcis efficitur. Et vinum dulce transiens per gariofolum, quasi gariofilatum est: Sic tribulationes, & tentationes, quæ prius per Christum, & sanctos eius transierunt. Exemplo ergo illorum debent nobis esse dulciores. Ber. *Magna consolatio membris ex capite.* Heb. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus contradictionem.* Greg. *Facta præcedentium recolamus, & non erunt grauia, quæ toleramus.* Sed quidam sunt similes simiæ, quæ inueniens amaritudinem in cortice nucis, eam proiicit: & ideò non gustat de dulcedine nuclei. Sic aliqui infideles, amaritudinem tribulationis, & pœnitentiæ sentientes, exterius eam proiiciunt; ideò consolationem interius non sentiunt. Sap. *Sapientiam, & disciplinam qui abiicit, infœlix est: & vacua est spes eorum, & labores sine fructu.* Dicitur, quòd in palatio Iouiniani erant duo dolia vini, vnum plenum amaro vino, aliud verò optimo: & quicunque volebat bibere de optimo, oportebat eum prius de amaro bibere: sic secundùm Greg. *Si mens appetit, quod demulcet, prius bibat quod dolet.* Tribulatio dicitur à tribulo, vt quibusdam placet) est autem tribulus herba pungitiua, & tribulari deductum videtur ab angustia, & dolore illorum, qui tribulum ferri, vel tribulum herbam calcauerint. Deut. 8. Psalm. 50. Heb. 12. Sap. 3.

Quartò, in tribulatione calice Domini potatur homo, & cibo pascitur. Vnde, tribulatio est calix, & cibus, quo Dominus potat, & cibat suos amicos. Dicitur calix à calida potione: & est illud vas quo solent medici ægris propinare medicinã, & est quædã mensura; quia Deus dat nobis potũ lachrymis in mẽsura. Quid hac in vita nõ experimur aduersi?

quas

quas non procellas, tempestatésq; perpetimur? quibus non exagitamur incommodis? cuius meritis parcitur? Sicut n. non iraſceretur homo, ſi rex faceret eum ſedere ad menſam ſuam, & de cibo ſuo comedere, & calicem ſuum potare: ſic non debet iraſci de tribulatione. Sed quidã ſunt, qui non multùm videntur diligere Deum; quia in menſa eius nolunt comedere, nec de cipho ſuo potare, id eſt nolunt aliquid pati pro Chriſto: volunt eſſe ſocij in lucro, &

1. Cor. 1. nõ in damno, vel labore; cum tamẽ dicat Apoſt. ad Corint. *Si fuerimus ſocij paſſionum, erimus & conſolationum.* Ioſeph. primò dictus eſt Benoni. i. filius doloris, poſtea Beniamin. i. filius dextræ. Exemplũ de malo ſocio. Iſti mutuo accipiũt,

Pſalm. 36. & nihil ſoluere volunt. Pſal. *Mutuabitur peccator, &c.* non ſolùm hîc, ſed in futuro. Itẽ, tandiu eſt moneta vtilis ad lucrandũ, quandiu eſt in curſu: modò moneta tribulationis,

Zech. 4. & pœnitentiæ eſt in curſu, modò vna denariata in hoc ſeculo valet centum in alia. Ezec. *Diem pro anno dedi tibi.* Itẽ, Fur, qui non habet vnde ſoluat, plectitur in corpore: & ita crimen pœna compenſatur: Sic peccator, qui non vult modò facere pœnitentiam, & ſoluere quod debet in præſenti, verberatur infirmitate, vel in alia tribulatione: vel ſoluit in centuplum in inferno, vel purgatorio. Iſidor. Nequaquã Deus delinquenti parcit; quoniã peccatores flagello temporali ad purgationem ferit: aut iudicio æterno puniendum reliquit: aut ipſe homo in ſe ipſo punit, quod malè admiſit. Nota, boni modò franguntur per tribulationes, & infirmitates: ſed, ſicut vas argenteum, reparabuntur melio-

Prou. 25. res, & puriores. Prouerb. *Auſer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſsimum.* Sed mali non reparantur, ſicut vas

Pſalm. 2. de terra. Pſalm. *Tanquam vas figuli confringes eos.* Item, ſicut faber limat argentum, vt clarius ſic: ſic Deus ſuos affligit, vt puriores ſint. Auguſt. *Quod lima ferro, quod fornax auro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio viro iuſto.* Greg. in Dialog. *Sicut imperiti homines nec dum ſculpta ſigilla, vel imagines aſpiciunt, & tanquam perfecta laudant: & tamen artifex conſiderat: & ſi mox iam laudari gaudet, non deſinit tamen meliorando condere. Sic plerunque illi, quos iam perfectos homines exiſtimant, adhuc in oculis ſummi Pontificis aliquid imperfectionis habent, & quotidie limat eos infirmitatibus, & tribula-*

tionis

tionibus. Item, videmus quosdam torneatores ad sonitum timpanorum, & clamorem bedellorum in gladios ruere: pondera armorum, & duros ictus cum patientia sufferre pro modico vanæ laudis: qui pro gloria æterna modicam pœnitentiam ferre nolunt. Ad quod admirans Aug. ait. *Heu quàm dolendum, quàm pudendum, delectat, vt culpa impleatur: & non delectat, vt Deus acquiratur.*

Quintò, In tribulatione homo illuminatur. Tren. *Ego vir, videns paupertatem meam in virga indignationis tuæ.* Greg. *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit.* Isa. *Sola vexatio dabit intellectum auditui.* Quare ait Gerson, doctor deuotus, & eruditus. *Tribulatio exercens probat ad virtutem: vel purgat, vel liberat à reatu, vel erudit ad sapientiam.* Tren. 3. Isa. 28.

Sextò, Per tribulationem in regnum introducitur. Matt. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sicut homo tãdiu tenet canem ligatum domi suæ, donec fuerit domesticus, & dimittit eũ liberè quocunque ire ad libitum: Sic Deus ligat nos, modò tribulationibus, & infirmitatibus in præsenti: sed post dimittit nos liberos in domo sua cœlesti: *Tunc creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Item, in quibusdam partibus est consuetudo, quòd pro festo nuptiarum conuiuæ, & amici sponsi, & sponsæ consueuerunt se inuicem verberare, dicentes, tene de nuptiis. Eodem modò, ô anima, sancta sponsa Christi, te oportet in præsenti (antequam cum gaudio introducaris in thalamum sponsi tui) tribulationum, seu tentationum grauamina sustinere, tene totum ad ludum, & festum nuptiarũ: nec ludum conuertas ad iniquitatem, impatienter, vel cum murmure sustinendo; quia dicit Seneca. Vir bonus, quicquid sibi acciderit, æquo animo sustinebit, sciens hæc lege diuina sibi contigisse. Eccl. *Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iucunditatis.* Matth. 5. Eccl. 2.

De timore Domini.

TImor quintuplex est, seruilis, filialis, castus, gratus, sanctus, cæteris cõmissis. De timore Domini est sermo, qui est timor sanctus, quatenus est bene ordinatus respectu obiecti, & talis timor est respectu Dei, qui est à se, per se, & propter se, & omnia alia sunt à Deo creata, & per Deum

Deum conseruantur in esse: & sunt propter Deum; quia ad Deum ordinantur: ergo solus Deus de se, per se, & propter se diligendus, & timendus est, ne offendatur.

Timor Domini facit multa bona: sed primò de duobus agamus. Timor Domini.

Peccatum expellit à corde.

Custodit à malo culpæ.

Primò ergo, peccatum expellit à corde. Quando, aliquis magnus dominus vult hospitari alicubi, præmittit nuntium, qui domum mundet, & præparet: Sic facit Deus, im-
Eccl. 1. mittẽdo timorẽ. Eccl. *Timor Domini expellit peccatum.* Nam.
Eccl. 2. *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Idẽ. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua.* scilicet ad recipiendum eum. *Et in conspectu illius sanctificatur animus suus.*

Prou. 8. Secundò, custodit à malo futuræ culpæ. Prou. *Timor Domini odit malum.* Et ideò non permittit illud intrare in domum cordis; ponit enim infirmum vel diem iudicij quasi quoddam terriculamentum in corde, ad terrendum vitia, & Dæmones: sicut solent homines ponere in hortis suis
Eccles. 33. ad terrendum aues, Eccl. *Timenti Deũ non occurrent mala, sed in tempore Deus illum conseruabit, & custodiet à malis.* Timor enim est cordis ianitor, & ligatum ab ingressa eius, vitia
Eccl. 1. deterrens claua terribili, timor inferni, & iudicij. Eccl. *Timor Domini scientiæ religiositas.* Religiositas custodiet, & iustificabit cor, iucunditatem, atque gaudium dabit. Timor
Psal. 118. fures spirituales in terra cordis habitantes crucifigit. Psal. *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs tuis quæ feci.* De Adã timui, & de Angelis malis: de Sodomitis, & de diluuio qualem vindictam sumpsisti? Timor Domini semper futurum iudicium ante oculos mentis gerit. Hier. *Siue comedã, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper videtur auribus meis intonare illa tuba. Surgite mortui, venite ad iudicium.* Si enim tantùm timet aliquis, cum facit se reum alicuius criminis in curia iudicis secularis: quantum timere debet, qui tot, & tantorum criminum scit se reum ante iudicem districtissimum? Hier. *Si tanta cura pertimescitur iudicium pulueris, qua formidine præuidendum est iudicium maiestatis?* Sed attende, quòd timor seruilis, vel mundanus est velut ostiarius pictus in portis diuitũ, qui eleuata clava videtur velle

percu

percutere ingredientes,& ingressum prohibere:quod tamẽ non facit:sic timor,qui sine charitate est, videtur timorem expellere:sed omnino non expellit;quia dicit. Aug. *Quòd manet in timore seruili peccandi voluntas.* Et sequeretur opus, si speraretur impunitas. Item,timor Domini est.

Gratiæ Dei collatio,& conseruatio.
Bonorum operum multiplicatio.
Misericordiæ repromissio.
Mentis illuminatio.

Primò igitur,timor Domini est gratiæ collatio, & conseruatio. Bern. *In veritate didici nihil esse ita efficax ad gratiã promerendam,& recuperãdam, & retinendã,quàm si omni tempore inueniaris nihil aliũ sapere,sed timere. Time,ergo,cũ arriserit gratia:time,cum amiseris:time,iam de malo reuertitur: time,cum adest gratia,ne indignè opereris ex ea,time,subtracta gratia,quasi mox casurus:time,quia dereliquit te custodia tua: sed si redierit gratia,multò magis,& multò amplius time.* Timẽdum,ne fortè contingat peccati recidiuum. Recidere enim, quàm incidere,deterius est,iuxta illud.Ioan. *Ecce sanus factus es,iam amplius noli peccare,ne deterius tibi contingat.* Ioan. 5. Item,timor Domini hominem meliorat, vt vnus timens Deum millibus aliis præferatur. Eccl. *Melior est vnus timens Deum,quàm mille filij impij.* Eccl. 15. Et nota, quòd qui nimis timet pœnam corporalem,habebit maiorem. Qui timet pruinam,irruet super eum nix. Matt. *Nolite timere eos,qui occidunt corpus,&c.* Aug. *Si creaturæ seruiunt,time Deũ,non illas;quia omnia sub illo sunt. Cupiditatem nocendi habent:potestatem autem, si ille non dat,nõ habent.* Matth. 10. Vnde,magna sapientia est timere Deum semper. Eccl. *Homo sapiens in omnibus metuit.* Eccl. 18.

Quartum,est bonorum operum multiplicatio. Eccl. *Qui timet Deum,faciet bona.* Grego. Deum timere est nulla,quæ. facienda sunt,præterite. Eccl. *Qui timet Deum,nihil negligit.* Eccl. 15.

Quintum,est bonorũ promissio. Thob. *Multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato,* Eccl. 7. *& fecerimus bene.* Thob. 4. Promititur timentibus Deum.

Paterna misericordia.
Temporalis sufficientia.
Dulcedo interna.
Longa vita.

Æterna

Æterna gloria.

*Psal.*122. Primò, promittitur paterna misericordia. Psal. *Quomodo*
*Eccl.*1. *miseretur pater filiorum: misertus est Dominus timētibus se*, Eccl.
Psal. 33. *Timentibus Deum bene erit in extremis, &c.* Psal. *Oculi Domini super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.*

*Psal.*33. Secundò, promittitur temporalium sufficientia. Psal. *Timete Dominum omnes Sancti eius*: Quoniam non est inopia timentibus eum. gl. Temporalium. Aug. *Pascit contemnentes se, & deserit timentes se.* Iniustus videretur.

*Eccl.*1. Tertiò, promittitur dulcedo interna. Eccl. *Timor Domini delectabit cor, & dabit gaudium, & lætitiam in longitudine die-*
*Psal.*10. *rum.* Psal. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quā absconditi timentibus te. gl.* Quam tamen impius non sentit; quia de febre iniquitatis palatum cordis amisit.

*Prou.*10. Quartò, promittitur prolongatio vitæ. Prou. *Timor Domini apponit dies, & anni impiorum breuiabuntur.* Timor Domini fons vitæ indeficiens, vt declinet à ruina mortis.

Quintò, promittitur beatitudo, & æterna glo. Eccl. 1. Ti-
Prou. 27. mor Domini gloriatio. & gl. Prou. *Beatus homo, qui semper*
Eccl. 25. *est pauidus, qui verò mentis est duræ corruet in malum.* Eccl. *Bea-*
Eccles. 33. *tus est, cui donatum est habere timorem Domini.* Idem. *Timenti Deum beata est anima eius.* i. habebit beatitudinem æternā. Sed sciendum est, quòd debemus timere Deum propter tria.

Propter potentiam, quia inuisibilis.
Propter sapientiam, quia infallibilis.
Propter iustitiam, quia inflexibilis.

Primò, propter potentiam, quia fortissimus. Si fortitudo quæritur, robustissimus est plus enim timetur princeps, qui potest plus nocere: & serui eius, præcepta melius obseruant. Et ideò cum principes terræ non habeant potestatem, nisi super diuitias, & corpora. Deus autem super hoc & super animam, plus omnibus principibus, & regi-
*Matth.*10. bus timendus est. Matth. *Nolite timere eos, qui corpus occidut, animam autem non possunt occidere: Sed potius eum timete, qui corpus, & animam potest mittere in gehennam.* Mandata principum, & nunciorum sunt obseruanda sub pœna amittendi temporalia, & corporalia. Nuntij verò, & mandata Dei sub pœna horum, & animatum: & ideò præcepta Dei

diligen

diligentius obseruanda sunt. Psal. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* *Psal.118.*

Secundò, timendus est Deus propter sapientiam. Plus enim timetur pater familias offendi, quando scitur, quòd nihil potest eum latere: talis est Christus. Heb. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* 2. Reg. *Timuerunt regem Salomonem videntes sapientiam Dei esse in illo.* Timor domini prodest homini bene ordinato. Ioſ. *Nunc ergo timete Deum, & seruite ei corde perfecto.* *Geb.4.* *Reg.3.* *Ioſuæ.24.*

Tertiò, propter iustitiam. *Plus enim timent homines in terra iudicem, quem sciunt à iustitia, nec prece, nec pretio flecti posse.* Talis erit Christus in iudicio. Prouerb. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindicte, nec acquiescet cuiusdam precibus: nec suscipiet pro redemptione plurima dona.* gl. Expone de cœlesti sponso. Timor Dei Deo placet: Exo. 20. *Noli timere; vt enim probaret vos, venit Deus.* Deu. 6. *Dominum Deum tuum timebis.* Eccle. 1. *Vnus est altissimus Creator omnium.* *Prouer.6.*

Malachiæ. 1. Luc. 12.
Rom. 11. 1. Cor. 10.
Hc. 4. Apoca. 14.

De Verbo Dei.

VErbum (vt aliis placet) dicitur à verberatu, quòd verberato lingua intra palatum aëre omnis oratio promatur. Est autem duplex Verbum, immanens, & vocale. immanens est aliquid in intellectu productum: cuius quatuor sunt conditiones, quòd sit aliquid in intellectu, quòd sit aliquid mente genitum, quòd sit similitudo rei, quòd sit expressiuum, siue manifestatiuum rei, cuius est verbum: est aliquid in voce sub ordinatum verbo mentali. Sed Diuinum verbum audiendum est

Velociter, & libenter.
Reuerenter.
Memoriter.
Efficaciter.

Primò, debemus audire verbum Dei velociter, & libenter. Sicut enim pauperes festinant, & currunt ad portas diuitum, vt inde recipiant refectiones corporales vnius diei; & multùm infirmus, & debilis est, qui illuc non properat: sic ad refectionem animæ multò validus debemus festi-

nare. Iac. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum.* Item, natura dedit vnicuique vnum os, & duas aures: vt velociores simus ad audiendum, quàm ad loquendum. Item homo habet aures erectas, id est tendentes ad audienda cœlestia Dei verba, non pendentes ad terrena, vt animalia: Sed multi contra naturam, plus habent aures ad terrena pendenThim.4. tes, quàm ad cœlestia erectas. Thi. *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertent: ad fabulas autem conuertentur.*

Secundò, debemus audire verbum Dei reuerenter. Stultus est ille, qui vult emere frumentum, vel vinum: & plus attendit saccum, vel dolium: quàm frumentum, vel vinum: sic est ille, qui attendit in sermone, non quod dicitur, sed à Ioan.14. quo dicitur, cum tamen Dominus dixerit Ioan. *Sermonem, quem audistis non est meus, &c.* Non te moueat dicentis auLuc.10. ctoritas, nec quid dicat, sed quid intendat. Luc. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum, qui me misit.* Item, sunt quidam, qui audiunt verbum Dei solo animo audiendi, vt inde possint loqui: qui similes sunt vini propinatoribus, qui gustant plura vina, non vt emant, sed vt possint dicere aliis, hoc bonũ, illud melius: sic isti audiunt, non vt impleant: sed vt loquantur, vel detrahant. Item, sunt similes militibus, & clericis, qui vadunt ad nundinas, non vt emant, vel vendant: sed inde loquanPsal.53. tur. Psal. *Firmauerunt sibi sermonem nequam.* vt referant, sed Ezech.23. bonum, vt relinquant, Eze. *Audiunt sermones meos, & non faciunt eos:* sed in cantieum oris sui vertunt illos.

Tertiò, debemus audire memoriter. Cribrum, *si ponatur* in aqua, statim impletur: sed, cùm extrahitur, nihil remanet: sic multi sunt, qui sermonem audiunt, & pleni sunt aqua deuotionis: sed cùm recesserint, vacui remanent: & Eccl.21. eorum, quæ audierint, memoriam non habent. Ecc. *Cor fatui (quasi vas confractum) omnem sapientiam non retinet.* Item, Matth.4. sicut corpus cibo nutritur: sic anima verbo Dei. Mat. *Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo, &c.* Quid prodest sumere cibum, qui statim emittitur procul? conceptio, quũ statim mors sequitur? Ponere aliquid in saccum, pertusum? exprimere figuras in aqua, cum eas non retineat? Capere

au em

auem, quæ ſtatim amittitur? ſic audire verbum Dei, & proiicere illud? *Iſtud eſt congregare merces, & mittere eas in ſaccum perforatum.* iuxta prophetæ oraculum.

Quarto, debet audiri efficaciter, ſcilicet cum effectu. Multum deberet confundi clericus, qui per viginti annos frequentauit ſcholas, & adhuc neſcit Pater noſter, vel Credo in Deum. ſic multi, qui diu frequentauerunt ſermones, & adhuc ignorant, quomodo viuere debeant. Deut. *Diſcite ea, & opere adimplete.* Item, Pluuia facit exire de terra vermes, & buffones, & herbas germinari: Sic verbum Dei peccata ab homine, & bonum propoſitum germinare. Iſa. *Quo modo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur: ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo.* Non egredietur à me vacuus: ſed faciet quęcunque volui, & proſperabitur in his, ad quę miſi illud. Item, fatuus reputaretur ille, qui ex ſolo auditu medici, crederet ſe ab ægritudine curari, & non faceret, quod doceret: vel ex aſpectu ſpeculi, crederet à ſe deformitatem remoueri. Talis eſt, qui verbum Dei audit, & non facit. Iaco. *Eſtote factores Verbi, & non auditores tantum, &c. quia ſi quis auditor eſt verbi, & nõ factor, &c.* Item ſi dominus tuus mitteret ad te nuncium ſuum: & in oſtio ſolo illum reciperes, & non in domo, iraſceretur tibi. Nuncius à Deo ad te miſſus eſt, verbum Dei: Prouerb. *Sicut aqua frigida animæ ſitienti: ita nuncius bonus de terra longinqua.* Nuncius iſte in oſtio recipitur, non in domo, cum verbum Dei ſolummodo aure corporis, non corde auditur. Iſti habent aures, & non audiunt: contra Iob. *Auditis auris audiui te, idcirco, &c.* Item, Stilus inſertus trahit ad ſe naturam trunci. Sic verbum Dei cor ad ſuam naturam trahere dicitur. Iaco. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.*

Deu. 7.

Iſa. 55.

Iaco. 1.

Prouer. 25.

Iob. 12.

Iaco. 2.

Secundò, videndum eſt propter quod audiendum eſt verbum Dei, quia

Animam mundat.
Mentem illuminat.
Contractos ſanat.
Mortuus reſuſcitat.

Primò, animam mundat à ſordibus peccatorum vt medi-

cina corpus, & aqua vas immundum. Vas enim, cui frequenter aqua infunditur (licet aquam non retineat) est mundius, quàm si non infundere tur: sic ille, qui frequenter audit verbum Dei, quam qui non audit. Ioan. *Vos mundi*
Ioan. 15. *estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Nota, duobus modis valet verbum Dei, ad mundiciam cordis. Primò, quia ostendit maculas cordis, & ideò dicitur speculum. Se-
Prou. 12. cundò, quia dat gratiam aquæ ad abluendum. Prouer. *Doctrina bona dabit gratiam.*

Secundò, audiendum est verbum Dei; quia illuminat mentem. Si aliquis venisset de longinquis partibus, & apportasset tam pretiosas reliquias, quòd certus esset indubitanter, quòd tactu earum cæcus illuminaretur, claudus erigeretur, mortuus suscitaretur, insano sensus redderetur: nullus esset, qui non crederet ad tales reliquias. Nunquid cæcus est peccator, qui ita citò ponit pedem suum in luto, sicut in loco mundo? Tren. *Errauerunt cæci in plateis, polluti*
Tren. 4. *sunt sanguine.* id est peccato. Talis permittat se tangi verbo
Psal. 18. Dei, & illuminabitur, sicut in Psal. dicitur. *Declaratio ser-*
ibid. *monum tuorum illuminat, &c. Et lucerna pedibus meis verbum tuum.* Heu peregrinantur homines vsque ad S. Iacobum, & vltra mare pro lumine corporis recuperando, & fortè non recuperant: & nolunt vsque ad sermonem laborare *pro lu-*
Prouer. 6. *mine animæ, quod ibi recuperant?* Prouer. *Mandatum lucerna, & lux est.*

Tertiò, erigit contractos. Nunquid non contractus est, qui multis annis iacuit in lecto peccati? nec fuit in via recta salutis per vnam diem? Veniat ad sermonem, & recupe-
Eccl. 11. rabit gressum aculeo verbi Dei. Eccl. *Verba sapientum, quasi stimuli, qui faciunt claudos inertia ambulare.* Sed inueniuntur hodie multi, qui fugiunt sermones: *sicut* contractus, qui fugiebat S. Martinum, ne erigeretur.

Quartò, mortuos viuificat: resuscitantur mortui in pec-
Ioan. 5. catis verbo Dei. Ioan. *Amen dico vobis, quia venit hora, &*
Sap. 16. *nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei, &c.* Reliquiæ omnem languorem sanant, vel expellunt. Sap. *Neque herba, neque malagina sanauit eos, Domine: sed sermo tuus, qui sanat & vniuersa.* Ecce apparet, quòd maioris efficacię est verbum Dei, quàm aliquæ medicinæ, vel reliquię Sanctorum.

Vndę

Vnde mirabile est, quomodo aliquis infirmus remanet, qui non ad concionem (vt curetur) currat. Solent autem homines pro medicis, & medicinis solis ad reliquias sanctorum offerre. Sed ad istas medicinas non oportet aliquid dare, nec offerre ad reliquias istas, nisi intentionẽ, & orationem. Ita, Si aliquis haberet lapidem pretiosum, qui præualeret omni auro, & omni argento, & omnem infirmitatem curaret, nõ proiiceret illum: sed custoditet diligenter. Sic nec verbum Dei debet aliquis proiicere: sed studiosissimè custodire; quia præualet omni auro, & argento. Psal. *Bonum mihi lex oris tui super millia, &c.* Idem. *Desiderabilia super aurum, & argentũ lapidẽ pretiosum multum* gl. Plus diligit charitas Dei legem, quàm cupiditas rei aurum, & argentum. *Psal.* 11.

De Veloci conuersione peccatoris.

FEstina conuersio peccatoris, vt qui in iuuentute iugo pœnitentiæ se submittit, multa bona facit. In festina conuersione multiplex est vtilitas, scilicet,

In bono opere radicatio.
Ad bonum assuefactio.
Vitæ directio.
Vitæ in melius commutatio,
Vitæ certitudo.

Primum bonum, quod facit festina conuersio, est in bono opere radicatio. Arbor, quæ iuuenis plantatur, non de facili postea eradicatur. Ideo dicit Apost. ad Ephes. *In charitate radicati, & fundati, vt fructificetis in bono opere.* Quia sicut omnis fructus à radice procedit: sic opus bonũ à charitate. Greg. *Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non remanet in radice charitatis. Et fundati.* quia sine fundamento non stat domus: sed destructo fundamento cadit. charitas enim omnia sustinet. 1. Corinth. Item, bonitas alicuius profundius infigitur, quando inuenit subiectum magis tenerum, & aptum ad recipiendum gratiam. Vers. *Ephes.* 4. *Corinth.* 23.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem.

Testa diu. Sed quando contrarium, gratia Dei occupauit hominem (scilicet, peccatum) difficilius gratia Dei in eo recipitur; quia inuenit, quod sibi repugnat. Sicut materia, quæ habet aquam, difficilius suscipit ignem, sicut patet in candela madefacta, vel ligno. Sicut sculptor, &

pictor non ita de facili sculpit, vel impingit in lapide habente formam contrariam, sicut in lapide nudo, & plano. De facili recipit vestis formam rectam, si nõdum prauam susceperit: sed si contrariam, vix potest rectam formam suscipere. Tenera virga, si curua fuerit, potest ad rectitudinem deduci: trabem verò, nullus potest reducere. Et cera mollis suscipit impressionem sigilli: quod non facit indurata. Eccl. 30. *Curua ceruicem filij in iuuentute.* Prou. 12. *Tunde latera eius, dum infans est, ne indurescat, & non credat tibi.* Prouerb. *Adolescens iuxta viam suam: & cum senuerit, non recedet ab ea.*

Secundum est, assuefactio ad bonum, vt in tenera ætate caro dometur; & redigatur in spiritus seruitutem. Sicut stultus esset, qui non domaret equum suum, vsquequo esset senex: Sic qui non domat carnem suam in adolescentia: sed nutrit eam delicatè; ita quòd non potest eam postea tenere: immo ipsa proiicit eum in lutum peccati. Prou. 29. Prouerb. *Qui a delicatè nutrit à pueritia seruum. (id est, corpus) postea inuenit eum contumacẽ, id est spiritui repugnãtem.* Apponendum est sal cibis, antequam putrescant, & vermibus scaturire incipiant: & in principio ægritudinis medicina quærenda est. Eccl. 18. *Ante languorem adhibe medicinam.* Peccatũ enim consuetudinis est quasi languor inueteratus, qui difficulter curatur. Eccl. 10. Eccles. *Languor prolixior grauat medicum:* breuem languorem præcidit medicus: lepra enim inueterata, & gutta inolita non de facili curantur. Iob 20. Iob. *Ossa illius implebuntur vitijs adolescentiæ eius.* Beda super Luc. *Diabolus tanto difficilius dimittit hominem, quãto possedit diutius: sed vult quasi hæreditario iure tenere, sicut rusticus terram, quandiu tenuit.* Solet dici, quòd non potest fieri de peccatore inueterato, & quasi rusticato, deuotus miles Christi: nec de ligno putrido, bonum ædificium: nec vetus canis vinculo detineri potest. Psal. 37. Psal. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, &c.* Item ignis concupiscentiæ extinguendus est, dum paruus est: quia tunc de facili potest extingui. Fatuus reputaretur, qui differret ignem remouere de domo sua, donec esset magnus, & ferè tota domus combusta. Sic qui in adolescẽtia non restringunt carnes suas. Ber. *Absconde ignem in sinu meo: iam sanie defluente, excusso iam latere adhuc consulendũ est, an excutiã illum.* Nunquid potest homo abscondere ignem

in

in sinu suo; ita quòd ardeant vestimenta illius? non.

Tertium, est vitæ directio. Quia ex tunc homo incipit regere vitam suam, & dirigere ad portum salutis in mari huius mundi, vbi sunt pericula multa. Sicut enim fatuus reputaretur nauta, qui expectaret nauem dirigere, quousque incideret in scopulos, & syrtes. Sic qui vitam suam non dirigit ad portum salutis, antequam incidat in periculum mortis. Prouerb. *Vir prudens dirigit gressus suos.* Prou. 11. Vnde sicut nauta, quando vult prudenter gubernare nauim, collocat se, & stat in fine nauis, vt prospiciat pericula propinqua, & remota, & clauum consultò admoueat: sic debet facere iuuenis, vt ponat se in fine nauis, id est vitæ suæ, & consideret principium, & medium vitæ suæ, & dirigat viam, id est, vitam suam ad bonum exitum, per gubernaculum pœnitentiæ; quia illic naues pertransibunt, scilicet, per arctum foramen mortis. O quàm longè ante, & quàm sollicitè prouident sibi nautæ, quando habent transire periculosum locum. Ideò dicitur. Eccles. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua: & in æternum non peccabis.* Memorare, quàm breuis sit vita, & mors incerta. Prouerb. *Timor Domini apponit dies. Sicut thesaurus augmentatur ei, qui lucrum reportat.* Exemplum in Euangelio de illo, qui habuit quinque talenta, & auferetur ab eo, qui non operatur. Et sequitur. *Et anni eorum breuiabuntur.* Sicut pars alicuius membri abscinditur, ne totum corrumpatur: nõ enim debet dari pretiosus thesaurus temporis ei, qui totum dissipat. Bern. *Nihil pretiosius tempore: sed nihil vilius homine reputatur.* Ideò dicitur. Eccl. *Ne tardes cõuerti ad Dominum, &c.* Quia qui ante horam vult manducare, ante horam debet parare. Vix perficit, qui mane non incipit. Irridendus est, qui tunc surgit ad operandũ, quando est ab opere recedendum. & tunc vadit seminatum rudis agricola, quãdo instat tempus metendi. Eccl. *Tempus seminandi, & tempus metendi: quoniam subitò venit ira illius.* Ita citò frangitur vas nouum, sicut vetus: & citius scinditur arbor iuuenis, quàm antiqua. Isa. *Subitò, dum non speratur, venit contritio illius.* Item auis, quãdo videt arcum tentum, nõ expectat ictum sagittæ: sed ante volat. Sed miser homo

Prou. 10. Eccl. 14. Eccl. 5. Eccl. 3. Isa. 30.

Psal.7. bene expectat ictum mortis ante conuersionem. Psal. *Nisi conuersi fueritis,&c.* Item,si homo haberet sagittam in corpore,non differret extrahere vsque ad mensem:& sagittas
Psal.37. peccatorum retinet vsque ad annum.Psal. *Quoniam sagittæ infixæ sunt mihi.* scilicet iniquitates meæ. Item,citò surgeret de igne,si cecidisset: & in peccato diu iacet, quod est ignis,vsque ad consumptionem deuorans.

Quartum, est vitæ melioratio: quia si vita longa tota bona,melior est.Aug. *Si vita longa erit,vtique tota bona.* Si multùm haberes de frumento, vel vino, velles, quòd totum esset bonum: & multùm doleres, si pars aliqua esset corrupta:quantò magis debes velle de vita tua,quòd tota sit bona.Multũ laborant,quòd habeant res pulchras,& bonas,plusquã seipsos Aug. *Quid te offendit vita tua,quã solam vis malam,vt inter omnia bona tua solus sis malus? Nunquid diligis plus res tuas,quàm teipsum?* Vix potest ditari, qui matrimonium dissipauit. O quanta gratia, quæ præualet omni
Eccles. auro.Eccl. *Super aurum,& argentum gratia bona.* Quam qui
Psal.36. seruaret, facilius diuitiis spiritualibus ditari posset. Psal. *Custodi innocentiam, & vide æquitatem.* De flore iuuentutis debet homo offerre Deo,nõ de residuo,vel fece;quia non est ita gratum.Meliora sunt poma nouæ plantæ,quàm veteris: primi temporis, quàm posterioris. Offerenda sunt Domino pira, & poma pulchertima, & nobilia, quæ pos-
Oseæ 10. sunt inueniri.Oseæ.*Quasi vuas in deserto inueniri Israël,quasi poma siculneæ.*Meliorem pacem facit pugil cum aduersario, cùm stat adhuc armatus supra pedes, quàm si ceciderit, & arma perdiderit. Eccl. *Fili,accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia,& timore;& præpara animam tuam ad tentationem.* Et
1.Cor.10. Apost. ad Cor. *Qui se existimat stare,videat,ne cadat.*

Quintum bonum,est vitæ assecuratio.Ber. *Secura est vita,vbi pura est conscientia,vbi mors expectatur cum securitate,& suscipitur cum dulcedine.* Seneca. *Quam pulchrum est ante mortem consummare vitam:deinde securè expectare aliquam tẽporis partem.* Securè potest peregrinari,qui nihil debet.sic securè mori, qui nihil debet Diabolo,qui non peccauit, vel totam pœnitentiam fecit. sed heu, *Mutuabitur peccator:& non soluet hic, sed in futuro, & pro vno obolo, centum talenta.* Sicut de illo,qui noluit soluere obolum pro redemptione sua.Et

de illo,

de illo,qui noluit soluere denarium pro defectu corporis, & soluit postea quatuor. Psalm. *Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius,&c.* Alieni,id est angeli eius.Ideo. Prouer. *Fili, ne des honorem tuum, & annos tuos crudeli, &c.* De hac materia require sup.Cap.de tardè pœnitentibus.Ideò dicit Apostolus. *Festinemus ingredi in illam requiem.* Sicut festinãt pauperes ad portam diuitis, quando debent habere refectionem vnius diei: & multùm est debilis, qui illuc non properat. Sed Dominus parauit nobis mensam, non ad horam, vel diem tantùm, sed in perpetuum, sicut dicitur Matt. *Venite ad me omnes,qui laboratis,& onerati estis, & ego reficiam vos.* Festinemus ergo,ne claudatur nobis ianua:vel leuetur pons misericordiæ,qui nunc est demissus:& ne excludamur cum fatuis virginibus Matth.quæ dicebant. *Domine,aperi nobis.* audierunt. *Nescio vos.* Vigilemus ergo;*Quia nescimus diem, neque horam nostræ vocationis.*

*Psal.*108. *Prouerb.* *Matth.*11.

De Vita præsenti.

VIta est triplex, corporalis, quæ consistit in coniunctione animæ, & corporis. *Factus est homo in animam viuentem.* Gen. Vita ciuilis, quæ consistit in vnione legis sub principe. Vita spiritualis, quæ consistit in vnione animæ cum Deo in charitate, & amoris vnitate. Sed vitam corporalem comitatur

*Gen.*2.

Breuitas.
Tædium.
Defectus necessarius.
Irreuocabilitas.

Sicut dicitur. Sap. *Exiguum,& cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Idem in eodem. *Vmbræ enim transitus, est tempus nostrum:& nõ est reuersio finis nostri.* Ecce quòd vitam nostram comitatur breuitas:quia dicitur. *Exiguum est.* Est enim vita nostra similis torrenti, qui cum impetu transit, & citò desiccatur. Vel sicut arbor,quæ multis annis crescit.& subitò prosternitur;ideò dicitur Iob. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore.* Sap. *Mox nati,continuò desinimus esse.*

*Sap.*11. *Iob* 14. *Sap.*5.

Breuitatem sequitur tædium.Vnde sequitur. *Et cum tædio.* Tædiosum est enim bonis viuere, qui de labore suo magnam expectent retributionem. Exemplum peregrini qui tendit semper ad patriam suam:& operarij fatigati,cui

cordi est, quòd finiatur dies. Corinth. *Supra modum grauati sumus: ita vt taderet nos viuere.* Tædiosum est bonis tot mala videre: quia florent mali, & conculcantur boni. Eccl. *Tæduit me vitæ meæ, videntem mala vniuersa esse sub sole:* Permittuntur enim mali crescere ad malum suum. Exemplum de porco, qui dimittitur crescere, & impinguari, vt occidatur. Et de fure, qui semel, vel bis dimissus, iterum in furto deprehensus suspenditur. Iob. *Dimitte me,* id est da mihi spatium non vt gaudeam: *sed vt plangam paululum dolorem meum.* Et sequitur. *Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam.* Est enim infernus, sicut domus Dædali, cuius facilis est ingressus: sed negatur egressus. Exemplum de nassa, quàm facilè intrat piscis: sed egressus est impossibilis. & ideò sequitur. *Et non est reuersio finis nostri.* Ecce irreuocabilitas, quæ sequitur tædiositatem. Irreuocabilis est cursus vitæ nostræ, sicut aquæ cursus, qui instabilis, & irreuocabilis est. Reg. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertentur.* Comparatur etiam vita ista vmbræ, quæ subitò sine transitu transit, statim apparens, & disparens. Sap. *Vmbræ enim transitus est tempus nostrum: & nõ est reuersio finis nostri.* Exemplum scintillæ ignis, quæ citò extinguitar. Et fumi, qui citò dispergitur. Et de rosa, quæ citò rubet. & statim marcescit. Thess. *Cum enim dixerint, pax, & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus.* Exemplum de fulgure, quod in instanti dissoluit magnam turrim. Quia ergo non licet reuerti ad vitam, bene debet expendi tempus præsens. Pugil cui diceretur, quòd aggrederetur bellum periculosum (quia non deberet mori, nisi de vna morte) dixit: si duas vitas haberem, vnam in periculo ponerem: sed quia non habeo nisi vnam, bene (si possum) eam expendam. In quo patet fatuitas mundanorum, qui totum tempus suum expendunt in vanitatibus: & ideò subtrahitur eis, tanquam pretiosus thesaurus dissipatus. Item, istam sequitur necessarius defectus cum dolore. Psal. *Defecit dolore vita mea.* Vita ista est sicut mulier prægnans, quæ cum delectatione concipit, & cum dolore parturit. Sic multi nunc delectantur in vita ista: sed in fine dolebunt. Vnde vita præsens non est nisi aliqua mutatio temporis. Modò gaudẽt aliqui, modò flent: videmus enim frequenter

Cor. 1. Eccl. 2. Iob 10. 2. Reg. 43. Sap. 2. 1. Thess. 5. Psalm. 30.

ter in eadem ecclesia quosdam plorare propter amicorum exequias: alios cantare propter amicorum nuptias. Prouer. *Risus dolore miscebitur.* Si vita Sanctorũ cum dolore deficit, quantò magis vita peccatorum? Quia præscindit hortulanus arborem fructiferam: sterilis, & nociua debet timere. Et si desæuit iudex in amicum, quantò magis in hostem suum? Psalm. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui non sunt.* Videmus etiam, quòd de coriis animalium fiunt sotulares, & alia quædam humanis vsibus necessaria. Et de ciphis confractis quædam alia vtensilia: Sed cadauer hominis ita deficit, quòd ad nihil aliud valet vsque ad generalem remotionem: tunc omnes resurgemus, & ante tribunal Christi apparebimus, de actibus nostris rationem reddentes, recepturi pro meritis: sicut in hac vita in corpore gessimus, siue bonum, siue malum. Vita animæ fructuosè conseruatur. *Et anima mea illi viuet.* *Prouerb.* 14. *Psalm.* 103. *Psalm.* 21.

De vita præsenti habes.

Matth. 10. Luc. 17.
Ioan. 5. Gal. 5.
Deut. 30. Ezech. 18.
Rom. 1. Ephes. 2.
Philip. 1.

De Vnitate Spiritus.

VNio duplex: quædam corporalis, quędam spiritualis. Vnitatem oportet nos habere ad illum, qui
Intra nos est.
Qui supra nos est.
Qui iuxta nos est.

Oportet ergo, quòd spiritus noster vnus sit in seipso, per mentis integritatem: quòd sit vnitus Deo, per fidem & charitatem: quòd sit coniunctus proximo, per veram fraternitatem.

Primò oportet, quòd spiritus noster sit vnitus in seipso per mentis integritatem; quia cordis diuisio est signum mortis. Oseæ. *Diuisum est cor eorum: nunc interibunt proculdubio.* quamdiu est res, tandiu est vna in se indiuisa. Exemplũ de partibus domus, quarum per se nulla dicitur domus: sed omnes simul iunctæ constituunt domum, quæ singularem in se seruant ordinem. Vnde Boëtius. Vnum est Oseæ 11.

indi

indiuiſum in ſe,& diuiſum à quocunque alio. Igitur ſi anima per fluxum affectionum fuerit diuiſa, iam quaſi non eſt: quia res non eſt vna, ſed duo fruſtra. Exemplum de cultello, cuius manubrio diuiſio à ferro, neutra pars eſt cultellus: ita eſt anima, quæ diuidit affectiones ſuas ad multa. Sicut candela, quæ tot parietibus adhæſit, quòd amiſſa cera, vix niſi ellychnium remanſit in ea. Ideò. Can. *Can. 6.* *De anima ſancta, vna eſt columba mea, vna eſt perfecta mea.*

Secundò, oportet quòd homo vnitus ſit Deo per fidē, & charitatem. Fides enim vnit intellectum, charitas autem affectum. Corinth. *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo: & quot bona acquirit habenti bona? immo ei, qui eſt ſummum bonum, ſe per amorem vnit. Venerunt mihi omnia bona, &c.* Charitas enim eſt tanquam glutinum, quod duo diſparia coniungit: ſicut ignis, qui ferrum in propriam naturam conuertit. Epheſ. *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Sine hac vnione nemo viuit, ſicut nec corpus ſine ſui vnione ad animam. Hug. *Scio, anima, quòd dilectio eſt vita tua, & quam diligis, ipſa in dilectionis eandem ſimilitudinem transformaris.*

Tertiò, oportet quòd habeat vnitatem cum proximo. Hoc etiam fit per paternam dilectionem: dignum eſt enim, vt qui eſt vnum cum Deo, vnum ſit cum omnibus, qui ſunt vnum cum ipſo; quia. Quæcunque vni tertio (teſte philoſopho) ſunt eadem, inter ſe ſunt eadem. Charitas enim eſt vinculum, in quo mercator, tanquam in mantica, omnia bona ſua defert ad hoſpitium ſuum: quòd ſi rupta fuerit, effunditur tota. Col. *Super omnia habete charitatem, quod eſt vinculum perfectionis: & pax chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore.* Pſal. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Si tamen in vnum, & non in ſcandalum: alioquin nec bonum, nec iucundū: ſed peſſimum, & incommodum. Væ autem illi, per quem iucundiſſimū vinculum vnitatis rumpitur. Iudicium portabit quicunque ſit ille. Igitur ſi laboremus, bonum eſt habitare fratres in vnū. Si quieſcamus, bonum eſt habitare fratres in vnum: nullius enim boni ſine ſocio iucunda eſt poſſeſſio, vt dicit Senec. Flores in vnum congregat apis, vt mellificet: plura grana collecta faciunt acetuū: & ex mu tis

1. Cor. 1.

Epheſ. 5.

Pſal. 132.

mini

minis grandis aceruus erit. Eccles. *Si vnus ceciderit, ab alio fulcietur.* Ecce quàm bonum est laborantibus: *Et si dormierint duo, fouebuntur mutuò: vnus quomodo calefiet?* Ecce quàm bonum est quiescentibus: melius est ergo duos esse simul, quam vnum. Philosoph. Plura dona paucioribus sunt præeligenda: ligna enim pariter congregata maiorem ignem faciunt. Melius est ergo duos, &c. Nota quòd collegium vnitatis est, Eccl. 4.

Cadentibus in remedium.
Resurgentibus est in auxilium.
Pugnantibus in præsidium,
Itinerantibus in ducatum.
Patientibus in subsidium.
Petentibus in suffragium.
Expectantibus in cautelam.
Viuentibus in gaudium.

Primò, est cadentibus in remedium: quia si vnus ceciderit, ab alio fulcietur. *Væ soli, quia si ciderit, non habet subleuantem se.* Nota de populo, qui liberauit Ionatham à patre damnatum. Reg.

Secundò, resurgentibus est in auxilium: impossibile est enim preces multorum non exaudiri. Exemplum Abbatis, qui facilè audit Conuentum, quando simul aliquid petunt. Similiter quando omnes ciues vnius ciuitatis petunt aliquid à rege, non de facili negat eis: & vnus malus denarius recipitur aliquando cum multis bonis: qui solus reiiceretur: ideò melius est esse duo simul. 1. Reg. 14.

Tertiò, est pugnantibus in præsidium. Nota, quotiens filij Israel congregati fuerunt, victores extiterunt: dispersi verò victi, omnis enim pugna vnanimiter aggressa, victoriam parit. Eccl. *Si quisquam præualuerit contra vnum, duo resistent ei.* Eccl.

Quartò, est patientibus in subsidiũ. Leuis enim est sarcina vni (quantuncunque debili) quando à pluribus adiuuatur. In corpore nerui, & membra corporis ita se habent: quòd alterum alteri est adiumento. Rom. *Vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. 12.

Quintò, est itinerantibns in ducatum. In solitudine quidem oportet ducem, & præeuntem habere, non seipsum

condu

conducere. Similiter in religione, nullus se conducere debet: sed communitatem sequi. Vnde boues alligati iugo, ita constringuntur: vt vnus non possit dimittere alium, nisi frangat iugum, aut non rumpat vinculum: & sic non potest trahi à suo coniugali.

Sextò, est petentibus in suffragium: quod vnus non detinet per se, multitudo impetrat. 2. Mach. Congregati sunt filij Israel (quasi vir vnus) in Ecclesia, vt peterẽt auxilium à Domino. Quando Apostoli acceperunt Spiritũ sanctũ. Act. *Erant omnes vnanimiter in oratione, perseuerantes cum mulieribus, & Maria mater Iesu, & fratribus eius.* Item, membrum nõ nutritur alimento corporis, nisi quando vnitur corpori.

Act. 2.

Septimò, expectantibus est in cautelam. Miles enim non est securus extra exercitum: nec obsessus extra castrum: sic nec fidelis extra congregationem bonorum. Habes de illo qui descendebat Hierusalem in Iericho, & incidit in latrones. Et de Dyna filia Liæ. Gen. quæ egressa est, vt videret mulieres illius regionis[a], parentibus, & patribus dimissis: quam cùm vidisset Sichem filius Emor Euei princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.

Gen. 34.

Octauò, est viuentibus in gaudium. Quid enim est iucundius, quàm illic esse, vbi vna vox lætantium, & vnus ardor cordium? Amor perfectus, est vnus omnium spiritus: vbi quod amatur inamissibile est. Hanc vnitatem impetrauit Dominus Apostolis, & fidelibus cunctis. Ioan. *Non pro his rogo tantùm: sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorũ in me, vt omnes vnum sint: sicut tu pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint.*

Ioan. 17.

De Vocatione.

VOcare, Dei est producere rem in esse. Sap. *Quomodo posset permanere, nisi tu voluisses? aut quid à te vocatum non esset, conseruaretur?*

Sap. 2.

Vbi sapiens nihil vult conseruari, nisi quod vocatum est à Deo. Differt autem vocatio ab electione, secundùm effectum finalis gratificationis.

Vocatio debet fieri quadrupliciter.

Per literas.

Per nutum.

Per

Per vocem.

Per nuncios.

Cùm tibi prædicatur, offertur litera ex parte Domini tui: litteras domini sui audit, vel legit, qui audit verbum Dei. Si seruus alicuius magni domini cum litteris ipsius domini sui veniret, & apportaret bonum nuntium, cum deuotione, & honore susciperetur: sic & prædicator debet recipi. Luc. *Qui vos recepit, me recepit.* Sed multi sunt, qui litteras Domini sui non recipiunt, nec etiam audire volunt, nec ad citationes eius veniunt, licet omnia teneant ab eo. Sed ad citationes mundi, & diaboli (ad quas non tenentur) citò vadunt. Prou. *Vocaui* (scilicet per literas prædicationis) *& renuistis.* Luc. 10. Prou. 1.

Item, si gallina vocat pullos suos propter miluum, ad eã currunt, & tegit eos alis: sed misertimus pullus aliquando, cum intentus est circa spicam, non venit, & rapitur à miluo: sic miser homo intentus nimis temporalibus, non vult aliquando venire, quando vocatur: tunc capitur à Diabolo. Ier. *Apprehẽderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* Mirabile est, canis vocatus à domino, statim cutrit ad eum: & creatura ad Creatorem, filius ad patrem, seruus ad dominum venire contemnit? Ideò conqueritur Dominus. Iob. *Seruum meum vocaui* (id est ore prædicatorum) *& non respõdit mihi.* Si rex vocasset seruum suum pluries, & contemneret venire, multùm indignaretur. Et quomodo non irascitur Rex cœli, qui toties vocat hominem, & non vult venire? Ideò comminatur per Isa. dicens: *Omnes in cæde corruetis, eò quòd vocaui, & non respondistis mihi.* Ier. 8. Iob. 19. Isa 30.

Secundò, vocat nutu manus, vel signis creaturarũ: quæ nobis innuunt, vt ad Deũ veniamus. Malus est monachus, qui non intelligit signa abbatis sui. Vnde sequitur. Prouer. *Extendi manus meas.* beneficia largiendo, innuẽdo per hoc, vt ad me veniretis: sicut vocatur accipiter, vel canis cùm cibus ostenditur. Sed nota, quòd sicut accipiter saturatus non redit ad manũ: sic nec diues ad Deum: sed famelicus, id est, pauper venit. Ideò sequitur. Prou. *Et nõ fuit qui aspiceret:* sed bene fuit, qui acciperet. Stultus reputaretur ille, qui signum, quod ponitur ad vinum, id est, circulum, vellet cum vino pro vino potare. Sic qui ista vsibilia, quæ sunt Prou. 1.

signa

signa regni cœlestis, vult cum regno, vel pro regno. Aug. *Væ illis, qui diligunt nutus tuos pro te.* Isti volũt habere oua, & obolum vinum, & nummum. Hier. *Impossibile est, quòd quis fruatur præsentibus bonis, & futuris: vt hic ventrem, & ibi mẽtem impleat.* vt de diuitiis ad diuitias, de delitiis ad delitias transeat: vt in cœlo, & in terra gloriosus appareat.

Isa. 30. Tertiò, vocat voce, scilicet inspirationis. Isa. *Aures tuæ*
Psal. 48. *audient vocem potest tergum monentis.* Psal. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* qui stat ad ostium cordis, & pulsat. sed multi sunt, qui ei non aperiũt. quod est magnæ rusticitatis non aperire Domino suo, hoc est, quod sequi-
Prouerb. 1. tur Prou. *Despexisti omne consilium meum.* Audis consilium amici tui de rebus seruandis: & non audis consilium de salute animæ tuæ.

Quartò, vocat per nuntium, id est, flagella, quæ deferũt
Sapien. 16. nobis signa salutis. Sap. *Ad correctionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis.* Libenter recipit sponsa nuncios ab amico suo sponso missos: Sic debemus amplecti tribulatio-
Prou. 3. nes à fideli amico nobis transmissas. Prou. *Quem diligit Dominus, corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.* glo. Tantò minus de flagello, quo castigamur, murmurare debemus quãtò in eo paternæ dilectionis pignus magis accipimus,
Hebr. 12. Isti ergo nuncij, deferunt nobis arrham salutis. Heb. *Flagellat omnem filium, quem recipit.* Istis nuncijs debemus respondere per.

Contritionem,
Confessionem,
Et satisfactionem.

Per confessionem, & satisfactionẽ, non turpiter *eiicere,*
1. *Reg.* 10. & sine honore remittere: sic dicitur 1. Reg. De nuntiis Dauid missis ad Ammon Isti nuncij cõpellunt nos intrare ad
Luc. 15. nuptias æternas, vt dicitur. Luc. *compelle intrare.* gloss. Qui tribulationibus fracti ad amorem Dei redeunt, compelluntur intrare. Nota, quomodo Dominus sollicitus est de nobis. Quando aliquis inuitat alium ad prandendum, vellet fortè, quòd non veniret. Sed Dominus non ita, immo vim infert, vt secũ maneamus: & inuitat nos vsque ad vestium dilacerationem: & trahit per subtractionem temporalium, aut infirmitates: quod est vestium laniatio. Oscæ.

Infir

In funiculis Adæ traham eos: in vinculis charitatis; quia multos seducit prosperitas, quos aduersitas reducit. Hoc patet in Paulo, quem cæcitas ad fidem humiliauit. Et in filio prodigo, quem fames ad patrem reuocauit. Et in Manasse, quem captiuitas ad regnum reduxit. 2. Paralip. *Manasses fecit malum coram Domino, iuxtà abominationem gentium.* Sequitur in eodem. *Seduxit Iudæam, & habitatores Hierusalem, vt facerent malum super omnes gentes, quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel. Locutusque est Dominus ad eum, & ad populum eius, & attendere noluerunt. Idcirco superinduxit principes exercitus regis Assyriorum. ceperuntque Manassem, & vinctum cathenis, atque compedibus duxerũt eum in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde: quia in Deo patrum suorum deprecatus est eum, & obsecrauit intensè, & exaudiuit orationem eius: reduxitque eum in Hierusalẽ, regnũ eius: & cognouit Manasses, quòd dominus ipse esset Deus.* Sed nota, quòd Dominus vocat

Ad fidei illuminationem.
Ad patientiam, & tolerationem.
Ad quietem, & refocillationem.
Ad munditiam, & sanctificationem.
Ad pœnitentiam, & satisfactionem.
Ad sui exemplum, & imitationem.

Primò, vocat nos ad fidei illuminationem. Pet. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sacra, populus acquisitionis*, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris, (scilicet infidelitatis) vocauit nos in admirabile lumen suum, id est, ad fidem, quæ mentem illuminat. 1. Pet. 2.

Secundò, vocat ad patientiam, & tolerationem. Pet. *Estote compatientes, fraternitatis amatores, modesti, humiles.* Non reddentes malum pro malo, nec maledictũ pro maledicto. Sed econuerso benedicentes; quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. 1. Pet. *Deus omnis gratiæ, qui vos vocauit in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum, & passos ipse perficiet, & confirmabit, solidabitque.* Pax ergo exultet in cordibus vestris, in qua, secundùm Apostolum, vocati estis. 1. Pet. 3. 1. Pet. 5. Colo. 3.

Tertiò, vocat nos ad quietem, & refocillationem. Matt. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiã* Matt. 11.

vos. Præsumptuosus esset pauper, quem rex vocaret ad prandium suum in camera sua, & veniret negligenter. Et certè qui non audit, quando potest: quando voluerit, facere non
Mat.29. poterit, sicut patet de virginibus fatuis. *Nouissimè verò venerunt, quæ &c.*

Quartò, vocat ad munditiam, & sanctificationem. Eph. *Non enim vocauit nos Deus in mũditiam: sed in sanctificationẽ.*
Gal.5. Quintò, vocat nos ad libertatem. Gal. *Vos in libertate vocati estis, fratres.* gl. vt in timore, sed amore seruiatis tantùm, ne libertatem in occasionem carnis detis. glo. ne impunè vobis peccandum arbitremini.
Luc.5. Sextò, vocat nos ad pœnitentiam, & satisfactionem. Luc. *Non enim veni vocare iustos ad pœnitentiam, sed peccatores:* Qui
Exo.5. sani sunt, non egent medico: sed qui malè habent, Exo. *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solicitudine: & sanctificemus Domino Deo nostro.*

Septimò, vocauit nos ad sui exemplum, & imitationem.
Isa.11. Isa. Quem susciuit ab Oriente iustum, vocauit eum, vt
Iob.23. sequeretur se. Iob. *Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius*
Matth.10. *custodiui, & non declinaui ex ea.* Matt. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Operarios dicit, non ociosos. Si tu non das ociosis: sed tantùm eis. qui in vinea tua operantur, quare à Deo expectas mercedem, nisi instanter opereris pro eo?
Sap.5. Sapien. *Reddet Deus mercedem laborum sanctorum.* Vocat nos Deus præsertim quinque modis, afflictione, cõmonitione, inspiratione, liberaliter, & fideliter. commonitio fit extrinsecus, inspiratio intrinsecus, afflictio vtroque. sed afflictio est triplex, in rebus, & est paupertas: in corpore, infirmitas: in mente, peruersitas. Vocat liberaliter. Matt. 11. *Venite ad me omnes.* Luc. 5. & 14. 2. Tim.

1. Fideliter.

Isa. 50.	Hier. 7.
Matt. 22.	Luc 14.
Eph. 4.	2. Pet. 1.
Apoc. 15.	

Arist.1.Re. De Voluntate bona.

VOluntas, est appetitus boni cum ratione.

Voluntas bona inter alia dona Dei videtur esse primum, & principale donum, quod ad salutẽ hominis datur.

Primum

Primum est, quia à bona voluntate omne bonum inchoatur. Principale est; quoniam bona voluntate hominibus vtilius nihil datur. Sunt quædam mulieres steriles, quæ nunquam concipiunt, nec pariunt: sic sunt multi, qui nunquã bonam voluntatem concipiunt (vt sunt peruersi homines) sed frequenter malam. Monstruosum esset, si mulier buffonem, vel serpentem conciperet: quæ secundùm naturam debet concipere hominem: sic de homine, qui creatus est ad habendum Deum, si semper habeat venenum peccati in corde. Isti sunt inimici Dei, & libenter facerent malum, si possent, vel auderent. Si scires, quòd aliquis vellet te occidere, si posset, non multùm diligeres eum: sic nec Deus illũ, qui est in voluntate peccandi; quia quantùm in ipso est, si posset, iterum Christum crucifigeret: sicut latro libenter furaretur, si non timeret iudicem. Aug. *Manet in timore seruili peccandi voluntas: & sequeretur opus, si speraretur impunitas.* Item, si sciret aliquis homo, quòd vxor eius libenter relinqueret eum: vel cum alio fornicaretur, si posset, vel auderet, iam quasi adulteram reputaret: sic Deus animam maleuolam. Matt. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum; iam eam mœchatus est in corde suo.* glo. quia volũtas pro facto reputabitur. Aug. *Non solùm velle appetere; sed appeti, criminosum est.* Matth. 6.

Quidam sunt, qui bonam voluntatem recipiunt: sed nunquam ad opus perducunt: hi similes sunt quibusdam mulieribus, quæ concipiunt, sed non pariunt; quia partus in vtero suffocatur. Et quid prodest prolem concipere, quæ statim emittitur, vel moritur? vel auem capere, & statim dimittere? Osea. *Effraim quasi auis euolauit.* Isa. *Concipietis dolorem, & parietis stipulam.* Stultus esset ille, cui vellet rex dare ciuitatem, vel castrum, si differet per mensem, vel annum accipere: posset enim rex interim voluntatem, vel consilium mutare. Sed magis fatuus est ille, cui rex cœli vult dare regnum æternum, vel gratiam suam dare, quando differt accipere, ne fortè accipiat alter: & ipse, vt indignus expellatur. *Auferetur à vobis regnum Dei: & dabitur genti facienti fructus eius* Quidam sunt, qui bonum opus aggrediuntur, sed non perficiunt. Isa. *Erũt sicut herba tectorum, quæ exaruit, antequam maturescat.* Isti sunt, sicut quædam mulieres, quæ concipiunt, & pariunt: sed non nutriunt. Osea. 9. Isa. 33. Matth. 6.

Quid prodest ignem accẽdere, qui statim extinguitur: nec
Prouer.26. lignis, nec flatu nutritur? Debet enim feruor bonæ voluntatis nutriri, sicut ignis, lignis. Prouer. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis.* Item, Monstruosum est puerum ab vtero matris egressum crescere in carnem, & non in ossa: sic crescere hominem in carnalem affectum, & non in ossa virtutum, & membra bonorum operum.

Quidam sunt sicut lux vespertina, quæ quantò procedit: tantò lux eius, & calor decrescit, & vmbra crescit: sic multi quantò plus viuunt, tantò plus decrescit in eis lux gratiæ, & feruor bonæ voluntatis: sed vmbra cupiditatis, &
Hie.6. carnalis amoris semper in eis crescit. Hiero. *Væ vobis, quia declinauit dies: & prolixiores factæ sunt vmbræ vesperi.* Sed iusti
Prouer.4. sunt sicut lux matutina: quæ quantò magis procedit: tantò plus calor eius, & lux crescit, & vmbra decrescit. Prouer. *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Isti bonum opus concipiunt cogitando, pariunt incipiendo, nutriunt perseuerando, & non deficiendo: & vsque ad finem perducunt complendo, Sed sunt quidam, qui bonam voluntatem dicunt se habere: sed prauum
Prouer.10. opus pariunt quotidie. Quod idem est, ac si mulier pareret buffonem, quæ concepit hominem. Prouer. *Fructus iusti ad vitam: fructus impij ad peccatum.* Voluntas Dei est incõ prehensibilis, & vtilis. Gen. 50. *Nolite timere, &c.* Psal. 113. *Deus autem noster in cœlo omnia quæcũque voluit fecit.* Prouer. 19. Isa. 46. *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet.* Dan. 4. *Iuxta voluntatem.* Vtilis, est ideò implenda Psal. 26. *Vnam petij à Domino.* Psal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam.*

De voluntate bona.

Ezech.18. 2.Mac.1.
Matth.6. Rom.12.
Eph.5. 1.Pet.4.
Heb.10. 1.Ioan.2.

De voluntate propria.

VOluntas propria magnum malum facit. Vnde cauendum est à propria voluntate; quia
Dominum suum confundit.
Meritum bonum euacuat.
Et æternam pœnam procurat.

Primò

Primò dico, quòd propria voluntas confundit dominum suum, & vituperat. Oseæ. *Confundetur Israël in voluntate sua:* Contrarium ei fere semper eius, quod vult, accidit. & sic affligitur à seipso. Aug. *Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sit sibi omnis inordinatus animus.* Debet igitur homo propriam voluntatem deserere, exemplo Domini, qui dicit. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu,* Bern. *Quis obstinatus non erubescit in sensu suo, quando ipsa sapientia suum deserit?* Matth. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* id est, propriam voluntatem. glo. *& sequatur me.* & in Iob. *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dat pro anima sua.* Ne dicatur de eo, in qua pelle natus est lupus, in ea oportet eum mori. Et nota, Quòd pellis, quantò subtilior est: tantò difficilior ad excoriandum: Sic qui plus habent de subtilitate ingenij, vel religionis, difficilius exuuntur à propria voluntate. Caput animalis difficilius excoriatur, quàm alia membra. Per caput, in quo magis viget sensus corporis, quàm in cæteris membris, signantur prælati, & illi, qui plus videntur habere scientiæ, & discretionis. Tales difficilius excoriantur, id est, exuuntur à propria voluntate, quàm simplices; eò quòd in multa sapietia, multa sit indignatio. Item, Anguilla pellem habet lubricam: & vix teneri potest ad excoriãdum: Sic multi ita lubrici, & mobiles sunt, quòd pelle propriæ voluntatis spoliati non possunt: semper rationes ad excusandum, vel contradicendum habentes. *Hæ sunt pelles terræ Madian.* id est, contradicentes, quibus comminatur Dominus per Abac. *Turbabuntur pelles terræ Madian.* id est, in præsenti, & in futuro iudicio. Oseæ 4. Abac. 3.

Secundò, quia meritum euacuat. Isa. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti?* Et seq. *Ecce in die ieiunij nostri inuenitur voluntas nostra, qua fit, vt bona tua bona non sint.* Virga quantò plus habet humoris: tãto citius flectitur: Sic qui plus habet gratiæ, citius obedit. Sicut lignum aridum citò frangitur, dũ flecti creditur: sic superbi, qui sine humore gratiæ sunt, flecti non possunt. Eccl. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ: vel vt thesaurus, ne fortè eliduatur virtus tua per stultitiã, & comedas folia tua, & fructus tuos perdas, & relinquaris velut lignũ aridum in deserto.* id est, sine merito. Item, arcus à parte Isa. 5. Eccl. 6.

ventris multùm potest incuruari: sed à parte dorsi non: sed frangitur. sic multi in prosperis obediunt, & in his, quæ corpus delectant: sed in duris laboribus, & aduersis refugiunt, & recalcitrant. Sicut equus habens dorsum excoriatum contra onus, non attendens quod dicit Gregor. quòd obedientia quãtò plus habet de suo: tanto minoris meriti.

Tertiò, quia morte æterna dignum efficit. Ber. *Quid odit Deus, aut quid punit, nisi propriam voluntatem? cesset propria voluntas, & infernus non erit.* Talis raptor, & fur probatur: quia dominium suæ voluntatis, quod in Deum, & in prælatum transtulerat, vult habere: & sic accipit alienum. Et ideò, quia vult Deo subtrahere, quod suum est: iustum est, vt beneficiis eius priuetur. Greg. *Iustum est, vt ab eius beneficijs sit quilibet alienus: qui illius iussionibus non vult esse subiectus.* Sed qui seipsum vinceret, magnum præmium acquireret: quia fortius est seipsum vincere, quàm gentem multam: quia qui contra se pugnat, ex dimidio se pugnat. sed cùm pugnat contra alium: ex toto se pugnat. Multi enim vrbes, & regna sibi subiugauerunt: sed non seipsos. Ideò dicit Sen. *Qui se vincit, contra omnia fortis est.*

De Virginitate.

VIrginitas est abstinentia ab omni coitu tam licito, quàm illicito.

Virginitas commendatur propter multa digna laude: & excellentias, quæ sunt in virgine.

Quia Christi sponsa, & socia.
Cordis, & corporis munditia.
Thesauri pretiositas.
Angelorum conformitas.
Corporis, & animæ integritas.
Interior conformitas.
Remunerationis incomparabilitas.

Primum igitur in virgine est; quia Christi sponsa, & socia. Corinth. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Leuit. *Præceptum est summo sacerdoti virginem tantùm ducere vxorem: sed viduam, & repudiatam: sordidam, & meretricem non accipiet.* Per ista verba, quatuor genera mulierum, quæ à matrimonio summi sacerdotis repelluntur, significat quatuor genera hominum, quæ à matrimonio Christi

2. Cor. 23.
Leuit. 21.

exclu

excluduntur. Per viduam, intelligitur anima, cui mortuus est carnalis vsus: sed non affectus, quam sola necessitas trahit à malo: non charitas: quia talis potest dici vidua de viuo marito: quæ lambit, vbi mordere non potest, id est, delectationes præteritas, quas habere non poterit, cupit: sicut canis lingit vas post cibum. De tali dicit Apost. *Vidua in delicijs viuēs mortua est.* Talis enim vidua, quādo contingit ei aliquid, quod ei nō placet, plāgit, & recogitat maritum suū mortuū, quāuis fuerit pessimus. Talis est anima, quæ quādo contingit ei aliquid diuersi: semper suspirat ad ea, quæ dimisit: vt filij Israël ad ollas carnium in Ægypto. *Act. 5.*

Secundò, per repudiatam intelliguntur illi, quos mundana negotia repudiant, & ad illa se ingerunt: non vocati, à mundo contemnuntur, & opprimuntur, & mundū non contemnunt. Sicut meretrix ab amatore suo non recedit: licèt ab eo frequenter verberetur, & cum eo multas molestias sustineat. Aug. *Ecce turbat mundus, & amatur, quasi si tranquillus esset. Quomodo inhæreret formoso: qui sic amplectitur fœtidum?* Sicut enim vna anima non potest esse habitatrix duorum corporum, ita amor Dei, & amor mundi non possunt simul in eadem anima dominari. Vnde idem August. *Totum exigit te, qui totum fecit te.* Item, tales verè possunt cōparari lenonibus, qui in curiis principū bonis nutriti licèt fustigentur: tamen expulsi hinc, redeunt aliunde. Sic quidā sunt illecti ita delectationibus mundi, & illecebris, quòd licèt aduersitatibus, & molestiis impugnētur: tamen ab eo non recedunt. contra quos Eccl. Minimū pro magno placeat tibi: & impropetium peregrinationis tuæ non sustinebis. Per sordidā intelligitur anima, quæ immundis affectibus maculatur. *Si vis ergo desponsari à Christo: auferas tibi vestimenta sordida, iuxta verbum Zachar.* Exemplum, quòd in veste alba turpior est macula, & facilius apparet: sic in virgine. Sicut solent facere virgines maritandæ, abiicere. s. sordida vestimēta. sic & tu sordida opera, vt omni tempore vestimenta tua sint candida. vnde Apost. ad Ro. *Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* *Eccl. 29.* *Rom. 13.*

Quartò, per meretricem, quæ cuilibet paret libidini, intelligitur anima, quæ cuilibet cedit tētationi. Et not. quòd non dicitur casta mulier, quæ libenter audit verba corru-

ptoris : licèt ei consentire nolit. *Sic* non dicitur casta anima, quæ libenter audit verba carnalia, & tentationes Diaboli recipit, & in eis delectatur: licèt peccato consentire nolit. Ideò dicitur in Eccl. *Attende auditui tuo: quoniam in subuersione tua ambulas.*

Secundum, quod virginitatem commendat, est cordis, & corporis mundicia. *Apoc.* 14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt.* Hier. *Illa virginitas hostia Christi est, cuius nec mentem cogitatio: nec carnem libido maculat.* Castitas enim corporis sine castitate mentis, est quasi spica sine grano: bursa, sine argento: nux, sine nucleo: dolium, sine vino. Hæ sunt virgines fatuæ, quæ excluſæ sunt à nuptiis. Matth. *Quia non habuerunt oleum gratiæ in vasis suis.* Virginitas enim sine gratia, & charitate, est lampas sine oleo, & igne. Bo. *Subtrahe oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, castitas non placet.* Item, virginitas corporis plena sordidis desideriis similis est latrinæ habenti orificium deauratum: & lampadi integræ plenæ cœno, & stercore: & sepulchro exterius ornato. Matth. *Væ vobis hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis.* Macula enim in veste alba turpius apparet. Sic macula peccati in virgine. Ideò byssò cõparatur. Prouerb. vlt. *Purpura, & byssus indumentum eius.*

Tertium, est thesauri pretiositas. Ideò gemmæ compa-

ratur. Aug. *Virginitas est gemma pretiosa, & thesaurus.* Matth. *Simile est regnũ cœlorum thesauro abscondito in agro.* Iob. *Nunquid ingressus est thesauros niuis.* i. virginitatis, *aut thesauros grandinis,* id est castitatis, & continentiæ. Omnis ponderatio cuiuscunque rei temporalis, cuiuscunque ponderis sit, & valoris, non est digna continentis animæ. Non debet esse securus, qui inter latrones tàm pretiosum thesaurum portat in vase tàm fragili. Cor. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Bern. *Solent virgines, quæ verè virgines sunt, semper esse pauidæ, & nunquam securæ.* Exemplum de Bern. Qui propter meretricem clamauit. *latro, latro.*

Quartum, est angelorum conformitas. Hieron. *In carne præter carnem viuere, non terrena vita est: sed angelica.* Matt. *In resurrectione non nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei.* Ambr. *Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines angelis assimilantur.* Maior est tamen

victoria

victoria virginum, quàm angelorũ. Angeli enim sine carne viuunt: virgines verò cum carne incorruptibili triumphãt. Et nota, quòd virgines debent esse solitariæ, & siluestres, nõ multùm affabiles. Siluestria autem animalia pulchriorem pellem habent, quàm domestica: & cattus siluester, quàm domesticus. Sic virgines siluestres pulchriores interius solent esse, quàm affabiles. Familiaritas enim, & affabilitas viam parant ad luxuriam. Gen. *Vestes in omni re, &c.* Gen. 18. Bernard. *O virgo sancta, sola esto: vt illi soli placeas, quem solum in omnibus elegisti, fuge publicum, fuge ipsos domesticos.* an ignoras te verecundum habere sponsum, qui nequaquam cæteris præsentibus suam velit exhibere præsentiam?

Quintum, est cordis, & corporis integritas. Cyprianus. *Virginitas est opus integrum, atq; incorruptum.* Ideò virginitas dicitur lampas: quia sicut lampas confracta non reparatur: sic virginitas amissa non recuperatur. Si autem aliquis amiserit virginitatem suam, si totum mundum daret plenum auro, non recuperaret eam. Amos. *Virgo Israël proiecta est in terram suam: non est qui suscitet eam.* Amos 5.

Sextum, est interior formositas, quam requirit Deus in sponsa sua. Cant. *Ostende mihi faciem tuam.* scilicet interiorem, quæ mihi placet. Pulchritudo enim interior est sicut pictura in pariete: tolle picturam de pariete, & apparebit lutum, quod erat interius. est etiam velut pulchritudo floris. Isa. *Omnis caro fœnum, &c.* Ideò dicitur Prouerb. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* pulchritudo, quæ in vestibus est, pulchritudo accommodata est: vt pulchritudo ouiculæ. Multùm erubesceret nobilis, si oporteret eum mendicare ab ignobilibus: sic erubescere debet homo, quando à vermibus, & ouibus mendicat pulchritudinem exteriorem, cui pulchritudo naturalis sufficere deberet: sicut sufficit aliis creaturis, vt soli, & rosæ. Vestes te ornãt: pulchritudo esset, si eas ornares. Ideò ornatum quærendo ostendis te esse turpem. Decor, qui cum veste induitur, & cum veste deponitur, ipsius vestis pulchritudo est, non vestiti. Bern. *Fulgent monilibus, & sordent moribus.* Cant. 2. Isa. 9. Prou. vlt.

Septimum, est remunerationis incomparabilitas. Illi enim debetur aureola, & fructus centesimus. Isa. *Hæc dicit Dominus eunuchis, qui custodiunt verba mea, & eloquia mea.* Isa. 56.

& dabo eis locum in domo mea,& nomen melius à filiis, & filiabus. Sap. *Fœlix sterilis incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto,habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Sap.3.

De Veritate.

VEritas,est adæquatio rei ad intellectum.

Veritas solet tripliciter distingui. Oris in locutione,& confessione. Cordis in contritione,& dilectione. Operis in satisfactione,& remissione.

Primò, debet esse veritas in ore per rectam locutionem. Zach. *Veritatem loquimini vnusquisq; cum proximo suo.* Vnus denarius verus:valet plus centum falsis,sic vnus homo verax valet centum mẽdaces,& plus diligit eum Deus,quàm centum mendaces.Psal. *Ecce enim veritatem dilexisti.* Item debet esse oris veritas per puram confessionem:quia confitens adducitur tanquam testis in causa domini contra ipsum,à quo exigitur veritas;quia testis falsus non erit impunitus.Prouerb.Et qui mentitur in confessione,testis est fraudulentus. Eccl. *Pro anima tua non confundaris dicere verum.* Nota,quòd in veritate confessionis Zach.8. Psal.50. Prou.12. Eccl.4.

Anima sanctificatur.
A Diabolo liberatur.
Ab ictibus protegitur.
Ad regnum introducitur.

Anima in veritate confessionis sanctificatur.Ioan.*Pater, sanctifica eos in veritate.*scilicet confessionis,*quia facta est Iudæa,*id est confessio,sanctificatio eius animæ.A peccato,& à Diabolo liberatur. Ioan. *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Item,per hanc ab ictibus inimici: *sicut pugil clipeo,*protegitur.Psal. *Scuto circundabit veri.eius.* Item,per hanc in regnum æternum introducitur.Isa. *Aperite portas, & ingredietur gens iusta, custodiens veritatem.* Secundò, est veritas cordis in contritione,vel dilectione. Iac. *Non diligamus verbo,neque lingua,sed opere,& veritate.*Ber. *Ille neque Deum amat,qui mundus:quæ amat,quærit: nec quæ illius fructũ, aut meritum sui amoris præter Deum quærit,pro certo Deum non diligit:sed sua.vt meretrix lenonem,quandiu inuenit quid rodat,* Psal. *Confitebitur tibi,cùm benefeceris ei.* Item est veritas operis Ephes. *Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia.* Nota,quòd sunt quidam falsi nuncij, qui portant Ioan.17. Ioan.15. Psal.90. Isa.22. Iac.10. Psalm.48. Ephes.3.

arma

arma regis picta in pixide. sed intus non habent litteras, neque sigillum eius. Tales sunt hypocritæ, qui non operantur intentione placendi Deo, sed mundo: & ideò opera eorum, vt falsi testes in iudicio, condemnabuntur, quando libri conscientiarum aperti erunt, & dicetur eis. *Nescio vos.* Item, volenti ditari, non sufficit ei, nisi annuatim crescat in aliquo census suus: Similiter desiderans ditari in spiritualibus bonis, debet annuatim, & quotidie bona sua ampliare, vt dicitur Thes. 4. *Ambuletis, vt abundetis magis.* Veritas est firmiter confirmanda. Psal. 30. *Quoniam veritatem requiret Dominus.* Thes. 4.

De veritate habes.

Psalm. 50.	Psalm. 118.
Prouerb. 3.	Isa. 26.
Dan. 8.	Os. 4.
Zach. 8.	Ephs. 4.
2. Tim. 6.	Ioan. 1.
2. Cor. 13.	Gal. 3.

De Videndo Deum.

VIdere debemus Deum. Psal. 84. *Respice in faciem christi tui.* Ioan. 1. *Domine volumus Iesum videre.* In quo debemus duo videre, scilicet

Christi verba.

Et eius opera.

Primò, debemus videre eius verba. Ier. 2. *Videte verbum Domini, id est, intelligite.* Agar vidit in deserto puteum aquæ videntis, & viuentis, id est sacram scripturam, quæ facit videre. Prouerb. 6. Mandatum, lucerna, & lex lux, & viuere. Ioan. 6. *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.*

Secundò, debemus videre eius opera. Psal. 45. *Venite, & videte opera Domini.*

Primò, opus incarnationis.

Secundò, opus nostræ redemptionis.

De primo Exod. *Apparuit Dominus Moysi in flama ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus ardebat: & non comburebatur.* Dixit ergo Moyses. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Ignis in rubo, deitas in carne. Deut. *Deus consumens est.* rubus propter asperitatem: humilitatem significat. Multa enim dura, & aspera Exod. 3. Deut. 4.

pro

Isa. 44. pro nobis in Cruce sustinuit. Isa. *Verè langores nostros ipse tulit, &c.*

Cant. 3. Secundò, opus nostræ redemptionis. Cant. *Egredimini*
Tren. 1. *filiæ Sion, & videte regem Salomonem, scilicet in diade, &c.*
Hebr. 12. Tren. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, &c.* Hebr. *Recogitate eum, &c.* Ideò filij Israël aspicientes serpentem æneum, sanabantur à morsibus serpentum. gloss. Videntes angustias Christi, facilius vestras portabitis.

Matt. 24. Secundò, debemus videre nosmetipsos. Matth. *Videte vosmetipsos, ne perdatis quod operati estis.*

Et nota, quòd circa nos debemus videre
Vocationem nostram ad fidem.
Defectus, & peccata nostra ad humiliandum.
Iustos homines ad imitandum.
Insidias dæmonum ad præcauendum.

Primò, debemus videre circa nos vocationem nostram
1. Cor. 1. ad fidem. Corin. *Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi*, id est, quos mundus stultos reputat, elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi, id est pauperes, qui nullius erant potentiæ, elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia, & contemptibilia mundi, id est: quæ omnino nihil videntur valere, elegit Deus, & ea, quæ non sunt: vt ea, quæ sunt, destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.

Secundò, debemus videre defectus nostros, & peccata
Iere. 11. ad humiliandum nos. Ierem. *Vide vias tuas in conualle, scito quid feceris.* Aug. *Homo, si te videres, tibi displiceres: nunc autem, quia te non vides, tibi places, & mihi displices.*

Tertiò, debemus videre circa nos iustos homines ad
Hebr. 13. imitandum. Ad hæbreos. *Mementote præpositorũ vestrorum,*
Matt. 11. *qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem.* Matt. *Quid existis in desertũ videre arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre, hominem mollibus vestitum?* q.d. non. sed quid existis videre? prophetam? vera dicit. & dico vobis, & plusquam prophetam: quia
Iob. 28. bona facit. Iob. *Respiciet Dominus, & dicet peccaui, &c.*

Quartò, debemus videre insidias Diaboli ad præcauen-
Ephes. 5. dũ. Eph. *Videte, quomodo caute ambuletis.* quia diabolus insi-

diatur

diatur vbique: sicut latro mercatoribus, quando nouit eos aliquid portare. Psal. *In via hac, qua amb. abs. la. mi.* Sicut absconditur rete auibus: vel piscibus hamus. Vel cautè ambuletis, ne cadatis; quia via lubricosa. Cor. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Psal. 141. Cor. 9.

Tertiò, debemus videre ea, quæ futura sunt, iuxta illud. *Vtinam separent*: quàm dulcis est Deus. Psal. *Gustate & vide te, quoniam, &c.* & intelligerent, id est, seipsos viderent. Ber. *Vide vnde venis, & erubesce: vbi es, & ingemisce: quò vadis, & contremisce ac nouissima prouiderent.* Psal. 33.

Debemus ergo videre.

Diem iudicij, vt timeamus.

Pœnas inferni, vt caueamus.

Gaudia æterna, vt appetamus.

Primò, debemus videre diem iudicij, vt timeamus. Da. *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: & sequitur in eodem. Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Luc. *Videbunt filium hominis venientem cum potestate magna, & maiestate*: Greg. *Illum die fratres ante oculos cordis ponite: & quicquid graue cernitur, eius comparatione leuigatur.* Da. 7. Luc. 30.

Secundò, debemus videre pœnas inferni, vt caueamus. Isa. 12. *Vadam ad portas inferi*, scilicet cogitatione. Ber. Vadam, vt videam, & timeam, & euadam. Iere. *Scito: & vide, quàm malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuũ, & non esse timorem Domini apud te:* Iere. 11.

Malum est, propter pœnarum acerbitatem.

Amarum, propter perpetuitatem.

Isaiæ. *Quis habitabit ex vobis cum arboribus sempiternis?* Isa. 33.

Tertiò, debemus videre gaudia æterna, vt appetamus, dicentes cum Stephano. *Ecce video cœlos apertos, &c.* Isa. *Oculi tui videbunt Ierusalem, ciuitatem opulentam.* Apost. Cor. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Cor. 13.

De Vita æterna.

VIta æterna est vita beata, sicut dicit. Augu. Beata vita est, cùm illud, quod hominibus optimũ est, habetur, & amatur. Si alicui nunciaretur, quòd esset hæres alicuius possessionis, vel hæreditatis, vnde magnus honor sibi, vel suis posset euenire: multùm gauderet, & magnas expensas faceret: & transiret maria, & montes: vt ad hoc posset

perue

peruenire. Et si dimitteret se exhæredari, accideret ex prauitate magna, & defectu cordis. Deus autem nunciat amiIob. 37. cis suis, quòd sunt hæredes vitæ, & regni æterni. Iob. *Annunciat amico, quòd possessio eius sit*, scilicet quòd habeat ibi ius, & quòd ad eam possit ascendere, nisi ex prauitate, &
Iob 37. defectu cordis perdat. Et eiusdem. *Super hoc expauit cor meũ & remotum est de loco suo.* parùm fuit, quòd non saltaret de ventre ob cordis desiderium.

Vita æterna debetur nobis iure hæreditario. Turpe est, cùm terra venditur aliqua, si ab eis, qui sunt de cognatione, nõ ematur. Sic est, quòd nos omnes sumus fratres Christi: Vnde hæreditatem regni cœlorum, quam venditioni
Iere. 33. exponit, emere debemus. Ier. *Eme agrum meum, qui est in Anathot.* Anathot enim interpretatur gratificatio designantis, & significat regnum cœlorũ, quod est regnum gratum: & quod gratificati possidebunt: tibi enim competit iure propinquitatis. Item, libenter dicitur res emi, in qua quis nec falli potest, nec dãnificari. Tale est regnum cœlorum,
Prou. vlt. quantuncunque constet. Prouer. *Considerauit agrum, & emit eum. Gustauit & vidit, quia bona est negociatio eius, &c.* Item, Deus stendit vitam æternam multùm valere, & magnam esse, quando tam carè vendit eam amicis suis, quos nullo modo deciperet. Petrus emit eam martyrio Crucis. Paulus, amputatione capitis. Bartholomæus, decoratione corporis. Stephanus, lapidatione. Laurentius, vstione. Antonius: corporis flagellatione, & afflictione, & sic de reliquis. Ipse etiam filius Dei emit eam pro suis sequacibus, & amicis, sanguinis effusione. Magna insania videtur illius, qui credit minori pretio habere vinum quàm filius, vel seruus, vel etiam ipse paterfamil. Sic qui paradisum credit ad melius forum habere, quàm Sancti, vel etiam ipse Christus.
Luc. vlt. Luc. *Nõne oportuit Christum pati &c.* Grego. *Quis sanctorum sine tribulatione coronatus est? facta præcedentium recolamus: & grauia non erunt, quæ sustinemus.* Item, si homo tantum laborat pro vita ista, quæ fluida, & misera est: quantum deberet laborare pro vita æterna. Augustinus. *O amatores mundi, non est requies, vbi quæritis eam: beatam vitam quæritis in regione mortis, non est hic: quomodo ibi beata vita, vbi nec vita? Quòd si amatis istam miseram, fluidámque vitam: vbi cum*

tantò

tantò labore viuitis, quantò magis amare debetis illam beatam vitam, vbi nullum dolorem sustinebitis? Si homo tantùm cauet sibi à nociuis pro vita temporali: quantò magis cauere debet à prauis operibus, quibus æterna vita perditur: Item, homo indigens omni bono libenter quæreret patriam, vbi in bonis omnibus abundaret sine fine: hæc est vita æterna. Iud. *Tradet vobis Dominus locum, in quo nullius rei erit penuria.* Deut. *Omnium rerum abundantia perfrueris.* Augustin. *Quid per multa vagaris, ô homuncio, quærendo animæ tuæ, & corporis tui bonum: ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Quid enim amas caro mea? Quid desideras anima mea? vbi est quid amas: quicquid desideras?* Nota ergo, quòd ibi inuenitur. Iud. 18. Deut. 8.

Nota, quòd septem sunt gloriæ spirituales, quæ habent corpora, & septem animæ. In corpore quidem habent.

Pulchritudinem.
Velocitatem.
Fortitudinem.
Libertatem.
Voluptatem.
Sanitatem.
Immortalitatem.

In anima autem habent.

Sapientiam.
Amicitiam.
Concordiam.
Potestatem.
Honorem.
Securitatem.
Gaudium.

Septimò, ibi erit vna libertas: quia liberabitur creatura à seruitute corruptionis: in libertate gloriæ filiorum Dei. Illa, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Si carè aliquando homo emit libertatem temporalem, quare non æternam? Ibi erit æterna securitas, ibi habetur: viuent enim in omni tranquillitate. *Quia iustorum animæ in manu Dei.* Bern. *O ciuitas cœlestis, mansio secura, patria totum continens, quod delectat: populus sine murmure: scholæ nullam indigentiam habentes.*

O quam

O quam glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei. Si ergo vis eſſe ſecurus, ibi habitare ſtude. Ibi erit corporum velocitas. Vnde ſi te delectat velocitas: illic velox erit & corpus. Sicut ſol ſtatim cùm naſcitur in Oriente, apparet in Occidente: ita citò ſancti ab Oriente in Occidentem venire poſſunt: tunc ſalier, ſicut ceruus, claudus: vt dicitur in Pſal. 111. Iſa. id eſt, ibi erit diuitiarum copioſitas. Pſal. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Deus enim fideles ſeruos ſuos ſupra multa cõſtituet. Greg. *Si verè fratres, diuites eſſe cu. &c.* Iſa. 7. *Oculi tui videbunt Ieruſalem, ciuitatem opulentam.* Ibi erit deliciarum voluptas. Omnes delicię, quæ ſunt in mundo, & erunt vſque in diem iudicij, minores ſunt reſpectu illius ſuauitatis, quàm ſit vna gutta aquæ reſpectu totius maris. Bern. *Tanta eſt ſuauitas, & iucunditas illius cœleſtis patriæ: quòd ſi nõ liceret ibi eſſe, niſi per vnius horæ moram: omnes dies huius vitæ pleni deliciis meritò contemnerentur.* Cui comparata omnis aliunde ſuauitas, dolor eſt. Omnis iucunditas, mœror. Omne dulce, amarum. Omnis decor, fœditas. Omne quodcunque aliud delectari poſſit, moleſtum: cum Dei bonitas in infinitum excedat omnem bonitatem. Ber. *Si tanta inuenitur delectatio in portiuncula creaturæ: quanta erit in ipſo Creatore? ſi gutta inebriat: multò magis fons totus.* Guid. Car. *Si diuinæ bonitatis veſtigia tantùm habent ſuauitatis: quid habet ipſe fons pietatis Deus?* Item, ſolus odor, qui datur Sanctis in præſenti plus valet, & delectat, quàm totum gaudium huius mundi. Quid erit de veritate dulcedinis? Auguſtin. *Quicquid voles erit: & quicquid noles, non erit.* Gregor. *Nihil exterius, quod appetatur: & nihil interius, quod faſtidiat.* Cor humanum, Cor indigẽs, Cor expertum ærumnis, quantum gauderes, ſi his omnibus abundares. *Ibi vileſcunt omnia, quæ habentur in terris.*

Ibi erit concordia, & pax: quia nihil aduerſum, nec à ſeipſo, nec ab alio quis patietur: quia erit illis omnibus vna voluntas. Ideò in illa æterna patria, vbi immortales erimus, nec prælia erunt vlla, nec debita: ſed vera pax, & gaudium. Ibi enim in Dei laudibus vacabimus, qui erit omnia in omnibus. Ibi erit honor, & dignitas. Verus honor, qui nulli digno negabitur: nulli indigno concedetur: immo Pſal. 81. filij Dei, & Dij vocabuntur. Pſal. *Ego dixi dij eſtis: & filij, &c.*

quia

quia ibi erit Deus: & ipsi sancti. Ioan. *Volo, pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus.* Dedignetur ergo, fratres, vnusquisque nostrum vltra seruire peccato: cui tanta promittuntur in cœlo: & multa alia, quæ oculus non vidit: nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus electis suis. Ad quæ nos perducat, qui viuit, & regnat in secula seculorum. Amen. Ioan. 17.

De vita animæ virtuosæ habes. Deu. 30. Ezech. 17 Ephe. 2. *Phil. 1.* Psal. 21. Ioan. 5. Gal. 2.

FINIS.

DICTIONARII DE VITIIS

PARS ALTERA.

In qua explicantur plura Vitia iuxta Ordinem Alphabeti, citatis hincinde locis.

GRAVE peccatum est adulterium: quod etiam feris, & barbaris detestabile est: ætatē omnem fœdat, & senectutem extinguit. Est malum ex causa materiali; quia actus ille malus est: graue est ex causa formali; quia aufert triplex bonum

Fidei.

Spei.

Sacramenti.

Adulterium est veluti absinthium, cuius radix est dulcis, & herba amara: & sicut radix iuniperi, cuius radix, & folia sunt pungitiua, & fructus niger, & amarus.

Bonum fidei oritur ex nuptiali confœderatione: bonum spei, siue bonum prolis est filiorum educatio: concipere
Gen. 3. multos filios est pœna peccati. *Multiplicabis conceptus tuos.* Sed bonum prolis est bonum spei.

Bonum sacramenti duo ostendit, *institutionem* Christi, & mysticam significationem *corporis cum capite.*

Si adulteri hodie, vt in veteri lege, lapidarentur: deesset præfectò lapides; Quia maledictum, mendacium, furtum, adulterium innundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. O tempora, ô mores, incidimus in mala tempora. Sicut Simon Magus prædicabat omnem coitum licitum: ita nostrates faciunt, quò nihil sceleſtius audiri potest à viro Christiano.

Adul

Adulterium, est enorme furtum; quia vir non habet potestatem sui corporis: sed mulier. Et mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir. Sciat vnusquisque vas suum possidere sanctificatione, & honore. Sciat ergo: ignorantia non excusat. Vnusquisque ergo: matrimonia non sunt promiscua, vt prædicant Anabaptistæ posse dici. ergo vir in vxorem habet ius in sanctificatione, & honore: quia adulter est, qui suam vxorem amat ardentius. Hic. contra Iouinianum.

Adulter tria mala facit. { Peruertit ordinem naturæ, quia adulterium naturæ iniuria est. Amb. Matth. 22. *Quod tibi non vis, &c.*

Frangit fidem coniugalem. Eze. 16. *Facta est quasi mulier adultera, quæ super virum inducit alienum.*

Incurrit iram Dei. *Adulteros iudicabit Deus.* id est, *damnabit eos.*

Adulteriũ est via, qua itur ad infernum: & non tantùm via: sed etiam os inferni. & nõ tantùm os inferni: sed etiam clauis. & non tantùm clauis: sed etiam porta inferni. vel quia infamiam inducit: plus enim diffamat, quàm cætera vitia. vel quia frangit mutuam, & maritalem concordiam, Vnde Ari. Bonum est abstinere ab aliena muliere propter temperantiam. *Paul.*

Adulterium graue peccatum est, duplici ratione.

Concordia viri, & vxoris in quinque gradibus consistit.

Primus, in mutuo amore Ephe. 5. *Viri, diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam.*

Secundus, in fraterna correctione. Ephe. 5. *Subiecti inuicem in timore Christi.*

Tertius, in mutuo honore. 1. Pet. 3. *Infirmiori vasculo honorem impartientes.*

Quartus, in mutua conuersatione. Eph. 5. *Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ.*

Quintus, in mutuo debito. 1. Cor. 7. *Vir debitum vxori reddat: similiter autem vxor viro reddat* (ait Apostolus.) quod verbum pertinet ad iustitiam commutatiuam.

Prima fornicationis tela oculorum sunt: mens capitur oculis. secunda verborum: sed qui non capitur oculis, potest resistere verbis. non est morbus libidine commoueri,

ſed eſſe libidinoſum. Lact. Fornicatio retinetur per amorem, & conſuetudinem, augmentatur per gulam, minuitur per abſtinentiam, deſeritur per deteſtationem.

Fornicatione coinquinari, deterius eſt omni peccato, melius eſt enim mori, quàm adulterari.

Dauid vidit, quod non debuit videre, contraxit maculam toto tempore vitæ ſuæ.

Sanſon dormiuit in gremio Dalidæ, & amiſit capillos ſuæ fortitudinis.

B. Benedictus in tentatione proiecit ſe nudum in ſpinas.

Quidam Sanctus abſciſſam linguam ſuam proiecit in faciem mulieris.

Quædam monialis tentata à rege Angliæ, eruit ſibi oculos, & miſit ei, vt haberet, quod deſiderabat.

Tria ſunt remedia fugiendi adulterium.

Imago futuri iudicij.
Vitæ noſtræ fragilitas, & conditio.
Flammarum ſtridor; quia ſicut clauus clauum expellit: ita ardor gehennæ immittit foras ardorem luxuriæ. Ber.

De Adulterio habes.

Gen.20.
Exo.20.
Num.5.
Iob.24.& 31.
Ecc.23.
Oſeæ.7.
1.Cor.6.
Gen.26.
Leuit.18.
Deu.22.
Prouerb.6.18.30.
Dan.3.
Matthei.5.13.

De Adulatione.

ADulatio eſt nutrix Diaboli, lactans peccatores lacte adulationis, & obdormire faciens, in peccatis com-
Prouer.1. placendo, & cantilenam Diaboli cantando. Prouer. *Fili mi ſi te iactauerint peccatores, non acquieſcas eis.* Item ibidem. *Vir*
Prouer.1. *iniquus lactat amicum ſuũ, & ducit per viam non bonam.* Item, ſũt mimi, & ioculatores Diaboli, non permittentes ſuos in
Oſee.7. aliquo contriſtari. Oſeæ. *In malitia ſua lætificauerunt regem, & in immunditiis ſuis principes.* Item, ſunt in cantatores

Diaboli,

Diaboli, qui faciunt hominibus credere, quòd ipsi non sunt: & vbi nihil est, aliquid esse ostendunt. Psal. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Hoc oleo inungit Diabolus suos. Aug. *Oleum, est falsa laus adulatoris, quæ mentes à rigore veritatis emollit ad noxia.* Itē, sunt proditores: qui sub specie osculi tradunt hominem hostibus suis: vt Iudas 1. *Reg.* 10. Christum. Ioab Amasam. vnde Isa. *Populе meus, qui beatū te Isa.* 5. *dicunt, ipsi te decipiunt.* Idem. *Et erunt, qui beatificant populum Isa.* 9. *istum seducētes, & qui beatificantur præcipitati.* Item, sunt rete Diaboli. Prouerb. *Qui blandis, fictisque sermonibus loquitur Prouerb.* 29. *proximo suo, expandit rete gressibus eius.*

Adulatio dulce venenū est: & nihil mortalium auribus accidit suauius, quàm propriarum rerum cantilenā audire; quare adulatio est mel venenatum, & venenum mellitum.

Pernitiosa res est adulatio: siquidem cuius aures clausæ sunt veritati, vt verum audiri non possit, eius salus desperanda est.

Adulatoris verba sunt, iniquitas, & dolus. *Lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos.* lamiæ quasi laniæ. Hæc est adulatio, quæ veritatem dilacerat. nam adulator quasi clauum figit in oculo eius, cum quo conserit.

Adulator est similis Cameleonti, qui colorem eius rei recipit, cui adhæret: ita adulator, qui adulando latet; latendo placet; placendo accipit; accipiendo decipit. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.*

Oleum tres habet proprietates, quia est { Dulce. / Splendidum. / Et lubricum.

Sic adulatio, dulcis, splendida, & lubrica: habet enim lumen apparentiæ, & suauitatem complacentiæ. Est veluti canis, qui lingit sanguinem, & nō mordet. Hæc est magna illa bellua Dan. 7. *Quæ in parte stetit, & tres ordines dentium erant in ore eius.*

Animal inter omnia maximè noxium, inter immitia, tyrannus, inter mitia, adulator.

Adulatoris lingua plus nocet, quàm gladius persecutoris. Aug. Psal. 69. *Lingua adulatoris assimilatur capræ, quæ* (vt Plin. ait) *semper febricitat, & quicquid lingua tangit, vel arescit, vel sterilescet.*

Nihil est, quod tam facilè corrumpat mentes hominum, vt adulatio.

Rarò vox humilis, & dulcis est constans. Sen. *Habet enim iusitum venenum blanda oratio.* Ideò caue à catto, qui (vt prouerbio circunfertur) prius lambit, deinde rodit.

Adulatio quatuor mala facit.
- Decipit credentem.
- Rodit absentem.
- Se reddit odibilem.
- Sibi acquirit ruinam, & perditionem.

Adulator est propinator Diaboli, & infernalis sacerdos. sacerdos enim incipit Vesperas à *Placebo*, & mox ad sepulchrum deducit cadauer, longè melius esset, si inciperet à *Dirige*.

Adulatio, cancerosus morbus vbique serpens, est sagitta, quæ leuiter dolat, & citò infigit.

Hæc prodigos, vocat
- Liberales.
- Auaros, parcos.
- Lasciuos, curiales.

Garrulos, affabiles.
Obstinatos, constantes
Pigros, maturos, & graues.

Vel prædicat in te bonum, quod desideratur, & est vanitas.

Vel maius bonum, & est iniquitas.

Vel dicit malum bonum, & est impietas.

Vel detrahit quantitatem, & qualitatem mali, & est peruersitas.

Adulator, quid est hostis blandus & Scilla Diaboli, quatuor modis decipit, vel prædicat, &c.

Qui mel in ore gerit, & me retro pungere quærit.
Eius amicitiam nolo mihi sociam.

Tria sunt, quæ à nobis repellunt adulationem.
- Bona conscientia.
- Difficilis auditus.
- Humilitas.

Bona conscientia: cùm quis laudatur, recurrat ad conscientiam. *quia culpam agnoscere.* id est, timere. *vbi culpa non est, bonarum mentium est.* Gregor.

Difficilis auditus. Nos ad patriam festinantes, mortiferos Syrenarum cantus debemus surda aure transire.

Humilitas. Aug. *Magis optabo à quolibet reprehendi, quàm ab adulatore laudari.* Humilis est veluti balsamus, si est pu-

rus

rus, petit fundum. si sophisticus supernatat: ita humilis petit fundum humilitatis.

Adulationis comites sunt sex.
- Odium,
- Fraus,
- Proditio,
- Nota mendacij,
- Sequela seruitutis.
- Excæcatio proximi.

Opportunum remedium repellendi adulationem, est amaris delectari: nam dulce est amicum naturæ, sed est oppilatiuum. Stomachus gustando dulcedinem, in se retinet, nec aliis membris communicat: quare vi dulcedinis superatus non coquit superflua: & ita oppilatur, quod non accidit in amaris. Quare ait D. Ambrosius, quod adulatio est veluti cicada, quæ si oleo infundatur, perit: nam perclauduntur, & respirare nequit: sed si aceto aspergatur, statim surgit. In veteri testamento non adhibebatur mel in sacrificiis, sed sal: ergo cum sal correctionis in omni sacrificio acceptatur à Domino, mel adulationis in omni sacrificio reprobatur.

De adulatione habes.

2. Reg. 1. & 4.
2. Reg. 16.
4. Reg. 22.
Prouerb. 27.
Eccl. 27.
1. Thess. 2.
Ezech. 13.
Matth. 22.
Act. 12.
Eccl. 7.
Gal. 1.

Psal. 9. Quoniam laudatur.
Psal. 13. Sepulchrum patens.
Psal. 22. Qui loquuntur pacem.
Psal. 34. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur.
Psal. 39. ferant confestim confusionem suam.
Psal. 40. Etenim homo pacis meæ.
Psal. 52. Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent.

De Ambitione.

AMbitio est immoderatior honoris cupiditas, & est causa omnis belli.

Ambitio tria facit.

Allicit.

Deiicit.

Decipit.

Primò, Ambitio allicit, & tenet hominem in periculoſo ſtatu: ſicut enim canis inuitus relinquit os carneũ, & carnes nimis calidas iuxta ignem, licèt noceãt, & licèt nimis plenus ſit: ſic ambitioſus, dignitates, licèt occaſione earum multas anguſtias ſuſtineat, & pericula. Prouerb. *Vſquequo parui, diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient?* Puer cum difficultate aſcendit equum: ſed quando parum equitauit, non poteſt deponi, donec cadat ſubitò: ſic & ambitioſus vix dignitates relinquit, donec ſubitò moriatur. Pſal. *Vidi impium ſuperexaltatum, &c.*

Prou.1.

Pſal.36.

Secundò, deiicit in peccatum, vel in infernum. Arbor paulatim, & cum difficultate exaltatur: ſed ſubitò flatu vẽtorum deiicitur: ſic ambitioſus. Greg. *Paulatim aſcendiſti: ſed non paulatim deſcendes: ſed tanquam fulgur, & alter Satanas.* Item, qui ponit pedẽ ſuum ſuper vacuum, vel foueam, ſtatim alta deſerit, & in ima cadit: ſic qui affectum ſuum ponit in vanitate rerum temporalium, vel dignitatum, citò Deum deſerit, & in culpam cadit. Pſal. *Deieciſti eos, dum alleuarentur.* Sicut cornicula, quando non poteſt frangere nucem, in altum portat, vt fortius cadat, & frangatur. Sic Diabolus in dignitatibus eleuat aliquos, quos ante non poterat vincere, vt in peccatum deiiciat. Ideo ſtatuit Chriſtum ſuper pinnaculum templi. Matt. 4. Iob. *Eleuaſti me, & quaſi ſuper ventum ponens eliſiſti me validè.* Item, aquilam volantem altè facit cadauer deſcendere. Sic hominem, quando alta virtutum, & contemplationis aſcendit dignitas, vel temporalis voluptas. Pſal. *Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendent vſque ad abyſſos.* Item decipit. Apis mel habet in ore, in cauda aculeum: ſic dignitas temporalis poſt blandimenta adulatorum, vanitatum, & delectationum pungit. Prou. *Nouiſſima illius amara.* quaſi abſinthium, hoc eſt oſculum Iudæ, qui cum Domino mãducauit, poſt tradidit eum inimicis ſuis. *Traditor autem dedit eis ſignum, &c.* De aliqua dignitate temporali dicit mundus Dæmonibus. Iſte eſt,

Matth.4.

Iob 30.

Pſal.6.

Prou.5.

Matth.26.

quem

quem trado vobis vt vestrum. Item accidit, quòd comestis carnibus os proiicitur: magni canes osse relicto, inter se litigant propter ipsum: alius paruus canis veniens os inuenit, & comedit in pace, magnis de eo certantibus, & nihil indè habentibus. Sic de istis magnis clericis, cùm aliqua prælatura, vel grossa præbenda vacat: exurgit vnus ex vna parte, alter ex altera ad illam adipiscendam, ad Papam appellant. Prælatura relicta, super eam litigant, & interdum Dominus confert eam alicui simplici, & bono viro, qui eam non expectabat: nec curam adhibuit ad eam habendam. Luc. *Deposuit potentes de sede, &c.* Item cappa pluuialis non ideò præponitur cæteris vestibus, quia pretiosior, & carior habeatur: sed vt sola deturpetur, & alia vestimenta munda custodiantur. sic homo in prælatione: quia expedit, vt vnus homo moriatur pro populo. *Luc. 1.*

Ambitio est ianua, per quam omnia vitia intrant ad cor, & veluti ignis semper alta petit.

Ambitio est venenum secretum, & morbus subtilis, qui omnium corda penetrat, & omnes torquet. Herodes scatens vermibus expirauit: quo morbo percussit eum Angelus; quia non dedit gloriam Deo.

Ambitio est mater hipocrysis, & origo omnium malorum.

Ambitiosus est sicut puer: qui dum venatur papiliones, cadit in foueam. Ansel.

Ambitiosus semper appetit honores: sed hoc quatuor modis.

Vel ad vitandam infamiam: vt legitur de Samuele, qui seipsum laudabat. Regum. *Reg. 12.*

Vel propter gloriam Dei, & populi commodum. *2. Corinth. 11.*

Vel propter auaritiam, vt pharisæi. Matth. *Matth. 25.*

Vel quia homo delectatur humanis laudibus.

Prima laus est prudens.

Secunda est charitatiua.

Tertia est mortalis.

Quarta est venialis.

Tanta est ambitio, quòd nulla supereſt, vel possibilis via, vel forma, vel inexcogitatus negociādi modus, quem pro acquirendis honoribus non apponant homines im-

memores plerũque ſpiritualis periculi, quod ſibi imminet. Eſcaambitionis eſt, cùm quis præſumit alios regere: cum tamen ſeipſum regere neſciat. De ambitioſo ait Innoc.

Ambitioſus vt eſt ad honorem promotus
In ſuperbiam extollitur.
In iactantiam effrænatur.
Non curat prodeſſe.
Gloriatur præeſſe.
Præſumit ſe meliorem; quia cernit ſe ſuperiorem.
Priores dedignatur amicos.
Non curat extraneos.
Comites contemnit antiquos.
Vultum auertit.
Ceruicem erigit.
Faſtum oſtendit.
Grandia loquitur.
Sublimia meditatur.
Subeſſe non patitur.
Præeſſe molitur.
Subditis oneroſus.
Omnibus infeſtus.
Præceps.
Moleſtus.
Arrogans.
Grauis, & importunus.

Ambitio comparatur Draconi, qui, vt ait Iſidorus, eſt animal ſitibundum, & ardens: ita quòd non poteſt aqua ſatiari; ideo os vento aperit, & ardorem venti frigiditate temperat: appetit velum nauis, vt ad ſe flatum attrahat: ſed interdum pondere ſui corporis ita concutit nauim, vt eam ſubuertat: ita eſt ambitioſus per omnia. Hieremiæ. *Onagri ſteterunt in rupibus, attraxerunt ventum quaſi Dracones.*

De Ambitione habes.

4. Reg. 14.
Ierem. 12.
Eccleſ. 7.
Sophon. 3.
1. Cor.

1. Cor. 13. Gal. 3.
Philip. 3. 1. Tim. 3.
Hebr. 5. Hebr. 11.

De Saltatrice.

SAltatrices multa mala faciunt: quia in exercitu Diaboli

Arma deferunt.
Ignem incendunt.
Deo, & Sanctis contumeliam faciunt.

Primò, in exercitu diaboli arma deferunt. Quãdo princeps aliquis timet de guerra, præcipit hominibus suis monstrare arma in aliquo festo: Sic facit Diabolus iuuenibus portare arma luxuriæ diebus festiuis. Et sicut senex: qui non potest amplius ferre arma, dat filio suo pro se. Sic vetulæ, quæ non possunt plus facere, filiabus suis dant arma luxuriæ, & mittunt in exercitum diaboli, scilicet ad choreas. Hoc satis innuitur. Apoc. vbi dicitur, quòd de fumo putei, id est, de fœtore, & ardore luxuriæ, exierũt locustæ, id est, choreatrices, ad voluntatem eius saltantes, similes equis paratis ad prælium. In quo innuitur, quòd diabolus in eis sedeat: vt per eas Deum impugnet, & super capita eorum, tanquam coronæ similes auro: hoc pertinet ad ornatum capitis. Potentiora arma, quæ habet Diabolus, sunt mulieres: quod patet ex hoc, quòd Diabolus elegit mulierem ad decipiendum primum hominem. Sic Dauid, & Sanson, & Salomon, & fortissimi quicunque interfecti sunt ab ea. In choreis nõ habet diabolus vnicum gladium: sed tot, quot sunt illic personæ pulchræ, & ornatæ. vnde Isidorus. *Gladius igneus species mulieris.*

Secundò, ignem incendunt. Tales similes sunt vulpibus Sansonis, habentes ignem in caudis, quæ combusserunt segetes. Cant. *Capite vobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Non vtitur Diabolus vnica tantùm facere ad incendendum corda hominum, sed multis. Item, canis nobilis, aliis latrantibus per villam, pacificè in domo stat, & tacet: sic nobiles puellæ, filiæ summi regis, aliis canentibus in chorea, remanent in domo sedentes, & orantes. Nota, Cant. 5.

quòd

quòd canicula, quando diligit canes, non potest vinculis
Prou. 7. detineri: sic mulier vaga, & quietis impatiens, non valet in domo consistere.

Tertiò, Deo, & Sanctis contumeliam faciunt. Nulli Sancto, vel Sanctæ defuerunt, quin choreas ducant, & omnibus contumeliam faciant. Sicut enim contumeliam faciunt alicui Sancto, qui peccant in loco ei dedicato: sic qui peccant tempore ei dedicato.

Quartò, Diaboli exercitum congregant. Quando custos porcorum vult porcos suos per campum dispersos congregare, facit vnum clamare, & alij omnes conueniunt. Sic facit Diabolus, quando vult congregare exercitum suum. facit vnam puellam clamare in media via, vel campanam suam, id est timpanum pulsare, & tunc omnes
Apoc. 9. stulti conueniũt. Hoc bene innuitur. Apocal. *Vnde dicitur, quòd vnus angelus tuba cecinit.* Vel vidi in visione equos, id est mulieres ornatas, & qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, igne concupiscentiæ flammatas, & lasciuas vanitate, & sulphureas, luxuria fœtentes, & capita eorum, tanquam capita leonum: & de ore eorum procedebat ignis, id est, cantilenæ inflammantes ad luxuriam, & fumus vanitatis, & sulphur, & fœtor luxuriæ. Item, homo, qui ducitur ad mortem, stultus reputaretur, si cantaret: vel se pretiosis vestibus indueretur. tales sunt iuuenes, qui tripudiando currunt ad mortem. Nihil aliud vita præsens, quam cursus ad mortem, vt ait Aug. Ideò dicit. *Gaudium mundanorum, gaudium freneticorum.*

De Derisoribus.

DErisio est illusio, vel subsannatio: *sed illa fit verbis. hæc vero naso rigato.*

Derisores Christum persequuntur.
Socij Dæmonum videntur.
Animas Deo auferunt.
Oues Dominicas lupis exponunt.

Primò, Christum persequuntur. Peior videtur esse maleuolentia derisorum, quàm Herodiana: Herodes occidit pueros iam natos: Derisor in vtero matris Ecclesiæ conceptos: quia quã cito apparent in eis aliqua signa voluntatis bonæ, ipsos suffocant, verecundiam eis facientes. Herodiana

diana est malitia, nascentem persequi religionem. Apoc. *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura: vt cùm peperisset, filium deuoraret.* Sed ipsi partum matris Ecclesiæ non expectant, sed conceptum deuorant. *Apoc. 12.*

Secundò, *socij* Dæmonum videntur, & hoc in lucro, & damno. Si diabolus lucratur aliquem, ipsi gaudent, si amittit, ipsi dolent, & latrant, sicut canes. Grego. *Gregem Diaboli custodientes sunt derisores; ne Deus auferat aliquam ouem de grege Diaboli.*

Tertiò, animas Deo auferunt. Maius damnum videtur derisor facere Deo, quando aufert ei vnam animam, quàm si auferret mille corpora; cum vna anima præualeat mille hominum corporibus. Isti non videtur Christiani: sed sunt antichristi. Nunc antichristi multi sunt. Nunquid apostata iudicaretur, qui non permitteret Crucem Christi in templo corporali? Quanto magis ille, qui crucem pœnitentiæ non permittit esse in templo spirituali. Tales cum sint cæci & claudicantes, deridentes videntes, & rectè ambulantes.

Quartò, lupis applaudunt: in quo lupos esse se ostendunt: oues verò, & agnos exterrent, & Christum iterum crucifigũt: dum animas, pro quibus mortuus est, auferunt, vel auferre nituntur. Isti sunt buffones, qui odorem vineæ Domini florentis non possunt sustinere. Sunt etiã crudeles in proximum: dum spirituale vulnus ipsius per pœnitentiam sanatum iterum conscindunt. Iob. *Conscindi me vulnere super vulnus.* Crudeles etiã sunt; quia fratres suos à carcere diaboli liberatos, iterũ capi faciunt. Non reputaretur ille Christianus, qui Christianos à carcere Paganorũ liberatos, faceret iterum capi. Derisores id faciunt per derisiones suas. Anselm. *Nulla est spes iaculatoris, quia tota intentione ministri sunt Satanæ.* Psalm. *Deum non cognouerunt.* & ideò Deus spreuit eos, & Dominus subsannabit illos: quia derisores deridentur. *Iob 16.* *Psal. 2.*

Sed detractor nulli parcit; sicut ille, qui emungit candelam, qui inficit, & commaculat digitos, & reddit candelam magis emicantem.

Derisio est actus præcipuè locutionis, quo quis intẽdit ad erubescentiam, & confusionem inducere. Est autem derisio mortale peccatum. Prou. *Abominatio est Domino omnis illusor:* *Prou. 3.*

illusor: At nullus dicitur abominabilis, nisi propter mortale peccatum.

Vitanda est derisio triplici ratione.
- Propter conscientiam.
- Propter derisi angustiam.
- Propter Dei reuerentiam.

Propter conscientiam; quia sibi conscius non debet alios mordere: veluti serpens, qui furtim mordet: tortuosè incedit: & terram comedit. *Comedes terram.* *Gen. 3.*

Secundò, propter angustiam. Quandoque plus affligitur homo ex derisione, quàm aliis pœnis. Saul. *1. Reg. 13.*

Tertiò, propter Dei reuerentiam. Nam quando deridetur homo, etiam deridetur Deus: ad cuius imaginẽ factus est homo. Cham fuit maledictus; quia patrem irrisit. *Genes. 9.*

Pueri illudentes Helisæo à duobus vrsis subitò fuerunt occisi. *Si dixeris derisionem non esse peccatum mortale; quia non contrariatur charitati. Nam iocosè interdum agitur inter amicos. Dicendum, quòd potest importare aliquid contrarium charitati, saltem respectu rei, & subiecti; quia per derisionem homines plerunque à bene agendo impediuntur.* *Alex. par. 2. q. 150. in 2.*

Quatuor hominum genera illudunt.
- Adulator.
- Hipocrita.
- Diabolus.
- Derisor.

Primus verbis decipit: secundus factis illudit: tertius perdit: quartus mordet.

De maledico derisore habes.

Gen. 28. Num. 12. 18. 22. 29. Hest. 2. Dan. 3. Ioan. 9. Exod. 20. Tobiæ 3. Hierem. 38. Matth. 9. 11.

De Detractione.

DEtractionis species possunt ad præsens septem assignari, scilicet.

Malum de aliquo dicere.
Audita cum augmento referre.
Falsa crimina imponere.
Occulta bona negare.

Manife

Manifesta bona minuere.
Bonum in malum conuerrere.
Detractiones libenter audire.

Primò, detractio est malum de aliquo dicere, de quo dicitur. Leuit. *Non maledices surdo.* gloss. surdo maledicit, qui absenti detrahit: quod valde impium est, cum ipse non audiat, nec contra obiecta possit aliquid respondere. Detractor comparatur. *Leuit. 19.*

Porco.
Sepulchro.
Carnifici.

Primò, dico, quòd detractor comparatur porco; quia admodum porci non parcit ori suo ab immunditia, sicut nec pedi suo: vnde si porcus intrat hortum, vbi ex vna parte flores videat, & ex altera stercora, neglectis floribus ad stercora currit, & rostrum suum in eis figit: sic detractores, flores virtutum transeunt; sed stercora, id est, peccatis aliorum insident: vnde semper habent os in luto peccatorum, plus amantes stercora, quàm aromata. Isaias. *Væ qui dicitis bonum, malum.* *Isa. 5.*

Secundò, comparatur latrinæ, vel sepulchro, de quibus fœtor incessanter exhalat. Psal. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Nullum sepulchrũ, vel latrina tantùm fœtet in conspectu hominum, sicut detractor in conspectu Dei. Tantus enim fœtor de ore eius egreditur: vt ex fœtore illo multi moriantur. Itẽ, detractores sunt dapiferi Diaboli, qui carnes humanas hominibus comedendas apponunt. Prouer. *Noli esse in cõuiuijs potatorum,* i. in collocutione eorum, qui carnes conferunt ad vescendum. Glo. carnes ad vescẽdum cõferre, est in collocutione detractionis vicissim vitia proximorum dicere. Qui aliena detractione pascitur, procul aliena carne saturatur. Apost. *Si inuicem mordetis, & comeditis: videte ne inuicem consumamini.* *Psal. 5.* *Prou. 23.* *Gal. 5.*

Secunda species est, audita cum augmento referre. Quando enim aliquis refert malũ de altero, aliquid apponit de suo, & alius aliud. Eccl. *Sagitta infixa in femore carnis, verbũ in ore stulti.* Canis enim habens sagittã infixã femori, non cessat clamare: nec quiescit, donec remota fuerit. Sic stultus quiescere non potest: donec verbum malum, quod *Eccl. 19.*

quod de proximo audiuit,alij retulerit, & aliquid addide-
Eccl. 19. rit. Eccl. *Audiuisti verbum contra proximum,moriatur in te.*

Tertia est, falsa crimina imponere: ideò comparantur muscæ quærēti vulnus in sana carne,& illi insidet, & mordet. Vnde Sanctus Basilius. Musca sanam carnem percutit, vlceri insidet, & illi figit rostrum:sic detractor quærit quē mordeat vt canis: quid dicat, vt inuidus:vnde accuset,vt bedellus:vnde famam denigret, & attenuet,vt inimicus:& si nihil inueniat,fingit,vt testis falsus. Item, tales comparantur canibus,qui in macello morantur, & sanguini insi-
Prouerb. 1. diantur, & sanguinolenta habent labia. Prou. *Insidiantur sanguini.* Sunt enim canes custodientes gregem diaboli:nec permittunt vnam quiculam inde auferri; quin latrent, & mordeant obloquendo,vel deridendo.

Quarta species, est occulta bona negare. Si offenditur artifex,quando opus suum à seruo suo vituperatur, & de-
Rom. 14. turpatur:multò magis Deus, quando homo ad imaginem suam factus,deturpatur à creatura sua. Ro. *Tu,quis es,qui iudicas alienum seruum,suo domino stat,aut cadit:* Vnde,de malo alieno os tuum non inquines, non detrahas peccatum:sed condole:& quod displicet in aliis, in te potius pertimesce: Nunquam detrahes,si teipsum bene perspexeris.

Quinta est, manifesta bona minuere. Detractio enim dicitur, quasi de alieno tractio, vel deorsum trahere: quia detractor,quantū se est, deorsum trahit,& de bono proximi subtrahit,& minuit: Vnde detractor est fur; quia bona Christi furatur, dum minuit. Imò peior est aliis furibus, quia illi furantur bona temporalia, iste spiritualia,& bonū nomen nostrum:quod est *melius*, quàm *diuitiæ multæ*. Ambr. Tolerabiliores sunt fures, qui vestes, & alia bona nostra diripiunt,quam fures,qui famam nostram lacerant.

Sexta species est,bona in mala conuertere. Bona in ma-
Eccles. 10. la conuertens insidiatur;ideò cōparatur serpenti. Eccl. *Quomodo si mordeat serpēs in silentio,nihil eo minus habet,qui occultè detrahit.* Serpens est animal proditiosum, sic est detractor:illos enim mordet retrò, quos amare sæpe simulat,dū sunt præsentes. Tortuosè incedit,vt serpens; quia à laude illius incipit, cum vult detrahere, & dicit se eum multum diligere, nec animo detrahendi dicere, vt maior ei fides

adhi

adhibeatur Hiere. *Ecce ego mittam in vobis serpentes pessimos.* Ber. *Nunquid non vipera est lingua detractoris, quæ tres interfecit uno flatu? eum, qui detrahit, & de quo detrahit, & eum, qui libenter audit.* vno enim flatu tres interficit: quia eum interficit: qui detrahit: de quod etrahit: & eum, qui libenter detractionem audit.

Septima, est libenter detractores audire. Isid. *Pari reatu tenentur detrahentes, & audientes* Berna. *Detrahere vel detrahentes audire, quid horum damnabilius sit, ne facile dixerim.* Reprehensibiles sunt in hoc, quòd vident fratres suos à canibus lacerari, & non exterrent eos, saltem clamoribus, præcipuè cum sperent se posse proficere: immo canibus applaudunt, & eos instigant, contra quos Eccl. *Sepi aures tuas spinis, ne audias linguam nequam, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Item, qui detractores audient: vel qui fratres suos comedunt, salsam ministrant, cum qua salsa eos comedunt, hilarem vultum eis ostendendo, sine qua falsa morsellus detractoris, quasi insipidus esset detractoribus. Nemo inuito auditore libenter narrat. Prou. *Vetus aquilo dissipat pluuias &c.* Chriso. *Sicut ex sordibus, & luto contrahitur immunditia, si recipiatur in aures canis.* Sic verba scurrilia, & in honesta immunditiam generant, si peruenient ad aures mentis. Et si immunditiam generant in audiente: multò magis in proferente. *Eccl.10.* *Prou.25.*

De Ebrietate.

EBrietas, secundùm Augustinum, est vile sepulchrum rationis, & furor mentis. Item, ebrietas multos subuertit, sensum minuit, & ægritudinem inducit. Ex ebrietate multa mala proueniunt. Nam

Grauat naturam.
Accendit luxuriam.
Facit hominem seruum.
Reddit ipsum insanum.
Egestatem parat.
Famem procurat.

Primò igitur Ebrietas grauat naturam: vnde dicit Dominus Luc. *Attendite ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate.* Greg. *Quantò corpus impletur, tantò anima minoratur,* Basi. *Ebrius sus, cùm putat bibere bibitur.* Sicut enim pisces, cùm *Luc.21.*

auidis faucibus properat, vt glutiat escam, repente hamū infra fauces reperit: Ita & ebriosus intra se, per vinum suscipit inimicum. qui infra eum morans impellit ad omne opus nefandū. Et homo rationalis (vt irrationale animal) fatigatur, & sic natura ex ebrietate grauatur.

Secundò, incendit luxuriam. Pro. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque in his delectatur, non erit sapiēs.* Hier. *Venter mero æstuans, citò spumat in libidinē.* Aug. *Ebrietas gignit furorem, & libidinis flammam.* Vnde Apostol. *Noli inebriari vino, in quo est luxuria:* Diabolus siquidem facit, sicut auceps, qui aues nititur ad locū congregare, vt illic illaqueentur, & capiantur: ita Diabolus nonnullos capit potus excessu, & temulentia: alios vafro, & callido quodam æstu: alios sibilo serpentino, & morsu venenoso, vt patet Gen. 19. de Loth: alios allicit tumultu, & homicidio.

Tertiò, facit hominem seruū peccati. Nulli peccato potest resistere, qui captus est hoc vitio. Diabolus quidem tenet eum per os, & ducit eum quò vult. Galienus. *Ebrius seruus est omnium peccatorum.* quia ex quo diabolus cœpit portam clausstri, facile totam familiam suam introducit. Sen. *Voluptates inter res viliſsimas præcipuè extirpa, quæ more latronum in hoc nos complectuntur, vt iugulent.*

Quartò, facit, & reddit hominem insanum. Sen. *Ebrietas nihil aliud est, quàm voluntaria insania.* Tullius. *Recta mente*
Oseæ. 7. *vti non possunt multo vino, & cibo repleti.* Ose. *Cæperunt Principes furere à vino:* Isid. *Ebrietas ita mentem alienat: vt, vbi sit, nesciat; vnde, &c. Nec malum sentitur, quod per ebrietatem committitur.* Basil. *Ebriosus putat se aliquid optimè agere, cùm fuerit in præcipitium deuolutus.* Quare ebrietas nedum temporalem, sed & æternam pœnam inducit, quia consueta ebrietas mortale est.

Quintò, egestatem parat. Eccl. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Prou. *Qui diligit epulas, in egestate erit. Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Ex quo patet, quòd ebrietas omni latrone crudelior est: primò, quia aufert bona spiritualia: secundò, quia quem capit, periculosius tenet.

Sextò, procurat famem. Oseas. *Comedent & non saturabuntur.* Hiero. *Voluptas habita, famem, non saturitatem parit, sed fœtorem, & corruptionem.* Si quid haberet vas, quod cor-

rumpe

rumperet vinum, quando esset infusum: stultus esset, qui de meliori in eo infunderet. Tale vas est corpus humanū, in quo quicquid infunditur, totum corrumpitur, & fœtidū efficitur. Ioel. *Vlulate, qui bibitis vinum in dulcedine sua; quoniam perijt ab ore vestro.* Ioel. 1. Grego. *Ebrietas est blandus Dæmon, dulce venenum suaue peccatum, quam qui in se habet se non habet: quam qui facit, non facit peccatum, sed totus est peccatum.* Vbi ebrietas, ibi furor dominatur, ibi nulla sapientia. Obliuio autem, comes est ebrietatis. Si illos fatuos vocamus, qui à natiuitate, sensu caruerunt: vel qui morbo aliquo sensus amiserunt: multò rationabilius, qui propria voluntate sensus amittunt. Vt summatim dicam. Ebrietas iram Dei prouocat: mentem alienat: libidinem inflammat: corpus eneruat: substantiam dissipat: pacem superat: secretum manifestat. Habes multa de ebrietate hinc inde dispersa loca, quæ tibi erunt accommoda in formandis sacris concionibus, præsertim verò moribus.

De Ebrietate habes.

Esa. 5.	Ioel. 1.
Dan. 5.	Gen. 9.
Es. 28.	Gen. 9.
Iudit. 13.	Prou. 11.
Prou. 25.	Prou. 11.
Prou. 31.	Abac. 2.

De Gladio.

GLadius, ensis, à clade dici videtur, quia ad cladem sit inuentus. Gladius est duplex, scilicet Diaboli, & Dei. Gladius Diaboli tripliciter distinguitur in sacris litteris, scilicet.

Iugulationis.
Detractionis, &
Exceptionis.

Primus, gladius iugulationis est, scilicet peccatum, non est vnus tantùm, sed plures. Quot enim sunt vitia, tot sunt gladij, quibus vritur Diabolus ad interficiendas animas. Eccles. *Quasi romphea bis acuta omnis iniquitas.* Eccle. 26. Dicitur gladius peccatum; quia mentem pungit per remorsum conscientiæ: sicut gladius carnem. Prouerb. *Est qui promittit si-* Prouer. 23.

bi impunitatem, & quasi gladio pungitur per remorsionem conscientiæ. Bis acuta dicitur; quia in corpore, & in anima pu-
Eccle.7. nientur, Eccl. *Vindicta carnu impij ignis & vermis.* Isa *Ignis*
Isa.vlt. *eorum non extinguetur: & vermis eorum non morietur.* Hic est flam meus gladius, prohibens peccatores intrare paradi-
Apoc.21. sum. Apo. *Non intrabit in illam aliquid immundum corde, inquinatum ore, & iniquum opere.* Sunt autem quidam insipientes, qui fabricant sibi gladiũ, quo occiduntur, ideſt, opor tunitatem peccandi quærunt: & in gladium sponte se proiiciunt. Sicut fecit Saul, & armiger eius. Sed si boni pugnatores essemus, vice versa Diabolum proprio gladio vinceremus, id est, pœnæ peccati consideratione. Dauid enim caput Goliæ, id est, principium tentationis, proprio gladio
Reg.17. amputauit. 1. Reg.

Secundus gladius Diaboli, est lingua detractoris: & iste gladius non est solus, quia tot sunt gladij, quot sunt
Psal.56. mala verba. Psal. *Filij hominum dentes eorum.* id est, de verba detractionis, quibus corrodunt alios. Arma ad percutiendum de prope stantes: & sagittæ ad vulnerandum de longè stantes: & lingua eorum, gladius acutus: sic acutus, vt tres interficiet vno ictu: ita acutus est, quod non inuenit sic duram petram, vel ferrum, (id est sanctum virum) in
Psal.63. quàm non ingrediatur. Psal. *Exacuerunt vt gladium linguas suas.* Ita acutus, vt non possit exire de vagina (id est, cor-
Psal.36. de) quin scindat eam. Psal. *Gladium euaginauerunt peccatores, vt trucident rectos corde.* Gladius eorum Ioab, qui de fncili egrediebatur de vagina, qui occidit Amasiam, tenens mentuem eius vna manu, & alia percussit eum. Porro Amasias non obseruabat; quia detractor palam laudat: & occultè detrahit: pacem cum amico loquitur: & occultè ponit ei insidias.

Tertius gladius Diaboli, est deceptionis. Et hic gladius est mulier ornata. Hier. *Gladius igneus species mulie-*
Prouer.7. *ris.* Prouerb. *Lingua eius, scilicet mulieris, acuta, quasi gladius biceps.* Id est totum corpus, & quælibet eius pars inflammat ad luxuriam. Biceps dicitur; quia ante, & retro vulnerat. Hunc gladium limat, & acuit Diabolus, id est, pingit, & ornat, quando vult militare contra nos:
Ezech.21. Sicut solent facere milites tempore belli. Ezech. *Gladius*

exacutus,& limatus,vt cædat victimas. Et ideò facile exit de vagina,id est, de domo, in qna non valet consistere pedibus suis. Si enim rubiginatus esset (id est) malè parata, & ornata)ita de facili non exiret. Prou. *Ecce mulier occurrit ei Prou.3.*
ornatu meretricio præparata ad capiendas animas. quæ non solùm capit:sed tenet,& interficit. Ier. 46. Loquens isti gladio, inquit: *Vsquequò occideris mucro domini, vsquequò non quiescis? Ingredere in vaginam,refrigerare, & sile.* Mirum est de isto gladio,quòd solo visu vulnerat, & occidit vt basiliscus. Ideò dicitur Eccl. *Ne respicias mulierem multiuolam, Eccl.9.*
ne fortè incidas in laqueos eius. Si dicat mulier, non intendo malum,me ornando: sicut nec gladius,occidendo. Rom. *Rom.6.*
Non exhibeatis membra vestra peccato arma iniquitatis. Habet etiam Dominus gladios suos, quos dat militibus suis, id est, prædicatoribus:& iste gladius est duplex. tertium tibi retine. Gladius,qui datur prædicatoribus, est verbum, vt peccatores moneant, & conuertant: & vt ipsos percutiant & occidant.

Primò datus est prædicatoribus gladius,id est verbum: vt præuaricatores moneant, & ad Deum conuertant. Sed quidam istum gladium portant retro,quidam inuolutum: quidam in ore tantùm. Quidam portant retro, vt rustici ensem,vt illi, qui non recolunt quod audiunt. Psal. *Tu verò Psal.49.*
odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Quidam inuoluunt pallio,vt illi,qui nolũt prædicare,vel opere ostendere exemplum bonum. Greg. *Qui scientia, & virtute*
prædi ti solitudinem contemplationis appetunt, tot animarum rei
sunt,qui procedentes in publicum,prodesse potuerunt. Quid ergo de illis, qui propter pigritiam, vel timorem pœnæ dimittunt? Reg. *Achimelech habebat gladium Goliæ inuolutũ,quem 1.Reg.*
tulit Dauid. id est bonus prædicator. Quidam portant in ore tantùm, & ideò non percutiunt. Psal. *Gladius in labijs Psal.58.*
eorum,quoniã quis audiuit? & tu Domine deridebis eos. Quidã portant in manibus ad operandum, & aduersarios deuincendũ. Accipe gladium, in quo deuinces aduersarios tuos, Cant. *Omnes tenentes gladium ad bella doctissimi.* Ierem. *Ecce Cant.3.*
dedi in ore tuo verba mea,vt euellas, & destruas peccatores, qui Ierem.1.
ad Deum conuerti nolunt. & ædifices,& plantes pœnitentes, & ad Deum conuersos in vitam æternam.

Secundò, datus est gladius Dei militibus ad peccatores
Exod.23. puniendos. Exod. *Ponat vnusquisque gladium suum super femur suum: & occidat fratrem suum, & amicum.* Heb.
Heb.4. *Vnus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Et tamen aliquando non vulnerat; quia armati sunt excusa-
Ioan.8. tionibus, & detractionibus. Ioan. *Sermo meus non capit in vobis, sicut nec gladius in armato, vel petra.* Moyses percussit pe-
Ierem.15. tram, & fluxerunt aquæ: illi verò non mouentur. Iere. *Induruerunt facies supra petram, & noluerunt reuerti.* Et ideò
Reg.2. percutit eos Dominus gladio temporalis miseriæ. 3. Reg. *Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.* Hoc
gladio percussit Dominus Adam, quando peccauit. Iste
Luc.2. gladius transitorius est super iustos. Luc.2. *Tuam ipsius ani-*
Psal.103. *mam pertransibit gladius.* Psal. *In me transierunt iræ tuæ.* Sed
Psal.80. super reprobos stabit. Psal. *Super montes stabunt aquæ.* scilicet
Exod.15. pœnarum. Exo. *Stetit vnda fluens.* scilicet super Ægyptios.
Rom.8. Iusti hoc gladio non peribunt, sed proficiunt. Rom. *Quis*
nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an persecutio, an gla-
Heb.12. *dius, &c.* Heb. *Sancti per fidem vicerunt regna, & effregerunt*
aciem gladij, fortes facti sunt in bello. Hoc gladio pereunt re-
Reg.31. probi. 1. Reg. *Saul irruit super gladium suum, & mortuus est.*
Iob 36. Iob. *Morietur in tempestate anima eorum.*

Tertius gladius reseruatus ipsi Domino, est ineuitabi-
Psal.7. lis sententia ictu iudicij. Psal. *Nisi conuersi fueritis, gladium*
Iob 19. *suum vibrauit, &c.* Iob. *Fugite à facie gladij modò pœnitendo.*
Quoniam vltor iniquitatis est gladius, qui ita subitò fe-
Matth.25. riet: vt nullus præuidere valeat. Matth. *Vigilate, quia nescitis*
Apoc.1. *diem, neque horam.* Apoc.1. *Ex ore eius procedebat gladius ex*
vtraque parte acutus. id est, sententia iudicij, puniens in
Deut.31. corpore, & anima. Deut. *Si acuero vt fulgur gladium meum.*
Hoc gladio occidentur.

Lasciui.
Auari.
Superbi, &
Mali prælati.

Lasciui, & carnaliter viuentes occidentur. Deut. *Gladius*
Heb.12. *meus deuorabit carnes.* id est, carnales. Heb. *Fornicatores, &*
adulteros iudicabit Dominus.

Auari.

Auari. Isa. *Quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus, su-* *Isa.34.*
per Idumea descendet. Idumea, terrena interpretatur.

Superbi, & inobedientes. Iob. *Si audierint, & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium.* id est, sententiam iudicij. Isa. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* *Iob 35.* *Isa.1.*
Quòd si non audieritis: & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius meus deuorabit vos.

Mali prælati, qui scilicet grauant subditos suos. Exod. *Si læseritis eos, vociferabunt ad me: & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio.* Isa. *Visitabit Dominus super Leuiatham* (id est, malum prælatum) *in gladio suo duro, & forti.* Sap. *Iudicium durissimum super his, qui præsunt, fiet.* Damnabit ergo eos Dominus vita æterna. Eccles. *Qui transgreditur de iustitia ad peccatum, Deus parauit illum ad rompheam, id est ad pœnam æternam.* De hoc gladio dicebat Dauid. *De gladio maligno eripe me.* & Matth. *Qui accipit gladium gladio peribit.* id est, peccato gladij, seu occisionis damnabitur. *Exod.12.* *Isa.26.* *Sap.6.* *Eccl.23.*

De Gula.

GVla, est vorax edacitas, naturæ finibus non contenta: cuius quinque sunt species. Inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam. Hoc vitio peccatur quinque modis: nempè

Horam præueniendo.
Delicata desiderando.
Nimis comedendo.
Sollicitè præparando.
Auidè, & ardenter sumendo.

Primò, horam prandendi, vel cœnandi præueniendo. Eccl. *Væ terræ, cuius rex est puer, & cuius principes mane comedunt.* *Eccl.11.* Terra ista corpus est. Rex est liberum arbitriũ, quod habet animam regere. Principes verò quinque sensus. Quando aliquis vult capere castrum, festinat portam occupare. Gula est porta, per quam totus exercitus Diaboli intrat. Qui habet portã castri, de facili habet & castrum: per portam enim oris Diabolus totam suam familiam introducit. Item, ad portam oris maior custodia ponenda est, quia nisi prius gula refrænetur, frustrà cõtra alia vitia

laboratur. Qui enim tenet equum per os, ducit eum quò
Iacob.2. vult. sic Diabolus gulosos. Iacob. *Si frænа equis in ora mittimus ad consentiendum nobis, & totum corpus illorum circumferimus.*

Secundò, delicata nimis desiderãdo, vt filij Israël carnes
Num.11. in eremo desiderauerunt. Num. *Sufficit de cibarijs, quòd sint comestibilia.* Sen. *Palatum tuum fames excitet, non sapores.* Si quis haberet aliquod vas, quod corrumperet vinum, quando esset infusum, non libenter poneret ibi de meliori. Tale vas est vẽter hominis. Corrumpitur etenim ibi quicquid
Ioël.1. ibi infunditur. Ioel. *Vlulate, qui bibitis vinum in dulcedine; quoniam periit ab ore vestro.* Item, quando homo delicatè nutrit asinum suum, proiicit eum in lutum. Sic qui delica-
Prou.29. tè nutrit corpus suum, proiicit in lutum peccati. Prou. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruũ suum* (id est corpus suum.) *inueniet eum postea contumacem.* id est, spiritui repugnantem.

Tertiò, nimis comedendo. *Illa pluuia optima est, quæ* suauiter descendit: subitus autem, & nimius imber arua subuertit: sic cibus moderatus vtilior est corpori. Quanto plus terra stercoratur: tantò magis malas herbas producit: sic corpus quãtò melius nutritur: tãtò plures carnales mo-
Gen.3. tus generat. Gen. *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi.* Item, quãtò vinea plus stercoratur, citius vinum corrumpitur: sic homo nimis comedens, citius in-
Eccl.37. firmatur. Eccl. *Propter crapulam multi perierunt: & in multis escis erit infirmitas.* Sene. *Maior pars hominum voluptate perijt.*

Quartò, sollicitè, & studiosè præparãdo, vt filij Heli. 1.
Reg.2. Reg. Isid. *Tota die epulas ruminat, qui ad exemplum ventrem vespere delitias parat.* Studiosè corpus nutrire nihil aliud est, quàm vermibus escas parare. Erubescceret homo præstans esse coquus regis, & non erubescit esse coquus vermium. Sene. *Multis vermibus seruiat, qui corpori seruit.* Item, qui corpus suum sollicitè nutrit, hostem suum impinguat. Et quantò plus ei benefacit, tantò magis eum impinguat.
Gal.5. Gal. *Caro concupiscit aduersùs spiritum.*

Quintò, auidè, & ardenter sumendo. Exemplũ de Esau
Eccl.38. Gen.20. Ideò dicitur Eccl. *Noli esse auidus in omni epulatione: nec te effundas super omnem escam. Viuere secundùm carnem, est viuere secundùm regulam portæ suæ.* Væ illis, qui tali abbatis-

sæ

sæ fecerunt professionem; quia non finit eos exire de claustro suo, id est, de taberna. Qui sequitur porcum, ducit eum ad lutum. Eccl. *Post concupiscentias tuas non eas.* Psalm. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Eccl. 18. Psal. 177.

Habes de Gula primo vitio.

Gen. 3. Gen. 9. de Noe. Gen. 11. Loth. Genes. 25. de edulio lentis, quo Esau vendidit primogenituram. Exod. 32. sedit Populus manducare & bibere.
Num. 6. 2. Reg. 13.
3. Reg. 16. de Zambri. 1.
Esa. 3.

De Hypocritis.

HYpocrisis, est simulatio alienæ personæ. & ideò semper peccatum est: quia simulata æquitas non est æquitas: sed duplex iniquitas.

Hypocrita speciem habet sanctitatis, sed opera falsitatis. ideò assimilatur
Strutioni aui.
Perforatæ nuci.
Sterquilinio.
Falso nuncio.
Fraudulentæ vulpi.
Lupo oui simili, &
Candelæ ardenti.

Assimilatur hypocrita primò strutioni aui. Iob. *Penna strutionis similis est pennæ herodij, & accipitris.* id est, similis est hypocrita bonis in conuersatione exteriori: sed non in veritate operis: nec in volatu contemplationis. Aliqui fructus quandoque sani exterius apparent: sed interius sunt putridi, & vermiculosi. Et sub pictura aurea quandoque iacet lignum putridum. Vnde ver. Iob 40.

Non teneas aurum, quodcunque relucet vt aurum:
Nec pulchrum pomum quodlibet esse bonum. Matth. *Væ vobis hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, &c.* Matth. 7.

Secundò, similis est vacuæ nuci, & perforatæ, vermem habenti interius, qui in ignem proiicitur. Sic hypocrita

vacuus gratia Dei, cuius conscientiam vermis peccati
Matth. 22. corrodit, in ignem proiicietur. Matth. *Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores.*

Tertiò, similis est fimo, vel sterquilinio, quod exterius est candidum, & interius fœtidum. Iste latrinam vitiorum suorum operit pallio religionis falsæ. O præsumptio nequissima! vsquequo nata es operire aridam nequitiam, & dolositatem illius! Hypocrita quod exterius est, mundat: quod interius est, relinquit immundum. Sicut ancilla, quæ vasa spurca exterius cum cineribus mundat: sed interius sordes dimittit: Hypocrita mundat prius, quod interius est: vt id, quod est exterius, fiat mundum.

Quartò, sunt similes falso nuncio, qui portat pixidem pictam armis regis: sed intus non habet litteras, nec sigillum domini sui. *Sunt etiam cygno similes, qui est albus exterius in plumis, & intus est niger. Citò prouocatur. Cor*
Leuit. 21. *extractum à corpore diutius mouetur. Sic hypocrita citò* prouocatur ad iram: diu retinet rancorem in corde. Leu. *Prohibemur comedere cygnum.*

Quintò, est similis lupo ouina pelle induto, sed quo-
Matth. 6. modo cognoscetur? si percutiatur baculo, ostendet dentes, sed ouis capite inclinato transibit. Matth. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, &c.* Hypocrita est angelus tenebrarum transfiguratus in angelum lucis. Corinth.

Sextò, est similis vulpi, quæ simulauit se mortuam, vt prædam faceret, & astu suo deciperet: ita faciunt quidam, qui tandiu dissimulant, quandiu euecti sunt ad dignitates.
Exod. 14. Exod. *Quasi vulpes in deserto, prophetæ tui, Israël.* Similes
Apoc. 21. quoque sunt candelæ ardenti, & seipsam consumenti, atque alios illuminanti. Apoc. *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.*

De Iactantia.

Ioan. Cass. lib. 21. c. 1. IActantia, quam Ioannes Cassianus cenodoxiam appellat, est inanis de se, & stulta prædicatio. Et est motus quidam fluctuantis conscientiæ, atque superbiæ filia. Cùm quis iactat vanam corporis pulchritudinem, fortitudinem, vel generis nobilitatem: Vnde vulgo dici solet. *Laus in ore proprio sordescit.* Cùm quis voluptatem habet

gestien

gestientem, & se efferentem insolentius.

Tria mala facit iactantia.
- Rarò proficit.
- Multum officit.
- Citò deficit.

Rarò proficit, quia mos est vani cordis iactare diuitias, & alia: quo nocentius nihil. Quid enim magis diminuit laudis præconium, quàm suos iactare successus? Vnde D. Bern. *Virtutes in occulto crescunt, in publico decrescunt.*

Ezechias rex, qui instanter diuitias suas Chaldeis manifestauit, per prophetam eas perituras audiuit.

Pharisæus, qui ad templum orare venerat; ideò sua bona amisit, quia iactanter manifestauit. Prou. *Qui se iactat, & dilatat, iurgia suscitat.* Iactantia est morbus vsqueadeo subtilis: vt in sordibus etiam, & luctuosis vestibus (teste D. August.) serpat. Fitque tribus modis *Prouerb. 28.*

Corde.
Ore.
Opere.

De iactantia cordis. Ier. *Altitudinem cordis eius ego scio.* (ait Dominus.) Arrogantiam, & iactantiam eius. Vas futile eiicit liquorem: ita cor iactabundum effundit liquorem diuinæ gratiæ: nam iactare, est in altum leuare. sicut Gallina, quo vix emisso, clamat: donec amiserit: quod contigit Nabuchodonosor regi. *Hæc est ciuitas Babilon, quam ego ædificaui.* & hæc iactantia, quæ fit ore, est peccatum mortale: tum quia iactat illa, quę sunt cõtra charitatem: tum etiam quia gloriatur, cùm malè fecerit: quamuis diuinus Paulus dixerit. *In laboribus & æruinis.* hoc non fecit iactantiæ studio, sed vt pseudoapostolos confunderet, & glorificaretur Christus, cuius causam agebat. *Ier. 13.* *Dan. 4.*

Fit quoque iactantia opere. *Diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Ipsa est Idolum seipsum colens. *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.* *Sap. 4.*

Iactantia tria mala inducit
- Euacuat internam conscientiam.
- Perturbat paternam concordiam.
- Incurrit Dei displicentiam.

1. Cor. 10.

Docuit Christus fugiendam esse iactantiam.

Nam

Nam cùm descendens de monte sanauerit Leprosum, eidem commisit, ne cui diceret: quo exemplo voluit nos instruere, ne hominum laudationes quæramus. Et Paulus. Gal. 6. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.*

Beatus quoque Franciscus, ne efferatur sanctitatis nomen apud homines, alteri negotium dedit, vt contra probris, petulantiaque eum incesseret.

Inter miseros miserrimus est iactator; quia non quærit, quis sit: sed quis dicatur. Vnde exemplo Moysis admonemur, qui cùm manum extraheret, erat leprosa. Quare B. Apostolo datus fuit stimulus carnis, id est motus, & affectus libidinis. (erat quippe humanus.) vel dicamus, vt esset insectatio malorum hominum (teste D. Ambrosio) ne excellentia reuelationum efferatur, vel insolescat.

De iactantia habes Iud. 14. de Sansone, qui leonem lacerauit. Hest. 5. de Aman in conuiuio Hester. de Mardoche. Hest. 7. Iud. 6. de Holoferne. de Nicanore pugnaturo contra Iudam. 1. Mach. 7.

Isti Diabolum imitantur. Matth. 4. *Hæc omnia tibi dabo &c.* Ideò cauenda est iactantia.

De Patientia.

PAtientia, est virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis impetus, æquanimiter portans. Qui ergo patientiam non habent, sunt sicut illi, qui semper queruntur de aliquo sibi imposito grauamine. Tales sunt instar anseris, quæ est auis domestica: cuius natura est nocturnas excubias celebrare, & vigilias suas clangore testari: dum quærit cibũ, tacet. dum manet domi, submurmurat: ita faciunt isti, de quibus ait sapiens. Prou. *cor stultorum dissimile erit.* Aug. *Quid per multa vagaris, ô homuncio? ama vnum bonum, in quo sunt omnia bona, & suffi cit.* Item, sunt quidam, sicut fatuus, qui quando impegit in lapidem, vel lignum, maledicit eis: vel percutit, vel sputis incessit, vel iurgat, vel reddit hominem cõmm otum; cum tamen talia non sint in culpa; imo ipse, quia se ab illis non cauit. Sic multi cum ex sua culpa Gen. 3. inciderint in ruinam, aliis imponunt: Sicut Adam, qui retorsit peccatũ suum in mulierem, & mulier in serpentem. Item, sunt sicut lapides, & rudes & male tornati, ædificio nullo modo apti: ita ipsi nulli volũt cedere vel cõformari.

sed

sed quemadmodum architectus licèt magno ministerio non vtatur: vtentibus tamen præsidet & per rationes architectonicas, circiníque descriptiones ædificia moderatur, & cuncta ita componit, vt in finem suum.

Tribus modis virtus patientiæ, & vitium impatientiæ exerceri solet. A proximo, persecutiones, & damna sustinemus: ab antiquo aduersario, tentamenta: à Deo, flagella toleramus: sicut vento probãtur grana solida, licet à vento impellantur hinc inde. Patientia est sicut antemurale in castro, vel clypeus in milite, quo ictus retundũtur, & inanes redduntur. Vnde ait D. Greg. *Potestati amica est impatientia.* quam debet princeps refrænare ex consideratione naturalis parilitatis suæ, cum illis quibus præest. *D. Greg. ho. 7. Greg. Mor. 20.*

Adhuc triplex est patientia, & impatientia.

Politica, quæ mitigat iniurias.

Purgatoria, quæ suffert tribulationes, & inediam.

Purgati animi, quæ nedum mitigat iniurias, & tribulationes perpetitur, sed etiam illati obliuiscitur damni: & hæc perfectissima est.

Impatientia nedum suffert iniurias, & mala patitur: sed punire tentat vsque ad interitum. Impatientes Athenis repellabantur à studio philosophiæ; quia magnum malum reputabant, ferri non posse malum: Immo hæc malum malo cumulat.

De impatientia habes.

Exod. 15. Exod. 32.
2. Reg. 17. Thob. 2.
Hester 3. Dan. 3.

De Infirmitate spirituali.

INfirmitas altera animę; altera verò corporis: habet nanque anima suas infirmitates, & debilitates.

Infirmitas spiritualis, dicitur peccatum propter multa.

Propter corporis debilitationem.

Propter visus obcæcationem.

Propter nocinorum appetitionem.

Propter ciborum abominationem.

Propter frequentem Dei offensionem.

Peccatum siquidem infirmitatem causat: quæ tamen non

non mittitur à Deo sine forti ratione: licèt à nobis communiter ignoraretur: & producit quatuor effectus.

Peccatum expellit.
Deum in nobis manere facit.
Hominem in multis erudit.
Ad Deum nos currere velocius facit.

Intentio. Dei primaria est, vt à corde nostro remoueatur peccatum: vt sibi præparetur digna habitatio.

Primò itaq;, propter corporis debilitationem. Quia sicut infirmitas debilitat corpus: ita peccatum animam. Psal. 36. *Dereliquit me virtus mea.* glos. quam habui ante peccatum. Tren. 1. Tren. *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.*

Secundò, debilitat visum & obcæcat. Vnde sequitur. *Et lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum.* scilicet interius. Psal. *Apprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Satis cæcus est, qui ita ponit pedem in luto: sicut in Tren. 4. mundo, & plano. Tren. *Errauerunt cæci in plateis, polluti sunt sanguine.*

Prouerb. 1. Tertiò, propter noxiorum appetitionem. Prouerb. *Vsque quò paruuli diligitis infantiam? & stulti quæ sibi sunt noxia, appetunt.*

Quartò, propter stutorum insipiditatem. Infirmi non sapiunt corporalia cibaria, nec peccatores spiritualia, Aug. *Impius dulcedinem Dei non sentit: quia de febre iniquitatis palatum cordis amisit.*

Quintò, propter frequentem Dei offensionem. Greg. *Iusto Dei iudicio Deus cor peccatoris obnubilat: vt merito præcedentis peccati in alia cadat.* Citius cadit homo in infirmitatem, quàm habuit.

Sextò, videndum est, quomodo sanentur infirmitates spirituales. Sicut corporales infirmitates per diuersa remedia de consilio medicorum curantur: sic spiritualis infirmitas de consilio scriptorum. Igitur infirmitas potest sanari.

Per emplastrum.
Per sudorem.
Per balneum.
Per vomitum.
Per dietam.

Per reseca

Per resecationem.
Per vnctionem.
Per minutionem.
Per medicinam.

Primò, per emplastrū: & sic sanatur spiritualis infirmus per emplastrum. quod est verbum Dei. Emplastrum trahit. dolorem à corpore: sic verbum Dei peccatum ab anima. Isa. *Iussum est, vt super vlcus Ezechie regis cataplasmarem massam ficuum.* Quod dulcedinē Dei significat, quod tantæ efficaciæ est, quòd sanat omnem infirmitatem spiritualem, vt habetur infrà de verbo Dei. *Isa.* 38.

Secundò, per sudorem humectatiuum: qui humorem noxium expellit à corpore. Sic sanatur anima per timorem Dei, & pœnæ æternæ. Eccl. *Timor Domini foras expellit peccatum.* Ber. *Praui humores, mali mores.* Prou. *Time Deum, & recede à malo.* Sanitas quippe in vmbilico tuo erit. Per vmbelicum, quod adhæret materno vtero, carnalis concupiscentia designatur. Sanitas ergo in vmbilico est, quando per timorem Dei concupiscentia carnalis expellitur, vel deprimitur. Prouerb. *Timor Domini odit malum.* Sed de contrario conqueritur Dominus. Ezec. *In die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus,* id est, carnalis concupiscentia. *Eccl.* 1. *Prou.* 3. *Prou.* 8. *Exe.* 6.

Tertiò, per lotionem, vel balneum lauatiuum. Ideò dictum est Naaman Syro. 3. Reg. *Vade, & lauare septies in Iordane: & recipiet sanitatē caro tua.* Sic sanatur homo spiritualiter per lachrymarum effusionem in confessione. Psalm. *Miserere mei Domine: quoniam infirmus sum.* Glo. Reatu peccatorum infirmatur anima. *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.* gl. Mens mea turbata est ad pœnitentiam. Psalm. *Commouisti terram.* scilicet cordis mei, & conturbasti eam ad pœnitentiam. Sana contritiones eius, qui sanas contritos corde. *Reg.* 5. *Psal.* 6. *Psal.* 59.

Quartò, per vomitum euacuatiuum, id est, per confessionem. Eccl. *Si coactus fueris in edendo multa.* (id est, in congregando multa peccata) *Surge è medio, & vome per confessionem.* scilicet, vt mortiferum venenum, & refrigerabit te, & non adiiciet corpori tuo infirmitatem. Iob. *Nunquid qui non amat iudicium sanari potest?* Qui sanari desiderat, necesse est, vt vulnus detegat. vnde dictum est leprosis, qui *Eccles.* 31. *Iob.* 34.

petebant

Luc. 18. petebant sanitatem. Luc. *Ite, ostendite vos sacerdotibus* & dum irent sanati sunt.

Quintus modus sanandi, est per dietam extenuatiuam, quam Deus iniungit: & hæc duplex, scilicet

Abstinentia peccatorum.

Obseruatio præceptorum.

Prima dieta, quam Deus iniungit, est abstinentia pec-
Thess. 4. catorum: de qua ad Thess. *Abstinete vos ab omni fornicatione.* vt sup. habes in cap. de Abstinentia.

Matth. 19. Secunda, est obseruantia præceptorum. Matth. *Hoc fac, & vinces*, Hiero. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortē non gustabit in æternum.* Sed quia hanc dietam Adam non seruauit, ipse cum tota sua progenie mortem incurrit. Gen. *Quacunque hora comederis, morte morieris.* Sic moriuntur spiritualiter, qui diuina præcepta non custodiunt.

Gen. 2.

Tertiam dietam iniungit sacerdos: & hæc est abstinentia à cibo, vt habes sup. ibid.

Sextus modus, per resecationem afflictiuam putridorum: sic sanatur homo per tribulationem. vnde Iob. *Increpationem Domini ne reprobes.* quia ipse vulnerat, & medetur:
Iob. 5. Deut. 13. percutit, & manus eius sanabunt. Deut. *Percutiam, & ego sanabo.* id est, de tribulatione.

Septimus, modus sanandi per vnctionem, id est, oratio-
Matth. 6. nem, quæ mentem linit. Matth. *Vngebat oleo multos ægros, &*
Psal. 26. *sanabantur.* Psal. *Domine, clamaui ad te, & sanasti me.* Eccl. *Fi-*
Eccl. 18. *li, in tua infirmitate ne despicias teipsum: sed ora Dominum, & sanabit te.*

Octauus, per minutionem alleuiatiuam, id est per eleemosinarum largitionem: ad altitudinem cœli ascendere nō poteris oneratus: alleuia ergo sarcinam tuam, dando pau-
Luc. 6. peribus bona tua. Luc. *Quod superest, date eleemosinam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Isa. *Frange esurienti panem.* &c. sequitur. *Tunc erumpet, quasi manè lumen tuum: & sanitas tua citius orietur.*

Vltimò, datur medicina, quæ est omnium infirmitatum spiritualium sanatiua, & hæc est charitas. Sanat ergo charitas omnes lāguores; quia operit multitudinem peccato-
Eccles. 24. rum. Eccles. *Medicina omnium in festinatione nebulæ.* Nebula ardorem solis contemperat: sic charitas tribulationem,

& pœ

& pœnalitatem. Cuicunque amaritudini fuerit admixtus amor Dei, statim dulcescit. Amor autem Dei omnia facit dulcia, etiam mortem. Augustus. *Amãti nihil difficile est.* Charitas in omnibus ponit saporem. Vnde D. Ambrosius quoque vocat infirmitatem, officinam virtutis.

De Inuidia.

INuidia, est tristitia de bonis alienis: sicut inuidentia est ægritudo suscepta propter alterius res secundas. Inuidia, quæ est pestis animæ, à Diabolo introducta, iuxta illud. *Inuidia Diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.*

De melioratione alterius deterior fit.
De prospectu alterius annihilatur.
De lætitia alterius tabescit.
De pinguedine proximi marcescit.
De sanitate propinqui infirmatur.
De vita alterius moritur.

Primò de melioratione proximi deterior fit. Aug. *Inuidia est dolor alienæ fœlicitatis: & de bono dolet, & de malo gaudet: vt Diabolus.* Inuidi enim sunt socij Diaboli in lucro, & in dãno Quia, quando Diabolus lucratur, gaudẽt: sed quãdo perdit, dolent: & damnum, & lucrum eius suum reputant. Sap. *Inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur autem eum qui sunt ex parte eius. Sap. 3.

Secundò, de profectu alterius deficit, & consumitur. Est enim ignis agrestis, qui in aquis, scilicet gratiarum, ardet, & se ipsum consumit: sicut ignis ligna: est enim vitium venenosum; habet enim venenum in corde. Est etiã sicut aranea, quicquid sugit, vertitur in venenũ, & alios suo veneno inficit, detrahendo: immo medicinalia (vt bona opera) fiunt ei venenosa, de qua medicina moritur. Aug. *Sciendum, quòd cùm per omne vitiũ antiqui hostis venenũ humano cordi infunditur, in zelo inuidiæ tota viscera sua serpẽs concutit.*

Tertiò, de lætitia tabescit & lucem bonorum operum obscurat, Sunt enim sicut noctuæ, non valentes lucem bonorum operum videre: similes Hely, qui non poterat videre lucernam, donec extingueretur. Greg. *Mens inuidi, cùm de alieno bono affligitur, quasi de radio solis obscuratur. Ita corruptus est, vt fœtetia ei redoleãt. & redolentia fœteant: & amara sint dulcia, & dulcia amara. Væ qui dicunt bonũ malũ, & ma*

lum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, &c.

Horat. in epist. Quartò, de pinguedine alterius marcescit. vnde carmen illud Poëtæ.

Inuidus alterius rebus marcescit opimis.

Est enim velut vermis, qui nascitur de ligno, vel veste: & post illud, vnde natus est, corrodit, & consumit. Prouerb. *Putredo ossium inuidia.*

Prou. 14.

Quintò, de sanitate alterius infirmatur. Magna stultitia, de alieno vulnere vult vulnus suum sanare. Sanitatem quærit in aliena infirmitate: bonum in alieno malo, quod idem est, ac si in igne quæreret aquam, & in spinis vuas, & in tribulis ficus. Aug. *De aliena pœna quærit sibi medicina medicamentum, & acquirit grande tormentum.* Inuidia, est ægritudo animi ex felicitate alterius proueniens.

Iob. 5. Sextò, de vita moritur. Iob. *Paruulum occidit inuidia.* vt Cain Abel. Gen. 2. glo. Nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. Alia glo. Paruus est, qui terrena diligit: magnus qui æterna. Paruus ergo occiditur: quia nullus hac peste moritur, nisi qui terrena appetit. De inuidia habes Gen. 4. de Cain occidente Abelem fratrem Suum Gen. 30. Rachel sterilis sorori suæ fœcundæ inuidit.

Num. 11.	1. Reg. 18.
2. Reg. 17.	Luc. 15.
Gen. 37.	2. Mac. 14.

De Inferno.

INfernus dicitur, quia inferius iacet, & est locus horridus, & pœnalis, in quo peccatorum animæ sepeliuntur. Sed videndum.

De eius assertione.
De ipsius conditione, &
De eius meditatione.

Circa assertionem eius sciendum, quòd Diabolus multùm nititur extinguere fidem inferni: vt sic hominem excæcatum facilius ducat illuc per viam peccatorum, dum non refugit pœnam, quam non credit: secundùm quem modum solet duci latro velatis oculis ad patibulum. Exemplum de Sedechia. Reg. qui excęcatus à Nabuchodonosor ductus est in Babilonem. Sed multis rationibus, & exemplis posset ostendi infernum esse: cuius ratio esse potest.

2. Reg. vlt.

Magni

Magnificentia regalis requirit, quòd Rex habeat palatia pulchra, propter bonos: & carceres, propter malos. Rex verò gloriæ magnificatus super omnes reges terræ, habet Palatium spatiosum, in quo boni delectantur, quod est cœlum: & carcerem habet tenebrosum, pro malis, qui est infernus, in quo mali torquentur.

Item, Deus adeò est iustus, quòd in regno suo nihil relinquit impunitum. Iob. *Deus inultum aliquid abire non patitur.* Sed videmus multos perditos homines mori impœnitentes: nec hîc puniũtur; ergo alibi punientur: locus igitur istius punitionis erit infernus. Iob. 34.

Item, lex terrena requirit, quòd aliqui propter suas culpas deferantur in exilium perpetuum: sic Deus in exilium perpetuum mittit impœnitentes: quod est infernus.

Item, iusticia Ecclesiastica separat aliquos perpetuò à consortio fidelium: & in sepultura sepelit eorum cadauera extra alia corpora fidelium, scilicet in loco vili: ergo iustitia diuina, quæ maior est, nonne separabit aliquas indignas animas à consortio Sanctorum, eas in loco vili collocando: & in exilio inferni transferendo: Luc. *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Luc. 16.

Secundò, de conditione inferni. sciendum, quòd ibi erit pœnarũ diuersitas, multiplicitas, & perpetuitas. Psal. *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Si pars eorũ calicis erit talis, quid de toto? Gre. *In inferno erit frigus intolerabile: ignis inextinguibilis: vermis immortalis: fœtor intolerabilis: tenebræ palpabiles: flagella cædẽtiũ: horrida visio Dæmonũ: confusio peccatorum: desperatio omnium bonorũ,* sepulti ergo in loco tantæ tristitiæ erunt. Psal. 10.

In timore continuo.
In dolore permaximo.
In labore perpetuo.
Erit eis de peccatis commissis confusio.

Primò, erunt in timore continuo. Iob. *Terrebunt eum undique formidines.* Gre. *In temporalibus cùm pœna infligitur, timor quiescit. Apud inferos pœnæ infli&tio, timoris est augmẽtatio.* Iob. 18.

Secundò, erunt in dolore permaximò. Iob. *Omnis dolor irruet super eum.* Si dolor partus irruens in mulierem eam ita affligit: quid erit de illis, super quos irruet omnis do- Iob. 20.

lor? Si homo non potest sustinere modicũ ignem per horam in extremo digiti: quantus erit dolor, quãdo interius,
Isa.13. & exterius ardebit? Isa. *Torsiones interius, & dolores exterius tenebunt: quasi parturientes dolebunt.*

Tertiò, erunt in perpetuo labore, nec leuiationem accipiẽt de labore suo. Beda super illud Iob, *In inferno nulla est redẽptio. Non credat errore deceptus quòd aliquo pretio redimẽdus sit apud inferos: nec doloris mitigatio. Vnde sine fine laborabunt.* Psal. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finẽ* Et hoc
Psal.38. est, quia nolunt modò laborare, sed quiescere, & diuitiis affluere, facientes festũ ante vigiliam: sicut mare, quod à
Isa.58. caussa intrinseca semper est inquietum. Isa. *Ero impỹ, quasi mare feruens quod quiescere non potest.*

Ier.58. Quartò, erit eis ibi de peccatis commissis confusio. Ierem. *Quomodo confunditur fur, quando deprehenditur, ita & tu confunderis.* Probabile est, quòd in inferno erunt aliqua
Tren.1. signa damnationis eorum: sicut furi appenduntur signa furti, vt cunctis palam fiant. Tren. *Conuoluta sunt, (* scilicet peccata mea, *& imposita collo meo.* vt scilicet videantur ab omnibus.

Secũdò, erit pœnarũ acerbitas: & hoc multis de causis, scilicet ex fletu, & stridore dentium: ex planctu: ex desiderio mortis: ex manducatione linguarũ: & ex blasphemia Conditoris. Quæ omnia patent ex scripturis sancti Grego. *Hoc suspicari non potuit, quot hic cruciatibus deditus inuenitur.* Aduertendum est, quanta erit afflictio, vbi tot pœnæ, & tam acerbæ cõcurrunt: cum vniqua pœna in præsenti tantùm affligat hominem: quòd vix potest pœnam, quamuis modicam, sustinere. Item, si febris (quæ ad tempus aliquantulùm quiescit) tantum affligit hominem: quantò
Ier.16. magis illa afflictio continua, & sine aliqua requie? Iere. *Seruietis diis alienis, qui nõ dabunt vobis requiem die, ac nocte.* hæc consideratio videtur Dauid conuertisse, vt dicitur in Psal. *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas: & conuersus viuificabis me, &c.*

Item, aggrauat etiam pœnam illam
Horribilis Dæmonum visio.
Eorum multiplex mala conditio.
Visio Dæmonum horribilis aggrauat damnatorum pœnam.

pœnam. Iob. *Vadent, & venient super eum horribiles:* Exemplum in Dialo. de illo, qui vidit Dæmones ante se, quocunque se vertebat, cum moreretur. Et, cum non posset euadere, cœpit clamare: Inducias vsque mane: sed non habuit. Item, tyranni mundi si sic afflixerunt martyres, quid erit de Dæmonibus? qui incomparabiliter sunt potentiores, & crudeliores in pœnis. Iob. *Non est potestas in terra, quæ Iob 20.*
ei valeat comparari. Eccl. *Sunt spiritus ad vindictam creati:* & in tempore consummationis effundent virtutem, & furorem eius, qui fecit illos.

Aggrauat etiam pœnam damnatorum, malæ conditiones circa corpora eorum. Erunt enim

Deformia.
Debilia, &
Nuda.

Erunt corpora damnatorum deformia ad intuendum. Aug. *Si ignis iste corporalis omnia corpora lucida: & decora deturpat, & denigrat: quantò magis ille ignis infernalis turpis, & obscurus?* Exemplum de igne S. Antonij. Ioël. *Omnes vultus Ioël 2.*
redigentur in olla. Erunt debilia ad resistendum Iob. *Consumet brachia eius primogenita mors.* id est, fortitudinem, quæ consistit in brachiis: *Erunt nuda ad confundendum.* id est, ad eorũ confusionem. Nau. *Ostendam gentibus nuditatem tuam.* *Iob 18.* *Nau. 3.*

Tertiò, erit ibi pœnarum æternitas. Isa. *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Isa. Greg. *Erit miseris mors sine morte, defectus sine defectu.* quia mors ibi semper incipit: & defectus deficere nescit. Si præpararetur alicui lectus mollis, & suauis: & diceretur ei, quòd oporteret eum iacere in lecto illo per viginti annos: ita quòd pro nulla necessitate de illo resurgeret: nullo modo (credo) se vellet obligare, nec facere posse, diceret. Et quomodo poterit esse in inferno per infinita secula seculorum? vbi subtus eũ sternetur tinea: & operimentũ eius erunt vermes: & lectus eius ignis? vt dicitur Isa. *Hic domus Dædali, cuius facilis est ingressus.* sed negatur egressus, secundùm quòd scribit. Isa. 34. *Congregabuntur in lacum, & claudentur ibi in carcere.* Propone tibi lapidẽ in mare deiectum, qui nunquã rediturus abiit. Apoc. *Sustulit angelus lapidem molarem grandem, & proiecit in mare, dicens: hoc impetu mittetur Babilon in infernum.* Item, *Isa. 33.* *Apoc. 16.*

nullus libenter daret pignus pretiosum, quod creditori ad securitatem datur, pro vili, & modico pretio, vt redimi non posset: quanta ergo stultitia est illuc animam suam tam pretiosam obligare, pro modica delectatione peccati, vnde exire non posset: vbi ignis non extinguetur, & vermis non
Iob 9. morietur? Iob. *Luet quæ fecit omnia: nec tamen consummetur.* Salamandra, quę ab igne tota succenditur, & non consummitur: sed ibi viuit: de ferro, quod totum incenditur ab igne: nec propter hoc consumitur.

Circa meditationem tormentorum inferni: Notandum, quòd hæc meditatio est vtilis valde: quia inducit peccatores ad pœnitendum, & Diabolo resistendum: ad carnem deprimendam: ad delitias effugiendas: & ad bene operandum. Facit ergo hæc consideratio contra Diabolum, bene pugnare.

Carnem mactare.
Mundanam delectationem conculcare.
A mala via reuocare.
Et ad bonum excitare.

Primò, facit contra Diabolum viriliter pugnare. Omnis enim considerans, quòd si victus fuerit ab eo, ducet illum ad illa tormenta: pugnabit melius, ne deuincatur. Cùm Diabolus tentaret D. Antonium de peccato, prædictas rememorans pœnas, eidem opponebat: & tandem Diabolus in specie pueri paruuli Æthiopis nigerrimi apparens, & ad pedes eius prouolutus, se victum ab eo confessus est.

Secundò valet, quia facit carnem mactare. Sicut enim baculus, qui igni apponitur, consumitur in eo cortex: *ita* necesse est, vt consumatur, *carnalitas, & petulantia eius,* qui frequenter inferni pœnas mente reuoluit. *Si enim assi-*
Eccl. 12. *dua mortis meditatio carnis est afflictio*, vt dicitur Eccles. Quantò magis meditatio ignis æterni?

Tertiò, facit delectationem mundanam despicere, & conculcare. Exemplum in vitis. S. Patrum. Dixit quidam senex. Nutrix, quando vult puerum ablactare, & à dulcedine lactis auertere, ponit aliquid amarum in mamilla: quod sentiens puer à mamilla extrahitur: sic & tu amaritudinem inferni delectationibus mundanis apponas, &

retra

retraheris ab eis. Iob. *Nunquid gustare poterit quis: quod gustatum affert mortem æternam?* Iob 16.

Quartò, facit à mala via reuocare, & ad bonam redire. Reuocare à mala via, est viam perditionis deserere, qua itur per peccatum: & ad bonam viam redire, est ad pœnitentiam fructuosam peruenire. Psal. *Cogitaui vias meas, quæ malæ erant: & conuerti pedes meos* (id est, affectus) *in testimonia tua.* Psal. 118. Ideò Iob. *Dimitte me, vt paululum plangam per pœnitentiam dolorem meum* (id est, peccatum) *antequam vadam, &c.* Iob 10. Sicut quidam magnus, qui nolebat audire sermones, ne conuerteretur ad pœnitentiam.

Quintò, facit ad bonum excitari, & pigritiam deserere. Exemplum in vitis S. Patrum. Dixit frater seni. Quid faciam; quia sedens in sella patior accidiam. Respondit senex. Nondum vidisti futura tormenta, quia si illa vidisses, posuisses in corde tuo: & si esset sella tua tota plena vermibus, vsque ad collum, sustineres patienter: & non accidiareris. Propterea dicitur in Psal. *Conuertantur peccatores in infernum.* Psal. 6. scilicet per meditationem, vt illuc se transferãt, & considerent, & paueant. Pœna infernalis est horribilis, & interminabilis. horribilis quidem ob absentiam omnis boni, & propter præsentiam omnis mali: est quoque interminabiles; quia perpetuò duratura.

Habes de hac pœna.

Iob 10.	Psal. 48.
Isa. 65.	Matth. 8.
Luc. 13.	Deut. 32.
Iob 24.	Es. 30.
Ierem. 9.	Malach. 4.
Matth. 13.	Apocal. 18.

De Instabilitate.

INstabilitas est mutatio loci, vel propositi.
Quatuor faciunt hominem instabilem.
Stultitiæ cæcitas.
Peccati fœditas.
Impatientiæ feritas.
Præsumpta securitas.

Primum est, stultitiæ cæcitas. Omnis enim stultus instabilis est, iuxta Sap. verbum. *Stultus, vltima, mutatur de cogi-*

Prou. 16. *tatione in cogitationem: de desiderio in desiderium.* Prouerb. *Cor stultorum dissimile erit.* Sen. *Ante omnia cura, vt consulas tibi: obserua, vt eadem velis hodie, quæ heri: immutatio etenim voluntria indicat animam vacare, atque alibi apparere, prout tulit ventus.* Idem. *Quid est sapientia?* & respondet, idem velle, & nolle. Stulto nihil constat, nihil diu placet.

Secundum, est peccati fœditas. Cor enim peccatoris est sicut pila, quæ in ludo puerorũ depellitur de alio ad aliũ: Sic peccator de vno peccato ad aliud currit. De quo conqueritur Dominus per Ieremiam dicentem. *Peccatum peccauit Hierusalem; propterea instabilis facta est.* Ideò dictum est, propositio illius templi. Isa. *Ponam te quasi pilam in terram latam, & spatiosam.* Cor igitur peccatoris est sicut

Isa. 22. Pila in ludo puerorum.
Sicut pinna in cacumine turris.
Auis in cauea.
Panis soli, & vento expositus.

Primò, est tale cor sicut pila, vt hic immediatè. secundò, est sicut gallus supra pinnaculum templi, qui cuilibet vento se vertit: sic homo, qui cuilibet tentationi cedit. Iob.

Iob 27. *Tollet eos ventus vrens, & auferet de loco suo.* Paleam tollit ventus, non granum: & poma putrida, & vermiculosa citò cadunt de arbore à modico agitata vento: sed sana bene

Iob 21. se tenent. Iob. *Erunt sicut palea à facie venti: & sicut fauilla, quam turbo dispergit.*

Tertiò, est sicut auis in cauea, qui quiescere non potest: sed semper currit per gabiolam, modò huc, modò illuc.

Ierem. 14. Iere. *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit mouere pedes suos: & non quieuit, & Domino non placuit.* Sen. *Ecce vagaris: & de loco ad locum inquietaris.* Ægri animi est ista iactantia.

Quartò, est sicut panis, qui de arca ad fenestram positus, à venditore soli, & vento, & luto positus facilius, & citius denigratur, & deficeatur. Sic sessiones in ostiis, & fenestris, & collocutiones inutiles in cordibus religiosorum consueuerunt grauare, & humorem deuotionis auferre. Illi verò, qui in claustro cordis sui se tenent, iuxta verbum Isa. & à vento se abscondunt, & celant à turbine, & tempestate rumorum secularium, & consolationum, sunt sicut panis in arca conseruatus, qui teneritudinem, & humorem

deuotio

deuotionis facilius retinent, quàm illi, qui pascũt ventum, & pascuntur à vento inanis gloriæ: & exsufflantur, & exsiccantur. Ideò dicit Apostol. ad Hebr. *Quod optimum est gratia stabilire cor.* Heb. 12.

Tertium, est impatientiæ feritas. Omnis enim impatiens instabilis est, vt dicit Boët. in lib. de Consolat. *Quis est tam felix, qui cùm dederit impatientiæ manus, statum suum non oporteat mutare?*

Quartum, est præsumpta securitas, quæ est defectus timoris. timor enim reddit hominẽ stabilem. Sicut lapides suppositi asseribus super tecta, custodiunt eas, ne à vento moueantur. Eccles. *Timor Domini super omnia superposuit se.* Eccl. 28. Vnde sicut anchora tenet nauem, ne mergatur: ita timor tenet cor stabile. Greg. *Anchora mentis, pondus timoris.* Et sicut timor bonus facit hominem stabilem: sic timor malus facit eum instabilem: & timor mundanus, vel humanus talis nunquam quiescit. Iob. *Sonitus terroris semper in auribus eius: & cum pax sit, semper insidias suspicatur.* Iob 15.

De Ira.

IRa, secundùm Hugonis sententiam, est irrationabilis perturbatio mentis.

Ira multa mala facit homini, nempe quia

Ipsum excæcat,

Ab omni bono priuat.

Omnia mala prouocat.

Primò, ira excæcat hominem: & hæc dicitur subita ira, & est in hominibus, qui facilè irascuntur, & inflammantur: & tunc omne id aperiunt, quod in corde habent: hanc iram Horatius appellat tortam, cum ait,

Secretumq; teges, qui es vino tortus, & ira. Iob. *Caligauit ab indignatione oculus meus.* Iob 17. Item, sicut in aqua turbata non resultat imago: nec oculus turbatus clarè videre potest: sic homo turbatus nec se, nec Deum cognoscit. Psal. *Turbatus est in ira oculus meus.* Cæca est ira, & sæpe non sinit cernere quæ apertissima sunt, & præcepta sæpe obscurat. Diabolus facit sicut piscator, qui turbat aquam, vt pisces non videntes naſſam, intrent: sic Diabolus turbat hominem, vt peccatum non cognoscens, adimpleat. Soph 1. *Tribulabo homines & ambulabunt vt cæci.* Psal. 31. Item, Diabolus similis est coruo,

qui quando venit ad cadauer, primò currit ad oculum: sic Diabolus primò excæcat hominem per iram, sciens,
Psalm. 57. quòd postea poterit eum præcipitare de facili in foueam peccati. Psal. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Hæc assimilatur tonitruo, quod subitò magnum sonitum facit: assimilatur quoq; stupæ, & pulueri machinarum, vbi paruo, & modico igne fit maximus sonitus.

Secundò, ab omni bono priuat, auferendo ei spiritualia,
Prouer. 19. & temporalia. Prouer. *Qui impatiens est, sustinebit damnum.* scilicet bonorum omnium. Nota, quòd iracundus est sicut homo, cui domus comburitur: tunc in vesperis diues est, & manè nihil habet; quia ignis omnia sibi abstulit. Ita
Eccles. 2. bona spiritualia perdidit homo iracundus ad sibilū vnius verbi, dum in iram, vel odium cadit. Eccl. *Væ eis, qui perdiderunt sustinentiam.* Item, est velut olla nimium ignem
Prou. 15. habens; quæ ebulliendo, emittit quicquid in ea est. Prou. *Cor stultorum ebullit stultitiam:* quia quicquid sentit in corde, profert ore.

Prou. 3. Tertiò, omnia mala prouocat. Prou. *Vir iracundus prouocat rixas.* glo. Ianua vitiorum est iracundia: qua clausa, virtutibus interius dabitur requies: qua aperta, ad omne
Prou. 29. facinus armabitur iratus animus. Prouer. *Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccatum procliuior.* Calidi complexione aguntur subita ira, & facilè irascuntur; quia sanguis citò circundat cor eorum. Multùm enim per iram dominatur Diabolus in homine. Non enim timet homo iratus facere quicquid Diabolus præcipit: non parcit filio, non seruo, non vxori, quin proiiciatur in ignem, vel in aquam. Pro-
Prouer. 17. uerb. *Expedit magis occurrere vrsæ, captis catulis, quàm fatuo confidenti in stultitiam suam.* Item, in exercitu Diaboli est incendiaria ferens ignem ante se: homo enim iracundus est velut serpens, ignem vomēs ex ore, exurens omnes, qui sunt iuxtà se. Prouer. *Vir iracundus prouocat rixas.* Item, est sicut ferrum ignitum, vrens omne, quod tangit: Et sicut lignum spinosum, quod pungit amplectentes se. Sed licèt homo amet omnes arbores, quæ sunt in horto suo: spinosas tamen declinat, ne lacerent eum. Sic (licèt omnes amandi sint) familiaritas tamen iracundorum declinanda.
Eccles. 16. Ideò dicitur Eccl. *Noli esse socius homini iracundo.*

De

De ira habes.

Iob 5.
Eccl. 27.
Prouerb. 15.
Prouerb. 22.
Eccl. 20.
Rom. 12.
Num. 11.
Deuter. 1.
Prouerb. 12.
Psalm. 4.
Iob 36.
Eccles. 7.
Matth. 5.
Exod. 4.
Dan. 14.

De Luxuria.

LVxuria, maximum malum est, & generaliter omnem inordinatam concupiscentiam ostendit: quando quis est solutus in voluptates.

Luxuria est ignis de qua dicitur Iob. *Ignis vsque ad consumptionem deuorans, & omnia eradicans.* Hunc ignem non succendit Dominus: sed Diabolus. Sicut faber quando non potest ducere ferrum ad voluntatem suam, ponit illud in ignem, & tantum sufflat, donec sit calidum, & tunc ducit ad libitum suum: Sic Diabolus, quando non potest aliquem ducere ad peccatum, calefacit eum igne luxuriæ: vt sic possit eum flectere ad peccatum.

Cuius octo sunt filiæ

Cæcitas mentis.
Inconsideratio.
Inconstantia.
Præcipitatio.
Amor sui.
Odium Dei.
Affectus præsentis seculi.
Horror, seu desperatio futuri.

His machinis inuadit Diabolus vitam nostram, atque eam subuertere nititur. Vnde ad peccandum carnem accendit. Isa. *creauit fabrum sufflantem in igne pruinas: & proferentem vas in opus suum.* Succenditur iste ignis flatu folliũ, id est, suggestione vetularum: quæ sunt quasi follis Diaboli ad accendendum ignem luxuriæ. Ierem. *Ollam succensam video.* Id est, vetulam nigram. Olla enim (quantuncunque alba) si ad ignem ponatur frequenter, denigratur. Sic anima per luxuriæ frequentiam. Tren. *Denigrata est facies*

eorum

eorum super carbones. Ecce peccati demonstratio. Olla enim bulliens, si non haberet nisi vnum granum fabæ, eum supraponeret,& monstraret. Sic luxuriosi luxuriam cohibere non possunt, quin saliat per os

Turpiter loquendo.
Et cantando.
Per tactum,&
Per ornatum.

Sicut de domo incensa exit ignis per fenestras: *Iob 40.* Accenditur iste ignis flatu oris, id est, suggestione Diaboli. Iob. *Flatus illius prunas ardere facit.* Item, accenditur iste ignis *Eccle. 9.* colloquiis mulierum,& familiaritate. Eccl. *colloquium illius, quasi ignis exardescet.* Murilegus iuxta ignem albam pellem combusit: Et papillio iuxta candelam volitans se combusit: Sic homo circa mulierem sedens. Nulla securitas fœno, *Isa. 9.* vel stupę, est iuxta ignem esse: sic nec homini iuxta mulierem. Isa. *Omnis caro fœnum.* Item, nix (licet frigida) tamẽ iuxta ignem liquescit: virginitas colloquiis, & familiaritate mulierum perit. Item, ferrum durum, & frigidum ab igne conuertitur in mollitiem,& quasi ignis efficitur. Sic *Hieron.* ferreas mentes libido domat. Hiero. *Flammigero igne percutit mulier hominis conscientiam.* Item, iste ignis accenditur ex appositione combustilium,id est,lignorum,vel olei,vel piscis: sic ignis luxurię ex appositione ciborum,& potuum. Quilibet enim cibus delicatus,vel ciphus vini est quoddã incentiuum luxuriæ. Non videntur habere bonam voluntatem extinguendi ignem illum,qui bonos bolos,& fortia vina frequentant. Sicut nec videtur habere bonam voluntatem extinguendi domum incensam, *qui oleum*, & ligna in ignem proiiceret. Venter enim,& genitalia vicina sunt. Hieron. *Venter vino æstuans citò spumat in libidinem.*

Secundò, accenditur iste ignis ex sufflatione cantus.

Tertiò, accenditur per contactum. Ex duobus enim lapidibus inuicem collisis, exit ignis. Et quid mirum, si ex tactu viri,& mulieris exit ignis luxuriæ,& concupiscentiæ? Item, murus licet non comburatur à candela iuxta se posita: tamen denigratur. Hieron. *Si cum viris fœminæ habitent, viscarium Diaboli non deerit.*

Quartò, accenditur per ornatũ. Sicut enim raptores, &

prædo

prædones, quando volunt vnam villam cõburere, ponunt ignem in vna domo,& per illam aliæ succenduntur: sic Diabolus ignem luxuriæ ponit in vna ioculatrice. Quære suprà in cap.de ioculatricibus.Heu iudices vestri caperent combustores domorum, & comburentes animas, immo templum Dei non capiunt. Psal. *Incenderunt igni Sanctuarium Dei,&c.* Videretur infidelis, qui templum succenderet materiale,vel violaret: quantò magis qui combureret, & violaret templum Dei spirituale?audi Apostol.Corinth. *Templum Dei sanctum quod estis vos.* Si quis templum Dei violauerit,disperdet illum Deus. Nota, quòd luxuria est Diaboli,scilicet. Psal. 73. 1.Cor.3.

Fouea ad peccatores præcipitandum.
Laqueus ad capiendum.
Hamus ad decipiendum.
Venenum ad toxicandum.
Gladius ad occidendum.

Primò,est fouea ad præcipitandum.Sunt enim quidam, qui Diabolum iuuant ad capiendum seipsos; quia scienter iuxta foueam vadunt, in quam diabolus vult eos præcipitare. Prou. *Fouea profunda est meretrix.* Sed qui in foueam cadunt,non,quãdo volunt,exeunt:sic piscis de nassa. Ose. *Non dabunt cogitationes suas,vt reuertantur ad Dominum.*quia spiritus fornicationis in medio eorum.Sequitur. *Insidiatur in via quasi leo.* Insidiantes in via, quæ ducit Romam,non sunt tolerandi. Sic nec insidiantes in via paradisi. Sequitur. *Vt si quos incautos inuenerit, interficiat.* Non sustinerent iudices latrones, qui homines dispoliarent,& occiderent: & sustinent meretrices, quæ occidunt animam,& spoliant gratuitis. Prou. 24. Osee 5.

Secundò,est laqueus ad capiendum,vel muscipula diaboli. Voluptas luxuriæ, est quasi esca in muscipula muribus exposita:glutinum, siue viscus in ligno positum ad capiendum aues:& sicut pedica abscondita sub folio:& sicut laqueus sub grano.Psalm. *In via,in qua ambulabam,absconderunt laqueum mihi.*Et in Prouerb. *Vincula sunt manus illius, quòd quicquid tenet, ita fortiter tenet, quòd vix potest euadere.* Psal.141. Prou. 7.

Tertiò,est sicut hamus sub cibo.Eccl. *Quomodo capiuntur* Eccl. 9.

cur pisces hamo, & aues laqueo: sic capiuntur homines in tempore malo.

Quartò, est sicut venenum cibo admixtum. Aug. *Omne seminarium voluptatis, venenum puta.* Prou. 16. *Ingreditur blandè: sed in fine mordebit, vt coluber: & sicut regulus, venena diffundet.*

Quintò, est gladius ad interficiendum Hieron. *Gladius igneus species mulieris.* Hunc gladium Diabolus cordi tuo applicat, quãdo prauam cogitationem inmittit: & hunc gladium cordi tuo impingis, quando peccato consentis. In gladium irruis, quando peccatum opere imples, vt Saul, qui super gladium suum irruens, mortuus est. Hunc gladiũ emit ad se occidendum, qui dat mulieri, vt ei consentiat. Non est securum homini sedere iuxta hostem suum, habentem mortis gladium, id est, mulierem.

Peccatum luxuriæ videtur esse præcipua causa, quare Deus diluuio deleuerit mundum. Gen. 6.

De luxuria habes.

Habes quoque.

Gen. 38.
2. Reg. 16.
Iud. 19.
Tob. 6.
Luc. 14.

De Mendacio.

MEndacium, est falsa vocis significatio cum intentione fallendi. Vnde & mentiri est contra mentem ire, siue verum, siue falsum asserat.

Mendacium est vituperabile, & diabolicum peccatum. Ioan. 7. Homo igitur mendax, similis est Diabolo imitatione. Ioã. *Vos ex patre Diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere.* scilicet, mentiri; quia qui loquitur mendacium, ex diabolo est, quia mendax est, & patet ipsius mendacij.

Propter immundiciam, quia inquinat.
Propter iniustitiam, quia falsificat.
Propter animæ periculum; quia trucidat.
Propter interiorem oculum, quia excæcat.

Primò, est vituperabile peccatum mendacij, & periculosum. Inquinat autem id, quod magis indecens est esse immundum. Si aliquis os suum apertum haberet muscis, &

aliis immundiciis : vt quæcunque vellent ibi intrare, permitteret,& nidificare, os eius abominabile hominibus esset. Sic os mendax abominabile est Deo;cum immundicia mendacij multò magis displiceat Deo, quàm hominibus immundicia muscarum,& similium rerum immundarum. Prou. *Abominatio Domino labia mendacia.* Prou.12.

Secundò,est vituperabile propter iniustitiam;quia falsificat:facit enim hominem falsum. Quantùm enim præualet denarius verus, denario falso, tantùm præualet homo verax homini falso,& mẽdaci. Vnus denarius bonus plus valet,quàm centum falsi. Sic vnus homo verax,valet plusquam centum mendaces.Magna stultitia: volunt omnes homines denarios suos esse veros, & bonos (ita temporalia ista magni facimus)& tamẽ salutem animæ ita negligimus. *Cor impiorum pro nihilo.* Item, falsa moneta repellitur,& comburitur: sic mendaces non recipiuntur in cœlo: sed comburentur in inferno cum Dæmonibus. Prou.10.

Tertiò, vituperabile est, & damnosum propter animæ periculum;quia interficit.Mendacium est quoddam venenum tantæ potentiæ, quòd in ipso ore existens, interficit hominem.Sap. *Os,quod mentitur,occidit animam.* Psal.*Perdes omnes,qui loquuntur mendacium.* Sap.1. Psal.5.

Quartò,est vituperabile, & damnosum propter interiorem oculum,quẽ excæcat. Talibus illudit Diabolus, sicut cæci in ludo stultorum. Sed illi miseri vulnera non attendunt: sed quod inde reportant: & magno stipendio illud emunt. Sic mendaces vulnera peccatorum de mendacio non sentiunt,nisi lucrum temporale; quia pro certo in ludo cæcorum fuerunt: excæcauit enim illos malitia eorum. Sap. *Ipsi enim contra se insidiantur, & moliuntur fraudes contra animam suam.* Exod.cap.23. Sapien.2.

Habes de mendacio.

Iob. 13. Prou. 6.
Zach. 8. Ephes. 4.
2. Par. 18. Isa. 28.
1. Tim. 4. Gen. 3.
Prou. 11. Eccl. 2.

Primum mendacium fuit à serpente prolatum.

1. Reg. 22. 3. Reg. 21.

Psal. 20. Heſt. 2. Mach. 5.
Iudit. 4.

De Murmuratione.

MVrmurare, eſt de aliquo bono facto male loqui, illi detrahendo.

Matth. 4. Murmurans de cibo, vel potu, deficit in principio belli ſpiritualis: quod eſt contra gulam, vt dicit gl. ſuper Matth. 4. *Niſi prius gula refrænetur, fruſtrà contra alia vitia laboratur.* Talis in primo conflictu dicit malum verbum, ſcilicet, victus ab vna ancilla, ſcilicet carne: quod eſt magna vilitas. Hiero. *Nihil vilius, quàm à carne vinci.* Vnde quando cantatur de viro iuſto. *Ecce homo ſine querela.* verus Dei cultor. De
Rom. 16. iſto poſſet dici. Ecce homo plenus querela, ventris ſui cultor. ad Rom. *Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.*

Secundò, oſtendunt ſe vacuos à gratia, dum murmur reſonat in eis, & querimonia. Vaſa enim vacua percuſſa reſonant, non plena; quia corde tacito mens bene conſcia
Eccl. 10. conſeruat patientiam. Eccl. *Vir prudens, & diſciplinatus non murmurabit correptus.* Olla vacua ad ignem poſita crepat, &
Eccl. 27. magnum ſonitum reddit: plena non. Eccl. *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Item, murmu-
Eccl. 33. rans eſt quaſi rota curru non bene vncta vnctione gratiæ: & ideò murmurat, ſicut rota. Eccl. *Præcordia fatui, quaſi rota*
Ioan. vlt. *currus.* qui ſcilicet fœnum portat, & murmurat. Talis intromittit ſe de hoc, quod ad ipſum non pertinet: ſcilicet de ſeipſo, cuius ſeruus non eſt, ſed Dei. Ioan. *Quid ad te?* (ſcilicet de teipſo) *tu me ſequere.* Iſte vult auctoritate propria ſibi diſpenſare de cruce ſua, contra omnia iura. Ber. *Suſpecta eſt mihi tui ipſius diſpenſatio: & vereor tibi illud ſub tegmine, & nouæ tuæ diſcretionis à prouidentia carnis, quæ mors eſt.* Duæ ranæ in ſtagno vno maiorem tumultum faciunt, quàm centum magni piſces. ſic duo miſeri, quàm centum boni. Peiores canes ſemper latrant: ſed nobiles tacent. Auguſt. *Mos eſt imbecillium canum, quantò minus valent, plus latrare.* Sap. 1. *Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.* Eſt enim querela cum impatientia in his, quæ homo deberet patienter ferre. Habes de murmuratione.

Num. 12.
Iudit. 8.

Sap.

Sap.1. Tren.3.
Exodi6.. Psal.58.
Luc.5. Ioan.6.

De Negligentia.

NEgligentia est omissio, vel contemptus, quando homo non curat, si illud, quod debet facere, vtrùm benè fiat, vel malè. De tali dicitur Leuit. *Maledictus, qui facit mãdata Dei negligenter.* Leuit.9. Quia tunc est mortale peccatum, quando prætermittitur actus de necessitate salutis, vel circunstantia eius: ad hoc enim deducitur peccator, vt se negligat: & minorem curam habeat de se, quàm de alia quacunque re: vide, cupidus, quàm diligens est circa dolium suum, né vinum effundat, quàm curiosè circuit dolia sua: & ex omni parte benè obturat: sensus autem suos non obturat: ersi dona spiritualia affluent, non curat. Gratiæ enim fatuorum non effundentur. *Negligentia* (ait Gre.) *sæpe de virtute facit peccatum.* Item, si linte amina, vel vestes sordidauerit, de eorum ablutione sollicitus est: sed de sordibus animæ non curat, secundùm illud. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Si quid expenderit homo, scripto commẽdat: sed de actibus animæ, non curat. Prouerb. *Impius cùm venit in profundo vitiorum, contemnit.* Vnde colligitur negligentiam magnum esse peccatum, sicut enim terra diu inculta spinis, & vepribus plena, de difficili colitur: ita difficilè exuitur negligens, negligentia sua.

De Ocio.

OCium est, cum quis quiete necessaria saluti corporis accepta, vacat ab aliquo opere spirituali, vel corporali: & est ociositas filia accidiæ. Ociosus locum facit Diabolo, in se. In occupato autem, non habet Diabolus locũ; quia res perfectè occupata, non est capax alterius rei. Ideò dicit Hiero. *Exercemini semper, vt non detis locum Diabolo* Nota, quòd ociosus assimilatur

Signo exposito sagittis sagittariorum.
Castro exposito periculis inimicorum.
Cloacæ receptaculo omnium sordidorum.

Primò assimilatur ociosus signo exposito sagittis, & ictibus sagittariorũ. Potest enim à Dæmonibus vndique

Tren.3. sagittari. & potest dicere illud Tren. *Tendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittã.* Sed occupatio est quasi clipeus contra sagittas Diaboli. Eccle. *Super scutum potentis, id*
Eccl.29. *est, viriliter optantis, aduersus inimicum tuum pugnabis.*

Secundò, assimilatur castro sine muro, & clausura exposita periculis inimicorum. Ideò de facili capitur. Ezech.
Ezech.28. *Ascendam ad terram sine muro, & veniam ad quiescentes, habitantésque securè.* Iob. *Quasi rupto muro, & aperta ianua verborum irruerunt super me.* Homo verò occupatus bonis operibus, est quasi claustrum bene clausum & firmatum. Augu. *Non facilè capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio.*

Tertiò, assimilatur cloacæ fœtidæ, receptaculo sordidorum omnium, & sordium. Greg. *Omnium tentationũ, & malarum cogitationum sentina est ocium.* Terra enim ex quiete,
Prou.24. & ocio profert malas herbas, & pugitiuas. Sic homo ocio sus punctiones vitiorum. Prouerb. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerũt vrticæ, & operuerunt super faciem eius spinæ.* Id est, punctiones vitiorum carnalium, & terrenorum. Vnde ociositas est magistra malitiæ; quia multa mala docuit ociositas. Ocium enim vitia nutrit, & meritum negligit: & est ociosus quasi mollis culcitra, in qua Diabolus libenter quiescit. Est etiã mater nugarum, nouerca virtutum, vt ait Ber. Item ociosus est velut homo mortuus; quia sicut mortuus non valet operari. Seneca. *Ocium sine litteris, mors viui hominis est sepultura.*

Decitur etiam, quòd ociosi sunt velut arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ: arbor in autumno plantata, quando debuit facere fructum, exsiccatur. *Tales sunt* illi, qui in articulo mortis *volunt facere pœnitentiam. Isti* quærunt medicinam nimis tardè, *quando iam* nõ possunt
Eccl.18. sumere, cum tamen scriptum sit Eccl. *Ante languorẽ adhibe medicinam.* Item, ociositas multùm damnificat hominẽ. Si quis haberet vineam, ex qua posset colligere centum dolia vini, stultus reputaretur, & multùm damnificaret se, si ex negligentia colendi eam fructũ amitteret. Fructum autem quem homo in se colligeret, si se diligenter excoleret, prævaleret vino vnius regni. Ideò dicit Senec. *Turpissima iactura est, quæ per negligentiam fit.* Habes de ocio multa

in sa

in sacris literis, quæ reduci possunt ad loca communia pro formandis sacris concionibus.

Exod.5.
2.Reg.11.
Eccl.33.
Ezech.6.
Matth.13.
1.Tim.5.
Matth.20.

De Odio.

ODium, est ira inueterata: vel, est ita ex pluribus causis collecta diuturno tempore perseuerans: & differt odium ab inuidia; quia odium in brutorum natura comperitur.

Odium, sicut dicitur vulgariter. Qui nõ dat quod amat, nõ accipit ille, quod optat: vnde qui nõ dat pro Deo quod amat in hac vita, quod cupit, nõ accipit in futuro. Qui autem, quod amat hîc, pro Deo exponit, in futuro accipiet quod optauerit. Ioan. *Qui odit animam suam in hoc mũdo, in vitam æternã custodit eam.* Nota, quòd anima, id est, vita carnalis oditur bene, vel malè Malè oditur, cùm propter laborem, vel paupertatem, vel aliquod infortunium tædet aliquem vitæ suæ: & desiderat mortẽ, cũ tamen dicatur Cor. *Nemo carnem suã odio habuit.* Sapientẽ enim nõ tædet commodum suum facere, & profectum. Vnde strenuos milites non tædet tempus bellorum, vel tirociniorum: immo vellent, quòd aliud tempus non esset; quia ibi sciũt, se laudem quæsituros, & gloriã. Et certè aduersitatem patientes, apud Deum laudem. & gloriam magnam acquirunt, Ideò dicit Psal. *Si exurgat aduersum me prælium: in hoc ego sperabo.* Præterea, Infirmos non tædet tempus, quod suæ infirmitati confertur: libenter enim sustinent emplastra mordacia, & amara: ex quibus recuperare se nouerint sanitatem. Et certè ex tribulationibus corporalibus recuperatur frequenter sanitas mentis. Iob. *Ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Grego. *Percutit carnem & sanat mentẽ.* Præterea, mercata, & nundinæ non tædent cupidos mercatores; quia ibi plus, quàm alijs temporibus acquirũt, & lucrantur. Et certè patientes diuitias spirituales acqui-

Ioan.11.
Cor.7.
Psal.26.
Iob.5.

Prouer.10. runt. Prouerb. *Benedictio Domini* (id est tribulatio) *quæ Deus debet benedici, diuites facit.* glos. Hic virtutibus, & in futuro omnibus bonis: & non sociabitur eis afflictio, & si modò societur. Cardui enim, & vrticæ grana in campo sociantur. Sed cùm ponuntur in horreo, societas separatur. Apo. *Absterget Deus omnem lachrymam, &c.* Bene autem dicitur anima, vel vita carnalis, cùm vsque ad interemptionem vitiorum, & mortificationem persequitur, & non mortificatur. Luc. *Qui non odit patrem, & matrem, &c.* glo. In omni arte discipuli magistrum imitantur. Nota, quòd debet homo odire animam, id est, vitam suam quadrupliciter, scilicet.

Apoc.7.

Luc.9.

Vt agricola granum.
Vt pugnator clipeum.
Vt miles equum.
Vt ægri languidum membrum.

Primò, vt agricola granũ, qui magis vult ipsum ad tempus perdere in terra: & ventis, & tempestatibus exponere, quã in horreo reseruare. Si enim illud tantũ amaret, quod in horreo reseruaret, fructum non faceret, sed putresceret, & corrumperetur. Sic qui tantum amat carnem suam, vt qui vult eam in quiete, & deliciis reseruare: & non ieiuniis, & laboribus vult eam exponere, nihil enim ex ea, nisi peccatum, & corruptionem, habebit. Matth. *Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eã.* id est, inueniet eam in futuro, glo. Quasi dicat, agricola, frumentum si seruas, perdis, si seminas, renouas. Ideò Ioan. *Si granum frumenti, cadens in terra mortuus fuerit, multùm fructum affert.* Terra, quæ quiescit, & non colitur, non nisi herbas nociuas producit: & cum bene colitur, vix bonas apportat. Prouer. *Qui operatur terram suam* (id est, carnem laboribus, & ieiuniis) *saciabitur panibus.* Qui autem sequitur ocium, in egestate erit.

Matth.16.

Ioan.12.

Prouer.28.

Secundò, debet odire homo animam, id est, carnẽ suã, vt pugnator clipeum. Pugnator autem diligit clipeum, & carum habet: sed non tantùm, quòd non opponat ictibus, vt corpus seruetur illæsum. Sic caro aduersitatibus & periculis exponẽda est, vt anima seruetur illæsa, &

inde

indemnis. Act. *Vincula, & tribulationes resolutionis meæ manent.* id est, expectant, dicit Paulus. *sed nihil horum vereor, nec facio animam meam.* id est carnem, pretiosiorem, quàm me, id est, quàm animam meam. Cùm enim quis in tantum astringitur, quòd in mare oportet merces proiicere: vel personas submergi, merces exponuntur. Et in bello, manus ensi exponitur, vt caput seruetur illęsum; quia mortuo, merces non prosunt: nec manus, capite abscisso: sic cùm quis ad hoc deuenit, quòd oportet vel animæ habere detrimentum, debet carnem, & diuitias exponere: sicut serpens, qui caudam exponit, & corpus, vt caput, id est vita, seruetur. Matth. *Estote prudentes, sicut serpentes.* Diuitiæ enim corpori mortuo, id est animę damnatæ non prosunt. Matth. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* *Act. 20.* *Matth 5.* *Matth. 11.*

Tertiò, vt strenuus miles equum bonum. Miles autem non odit equum, sed habet ipsum valde carum: & tamen quando est in bello, vrget eum calcaribus, & non parcit ei: imò morti, & perditioni ipsum exponit, vt faciat pulchrũ ictum, vnde laudem, & gloriam acquirat: & maximè, cùm seruit domino nobili, & largo, à quo meliorem se recipere sperat. Sic caro exponenda est iciuniis, & orationibus, & huiusmodi. Nec debemus dimittere propter timorem carnis nostræ; cum à Deo in iudicio meliorem carnem recepturi simus. Vnde 1. Machab. *Adolescens membra perditioni exponens, sic ait. E cœlo istã possideo, sed propter Dei legem ipsa despicio; quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* *Mach. 7.*

Quartò, debet odiri sicut membrum infirmum. æger autem amat membrum suum, quamuis infirmum: sed exponit illud, pro sanitate recuperanda, combustioni, & sectioni: si enim membrum tantùm amaret, quòd non ferro, nec igne tangi permitteret: ipsum ex toto perderet, si non permitteret igne, vel ferro putredinem remoueri: sic caro odienda est, vt ferro pœnitentiæ, & igne tribulationis vitia resecentur: alioquin finaliter deperiret. Ioan. *Qui amat animã suam in hoc mundo* (id est carnem, vt nec igne pœnitentiæ, nec ferro aduersitatis vitia resecentur) perdet eam, scilicet finaliter in inferno. Granum enim vt conteratur, & à palea separetur, sub flagello ponitur. & equus morbidus *Ioan. 12.*

ferro,& igne cruciatur. Sic debet fieri de carne. vnde dicit
Luc.14. glo.ſuper illud. Luc. *Qui verò odit animam ſuam, &c.* dicit glo.bene odimus animam, cùm eius carnalibus deſideriis
Gal.6. non acquieſcimus.Gal. *Qui chriſti ſunt,carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs,& concupiſcentijs.* Nota,quòd illi,qui ducti humano timore magis eligunt malum animæ,quàm corporis,ſimiles ſunt ruſtico: qui eundo ad forum,portat ſotulares in collo ſuo,magis eligens lædere pedes,quàm ſotulares. Item, ſimiles ſunt militi intranti ciuitatem quandam,qui,cum audiſſet,quòd erant duo hoſpitia, vnum,in quo equus malè tractabatur: ſed dominus bene: aliud,in quo equus bene,& dominus malè,elegit ſecundum,timẽs magis de equo ſuo,quàm de ſeipſo.Non ſic Eleazarus ille
2.Mach.6. fecit, qui magis elegit ſuſtinere mortem amariſſimam, quàm comedere de carnibus porcinis, vt dicitur. 2.Mach.

De Odio.

ODium,eſt inueterata ira. Vbi odium,ibi charitas eſſe non poteſt. vnde Iſid. *A regno Dei ſe ſeparant,qui ſemetipſos charitate diſſociant.*

Non hominem,ſed vitia odio habẽda:quia per odium
Generatur diuerſitas diſcordiæ,animam inquietantis.
Priuatur nobilitas diuinæ gratiæ, animam viuificantis.
Obtenebratur claritas ſapientiæ,animam illuſtrantis.

Primò igitur, generatur diuerſitas diſcordiæ animam
Prou.10. inquietantis.Prou.*Odium ſuſcitat rixas,&c.* Magna inſania odientis,qui vult ſe occidere, vt aſinum ſui hoſtis occidere poſſit: ſi enim expectaret dominum, plenè vindicaret
Prou.14. eum, hoſtẽ eius infernali patibulo affligendo. vnde Prou. *Non dicas malum pro malo:expecta Dominum, & liberabit te.* Sed nolunt dimittere paruum debitum, vt eis dimittatur magnum.Si aliquis deberet centum talenta:& ei deberentur centum ſolidi:ſtultus eſſet, ſi nollet dimittere paruum debitum,vt magnum ei dimitteretur. Sic ſunt illi,qui paruam iniuriam ſibi factam nolunt dimittere proximo, vt eis dimittantur peccata ſua à Deo. Exemplum de ſeruo
Matth.18. nequam Matth.Greg. *Alijs per ieiunia, grauéſque pœnitentias peccata dimittuntur,ſi non memineris quod tibi factũ eſt.* Anaſt. *Si non dimittis iniuriam, quæ tibi facta eſt, non orationem pro te facis: ſed maledictionem pro te inducis.*

Secundò

Secundò, priuatur nobilitas diuinæ gratiæ, animam vitificantis. Ioan. *Qui non diligit, manet in morte, & sui homicida est.* Si aliquis haberet fratrem suum insanum, qui alapam ei daret, vel conuiciũ diceret, & ob hoc se occideret: ipse plus de eo dolere deberet, quod frater insanus ei faceret, quàm de eo, quod ab eo sustineret: sic qui iniuriam patitur, magis dolere debet de peccato iniuriantis se, quàm de iniuria sibi illata: sicut Dominus docet Luc. dans nobis exemplum. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Stultus esset, qui, cum aliquis auferret sibi aliquid, ipse in vindictam eius proiiceret reliquum: id est, malitia proximi, & superbia abstulit sibi terram: & ipse aufert sibi cœlum, de vno damno facit duo, imò multa. Seneca. *Ridiculum est odio nocentis innocentiam perdere.* Sed quidam reputant vilitatem, & dedecus non vindicare se. sed potius dedecus est, & vilitas vindicare se: potius honor est, si te non vindices. Prou. *Honor est homini, cum separat se à contentionibus.* Omnes autem stulti miscentur contumeliis. Sufficiat ergo tibi vindicari potuisse: scito enim honestum, & maius genus vincendi, ignoscere. Si aliquis interfeciſſet patrem, & matrem alicuius, haberet eum odio: quantò magis debemus odire peccatum, quod interfecit omnes de parentela nostra? & eos, qui remanserunt, interficiet? Iniquos igitur, id est, peccata, odio habeamus, non homines.

Ioan. 3. Luc. 23. Prou. 20.

Tertiò, per odium obtenebratur claritas sapientiæ, animam illustrantis. 1. Ioan. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Non debet aliquis indignari, si aliquis eum impugnat: sed sibi potius irasci debet, qui ab eo non cauit: velut cæcus est homo iratus, vt dicitur Iob. *Caligauit ab indignatione oculus meus.* Cato. *Ira impedit animum, ne possit cernere verum.* Vnde magna stultitia est odire illum, qui aurum, & argentum, & lapides pretiosos tibi proiicit. Tibi coronam fabricat, qui malum, vel contumeliam tibi facit, vel dicit. Psal. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* mihi coronam, & eis pœnam. Vnde qui se vindicat de persecutione, videtur malum pro bono reddere. & ideò malum ei veniet. Prou. *Qui reddit mala pro bonis, non malum de domo eius.*

1. Ioan. 3. Iob 17. Psal. 128. Prou. 20.

De Otio habes.

Gen.27. 3.Reg.22.
Prouerb.14. Amos 5.
Matth.24. 1.Ioan.3.

De Peccato.

PEccatum,est actus deuians ab ordine debiti finis,contra regulam naturæ rationis.

Peccatum multa mala facit homini,quæ deberent eum retrahere à peccato. Quia videlicet

Hominem liberum seruum facit.
Ad amarum finem deducit.
Multiplex deceptio.
Mala damnificatio.
Excæcat hominem.
Inducit prauam consuetudinem.
Imponit onus graue.

Primum malũ,quod peccatũ inducit,est;quia liberum,
Ioan.8. seruum facit. Et cuius? Diaboli. Ioan. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Itaque seruus nõ facit quod vult:sed quod
1.Pet.2. dominus eius. Sic peccator non facit,quod vult,sed quod Diabolus.Petr. *A quo quisque superatus est, eius & seruus est.* Dicunt naturales. Ex quo seruus victus est ab alio seruo, nunquã postea ei resistit:sed quando occurrit ei, quasi dominum eum reputans, caput inclinat,& cornua, in signum subiectionis, & seruitutis: sic & mulier semel oppressa ab amatore suo, post ei non resistit: sed sequitur eũ vbique: sic homo iustus à Diabolo per consensum, ei postea non resistit. Item,in potestate hominis est aliquando facere regem,vel prælatũ,quem vult:sed postquã factus est,non est
Rom.3. in eius potestate,eũ de regno expellere.Ro. *An nescitis cui exhibuistis vos seruos ad obediendũ ei, & serui estis,siue peccati ad mortem,siue obeditionis ad iustitiam?* Vnde sicut seruus non potest de seruitute domini recedere, quando vult: sic nec homo,à peccato. Item,nauis per se,descendit: sed non per
Oseæ 13. se ascendere potest:sic homo per se descendit ad malũ:sed non per se ascendit ad bonum. Oseæ. *Perditio tua ex te,ô Israël: immo ex me auxilium tuum.* Similiter nauis,fracto timone,non quò vult,ducitur:sed quò ventus ducit eam.Sic homo,qui est in peccato, perdito auxilio Dei, non quod

vult,

vult, agit: sed quod Diabolus vult. Apoc. Quod volo, hoc ago. Tren. *abierunt absq; fortitudine ante faciem subsequentis.* Tren. 1.

Secundum malum est, quòd ad amarum finem ducit. Prou. *Nouissima illius amara,* quasi absinthium. Pisces nutriti in mari, propter nutrimentum maris reputant mare dulce: cum tamen sit amarum. Sic peccatores nutriti in peccatis, peccata dulcia reputant, cum tamen aliter sit. Isa. *Væ qui dicunt bonum, malum, & malum, bonum &c.* ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Isti sunt similes cuidam stulto: qui, cum audiret commendari falconẽ domini sui, quòd valde bonus esset, accepit eũ furtim, & occidit, & comedit. Et cum omnes de domo plangerent, & commendarent, nescientes, quid de eo factum esset: respondit stultus, dicens, quòd non dicerent verum; quia nunquam comederat tam amaras carnes. Attende ô peccator; quia nunquam tam amarum cibum comedisti, sicut peccatum; quia gustatum affert mortem. Gen. *Vide quàm malum, & amarum est, te dereliquisse dominum Deum tuum.*

Prou. 5. Isa. 5. Gen. 3.

Tertium, est multiplex deceptio, & stultitia peccatoris. Magna enim stultitia, & deceptio est, scienter comedere mortiferum corpori, sicut dicitur in Iob. *An gustare poterit quis, quod gustatum affert mortem?* Multi tamẽ auidè mortiferum animæ hauriunt, id est, delectationes carnales venenosas. Auguſt. *Omne seminarium voluptatis venenum puta.* Apoc. *Multi mortui sunt de aquis,* id est, delectationibus mũdi; quia amaræ factæ sunt, scilicet post mortem. Item, nullus scienter gladium, quo occideretur, quæreret: multi tamen peccatum, quo anima occiditur, propriis laboribus quærunt. Sap. *Iniustitia mortis est acquisitio.* id est, per hanc acquiritur mors. Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam, & æstimantes illam amicã, defluxerũt, & sponsionem posuerunt ad illam: quoniam digni sunt morte, qui sunt ex parte illius. Item, Nullus scienter iniret pactum, & societatem cum illo, qui eum bonis omnibus spoliaret: & ad vltimum eum occideret: hoc facit peccatum homini: multi tamen pactum, & societatem habent cum eo; de quibus dicitur. Isa. *Pepigimus fœdus cum morte: & cum inferno fecimus pactum.* O quàm damnosum est cum tali aduersario fœdus inire: qui oculum dextrum eruit, id est.

Apoc. 8. Sap. 1. Isa. 28.

amorem Dei, & cognitionem ſpiritualium. Vnde 1. Reg. *Dixit Naas* (qui interpretatur ſerpens, & ſignificat Diabolum.) *In hoc feriam pactum vobiſcum, vt eruam vobis oculos dextros*, id eſt, cognitionem ſpiritualiũ. Item, nullus ſcienter ſe in laqueum inimici proiiceret: quod facit miſer homo cum peccat. Prouerb. *Iniquitates ſuæ capiunt impium* Auguſt. *Qui peccatum peccato addit, quaſi funem nectit, vnde ligatur.* Tamen aues, & piſces non in eaſdem pedicas, & laqueos, retiaque incidunt.

1. Reg. 11.

Prou. 1.

Quartum, eſt magna damnificatio: peccatũ enim damnificat multùm; quia aufert omnia bona gratiæ, & gloriæ. Eccl. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdit.* Peccator enim eſt ſicut ille, qui ludit ad ſcacos, qui vno ictu, vel tactu non facto: vel malè facto, vel neglecto, totum ludum, & totum lucrum perdit: ſic vno opere malè facto, vel neglecto, totus fructus vitæ noſtræ amittitur, & gratia Dei, & regnum æternum. Ezech. *Si auerterit ſe iuſtus a iuſtitia, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ, quas fecit, non recordabuntur.* Item, ſtultus eſſet homo citatus ad iudicium, ſi bonos, & fideles teſtes, quorum teſtimonio cauſam ſuam poſſit defendere, in medio viæ ſuæ interficeret: & illos, qui contra ſe teſtimonium darẽt, ſecum duceret. Sic facit peccator, qui bona opera per peccatum interimit. Opera enim bona, teſtimonium perhibent pro homine, & mala, contra ipſum. Ioan. *Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me.*

Eccl. 9.

Ezech. 18.

Ioan. 10.

Quintum, eſt hominis excæcatio. Peccatũ enim excæcat hominem: & tunc ducit eum quò vult. Peccator enim eſt ſicut ille, qui velatis oculis ducitur de loco ad locum, & neſcit quò ducitur, vel vbi ſit. Iſa. *Væ nobis, quia peccauimus. Ideò obtenebrati ſunt oculi noſtri, &c.* Sap. *Excæcauit eos malitia illorum, &c.* Item, peccator eſt ſicut cæcus, qui cecidit in lutum, qui non videt ſe inquinatum: cum tamen multùm ſit deturpatus. Pſal. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* Item, eſt ſicut cæcus, qui ſæpè cadit, & offendit. Tho. *Cæpit pater cæcus offendens currere pedibus.* Sextum eſt, quia inducit prauam conſuetudinem, quę eſt quaſi gutta, & lepra inueterata, quæ vix curatur. Iob. *Oſſa illius implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ.* Quia talis frequenter recidiuat. Lignum enim extractum ab igne citius incen-

Sap. 1.

Pſalm. 39.

Iob 20.

ditur

ditur, quàm si nunquam fuisset: sic homo expertus peccatum, est prior ad peccandum. Amos. *Facli estis quasi torris extractus de incendio.* Bern. *Experta voluptas libenter repetitur; repetita blanditur; consuetudo ligatur; ratio sopitur.* Augustin. *Dum consuetudini non resistitur, fit necessitas.* Amos 4.

Septimum malum est, quia imponit onus graue. Psal. *Grauæ grauatæ sunt super me*, scilicet iniquitates meæ: sed miser homo nō sentit modò onus illud, sed sentiet postea: sicut ille, qui trahit onus in aqua, non sentit benè pondus, donec exierit de aqua: sic onus peccati non sentitur bene in aquis deliciarum huius mundi: sed quando exierit de aqua, id est, de mundo (scilicet in morte) tunc benè sentietur. Ideò hic deponenda essent peccata, quasi onera grauissima ad infernum trahentia. Ille enim qui habet magnum onus super collum, non cessat currere, donec veniat ad locum, vbi debet deponere. Sic debet homo festinare ad confessionem, & ibi onus peccati proiicere. Vnde Apostolus. *Deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatū, &c.* Item ille, qui debet portare aliquod onus, tentat prius, quantum ponderat, & quantum portabit, & considerat stipendium. Sic homo, quando vult peccare, & onus peccati sibi assumere, debet considerare prius onus peccati: quoniam tantùm ponderat, quòd descendentes cum eo in puncto ad inferna descendunt. Tantùm enim ponderat, quòd neque cœlum, neque firmamentum hora vna potuit sustinere. Luc. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* & quandiu portabit? quia forte sine fine: quia nescit, qui assumit, si de cætero poterit deponere. Psal. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Et stipendium. Stipendium peccati, est mors æterna. Apostolus. *Quem fructum habuistis, in quibus nunc erubescitis?* Nam finis illorum mors est. Multùm debemus odire peccatū, quod nobis tot mala facit, & partem nostrum occidit. Aug. *Christus occiditur, vt peccatum destruatur.* Si aliquis interfecisset patrem, vel matrem alicuius, oditetur ab eo. Quantò magis debemus odire peccatum, quod interficit omnes de parentela nostra: & nos, qui remansimus, impugnare non cessat? Psalm. *Iniquitatem* (id est peccatum) *odio habui, & abominatus sum.* 2. Patr. vltim. habes de peccato. Psalm. 37. Hebr. 12. Luc. 10. Psalm. 48. Rom. 1. Psalm. 18.

Gen.

Gen. 2. & 3. Ierem. 21.
Gen. 19. Gen. 3.
Gen. 4. Exod. 10.
3. Reg. 11. Psalm. 77.
Sap. 7.

De Pigritia.

PIgritia habet multos defectus: vnde multa mala sequuntur hominem pigrum, scilicet

Defectus bonæ operationis.
Inconstantia voluntatis.
Amor voluptatis.
Timor pusillanimitatis.
Negligentia in negotijs.
Priuatio præmiationis.

Primum malum, quod sequitur hominem pigrum, est desidia, & defectus bonæ operationis. Prou. *Abscondit piger manus suas sub ascella, & laborat, si ad os suum eas conuerterit.* Idem. *Desideria occidunt pigrum, noluerunt quicquam manus eius operari, tota die concupiscit, & desiderat.* Homo piger similis est castro multorum dominorum: inter quos ille, qui remissus est, totum amittit: alius paulatim aufert sibi ius suum: sic si spiritus remissus fuerit, caro, (quæ aduersùs spiritum concupiscit) quotidie aliquid cõtra ipsum acquirit. Prouerb. *Manus fortium dominabitur.* quæ autem remissa est, tributis seruiet.

Prou. 26. Idem 21. Prou. 21.

Secundum, est inconstantia voluntatis. Prouerb. *Vult, & non vult piger.* Talis ligatus est vinculis stupeis, immo etiam nullis: sed sola desidia ligat eum. Prou. *Sicut ostiũ vertitur in cardine suo: sic piger è lectulo suo non potest exire, sed tenetur à ceruicali.*

Prou. 13. Prou. 27. Prou. 21.

Tertium, est amor voluptatis. Prouer. *Desideria occidũt pigrum.* Sicut agri proferunt spinas, & tribulos, & herbas inutiles, si in pace dimittuntur: nisi fossi, & purgati sæpe fuerint, & bonis seminibus seminati: sic homo spinas, & tribulos vitiorum generat, nisi occupetur vtilibus laboribus. Bern. *Hæc est maledictio Adæ, vt in agro corporis, & cordis nostri noxia, & inutilia gratuitò, & passim proueniant: vtilia verò, & necessaria cum labore.* Prou. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam stulti: & ecce totum repleuerunt vrticæ:*

Prou. 24. Prou. 18.

&

& operuerunt superficiem eius spinæ. id est, incentiua vitiorum carnalium, & spiritualium. Tales fructus crescunt in horto hominis pigri. Item, aqua, & vestis ex quiete corrumpuntur. Vnde versus Poëtæ.

Et capiunt vitium, ni moueantur aquæ. Ouid.

Quartum, est pusillanimitatis. Prou. *Pigrum eijcit timor.* Prou. 10. Si bene respiceremus, quot, & quantis laboribus, & cruciatibus quotidianis mali merentur cruciatum æternum: satis confundi possemus, qui adeò pigri sumus, laborare pro regno æterno. August. *O si possemus homines excitare, & cum eis excitari, vt tales essemus, amatores vitæ permanentis, quales sunt ipsi vitæ fugientis, cui dictum est. Nauiga, ne moriaris. & distulit: cui dictum est. labora, ne moriaris.* Leuia iubet Deus, vt in æternum viuamus: & obedire negligimus. Item, multùm posset erubescere ille, quem solus timor deiicit de equo virtutum: qui non est, nisi quædam pictura terribilium. Talis vincitur ab hoste, qui nondum est: nec etiam forsitan futurus est. Sen. *Id tibi præcipio, ne sis miser ante tempus; cum illa, quæ velut eminentia, expauisti, forsitan nunquam futura sint.*

Quintum, est negligentia in negotiis aliis. Prouerb. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis.* Sic piger his, qui miserunt eum. *Dicit piger, leo est in via, in medio platearum occidendus sum.* Prou. 21.

Sextum, est gloriæ priuationis: vel priuatio præmiationis. Prouerb. *Vsquequò piger dormis, quando consurges?* & dicitur. Prouerb. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo in æstate, & non dabitur ei.* Prou. 6. Prou. 20.

Septimum, est æternæ damnationis. Matth. *Serue male, & piger, scieba; quia meto, vbi non semino: & congrego, vbi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs.* & sequitur. *Inutilem seruum eijcite in tenebras. Ibi erit fletus, & stridor dentium.* De pigritia habes. Matth. 29.

Prouerb. 6. Eccl. 4.
Eccl. 40.

De præsumptione.

PRæsumptio, est immoderatio spei supra vires proprias, vel, contra iustitiam: sed duplex præsumptio assignari solet,

solet, confidentiæ de diuino adiutorio: & superbię, quæ est de proprio ingenio.

Præsumptio est timenda; quia est occasio ruinæ. Dominus enim permittit aliquãdo viros sanctos in aliquod manifestum, & mortale peccatum cadere: ne de se præsumant. Aug. *Audeo dicere vnum, esse vtile cadere in aliquod manifestũ,*
Matth. 24. *& apertum peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placẽdo ceciderunt.* Exemplum de Petro, qui vilius cecidit; quia præ cæteris præsumpsit, quando dixit. *Si oportuerit me mori tecũ, non te negabo.* Aug. *Vbi dixisti, sufficit: ibi defecisti, & vbi tibi placuisti: ibi perstitit.* Item, magna ostenditur fatuitas præsumentis de se, exemplis virorum fortium, qui leguntur corruisse, vt Dauidis, Salomonis, & Samsonis, & de aliis. Nemo superbiat. Aug. *Multum infirmus est, qui illuc ire contendit, vbi multos corruisse videt.* Si homo non potest vincere leue tentationem, nec sustinere modicum verbum, qua temeri-
Prou. 18. tate ergo magna præsumit, qui modica non potest? Prou. *Sapiens timet, & declinat à malo: stultos transilit, & confidit.* Magna ergo fatuitas præsumentis, quòd præsumit exire à peccato, quando voluerit: cum tamen à casu in peccata
Eccl. 29. modo cadere non possit. Eccl. *Repromissio nequissima multos perdit.* Homo positus à Deo in paradiso terrestri, stare non potuit. Quomodo ergo in Paradiso cœlesti suis se viribus
Iud. 6. ponere præsumit? Iud. *Præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humiliat.*

De Prodigalitate.

PRodigalitas, est profligatio ob intemperantiam.

Prodigalitas aufert homini sua. In tribus casibus videtur homo perdere sua, videlicet.

Quando in vase pleno ponit.
Quando pro nihilo tribuit.
Quando vasi fracto infundit.

Primò, prodigus in vase pleno ponit, quando diuitibus donat. Prosper. *Habentibus dare nihil aliud est, quàm sua per-*
Luc. 14. *dere.* Vnde Luc. *Cùm facis conuiuium, voca pauperes, cæcos, claudos; qui non habent quid retribuant tibi.* Sed econtra prodigus pascit Diabolum, pascendo diuites peccatores: reputat honorem, quod est dedecus, scilicet pascere porcos, gulosos, & luxuriosos: sed dedecus reputat reficere

Deum

Deum in paupere & quod subtrahit ori Dei, addit ori diaboli. Luc. *Adhæsit vni ciuium, qui misit illum in villam, vt pasceret porcos.* Item, ipsi sunt oues diaboli; quia singulis annis Diabolus eos spoliat, dando vestes eorum membris suis, histrionibus, & peccatoribus.

Secundò, pro nihilo tribuit, quãdo pro vana gloria dat, quod nihil est. Ioan. *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* Sicut aliquis non dicitur largus, si ventus vestem suam dilatat. Nullæ arbores dicuntur liberales, si ventus fructum earum excutiat. Sic prodigus non dicitur largus; quia sua confert: sed ventus vanitatis ei aufert. Ioan. 8. Oseæ. Ephraim. i. dives) *pascit ventum, & sequitur æstum,* Idem: *Ventum seminant, & turbinem metent,* scilicet pœnæ æternæ. Oseæ. 12.

Tertiò, Vasi fracto infundit; quando dat histrionibus, & malè viuentibus. Ecc. *Benefac humili, & ne dederis impio.* Iste est similis araneæ, quæ texendo se euiscerat, vt muscas capiat: sic prodigus se euiscerat dando sua: vt muscas, id est, venenosas laudes capiat. Isa. *Telas aranearum texuerunt, quæ nihil eis profuerunt.* Isa 61.

De seruitio diaboli.

SEruus dicitur, quòd in bello serui non necabantur, sed viui feruabantur: sed serui propriè dicuntur illi, qui vitiis auaritiæ, luxuriæ, superbiæ, & nummis inseruiunt. Nam seruiunt quidam Diabolo: quidam peccato: quidam Denario. Diabolo enim seruiunt, qui seruiunt.

Gulæ.
Luxuriæ.
Pecuniæ.

Primi seruiunt gulæ. Rom. *Christo Domino nostro non seruierunt, sed suo vẽtri.* Sen. *Maior sum, & ad maiora natus, quàm vt fiam mancipium corporis mei.* Cicero in Paradoxis, omnes leues, omnes perfidos, omnes denique improbos (licet sint reges) seruos appellat. Qui seruit gulæ, nihil reportat de seruitio suo, nisi corruptionem. Apost. *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem.* Stultum est seminare, vbi quicquid seminatur, corrumpitur: & ponere pretiosum liquorem in vase tali, in quo statim corrumpitur. Rom. 16.

Alij seruiũt peccato luxuriæ. Ro. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ.* Gloss. peccato luxuriæ. Ita illud Rom. 6.

pecca

peccatum efficit hominem seruum, à quo vix potest recedere, qui inciderit, Prou. *Fouea profunda meretrix.* Qui in foueam cadit, non quando vult, exit: sicut nec pisces de nas-
Prou. 24. sa: nec auis de laqueo. Prou. *Vincula sunt manus illius.* Oseas.
Oseæ 5. *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationis in medio eorum.* Iste pro seruitio reportat funem, vel suspendium, & infernum, id est, damnationem mortis æternæ. Roma. *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors.*
Luc. 16. Alij pecuniæ seruiunt, vt auari. Luc. *Non potestis seruire Deo, & mammonæ.* Clo. Diuitiis seruit, qui custodit eas vt seruus: sed qui seruitutis iugum excutit, distribuit vt do-
Iob 27. minus. Iste de seruitio suo nihil reportabit in fine. Iob. *Diues cum dormierit, nihil secum affert.* Stultitia magna est seruire illi, qui in fine eiicit eum nudum de domo sua. Eccl. *sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, &c.* Sciendum, quòd inutile est seruire peccato,

Propter difficultatem seruitij.
Propter inutilitatem præmij.
Propter officij vilitatem.

Sap. 5. Primò, propter difficultatem seruitij. Sap. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles:*
Hieron. 16. *viam autem Domini ignorauimus.* Hiero. *Seruite dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Stultitia est seruire tali domino, qui non permittit seruos suos quiescere, nec in præsenti, nec in futuro.

Secundò, propter inutilitatem præmij quia quod lucratur seruus, non est suum, sed domini: sic peccator nihil fa-
Oseæ 8. cit meritorium vitæ æternæ. Oseas. *Comederunt alieni robur*
Proverb. 5. *eius.* Prou. *Ne des alieno honorem tuam, &c.*

Tertiò, propter vilitatem officij. Psal. *Manus eius in cophino seruierunt.* Glos. Coplinus est vas, in quo portatur terra. Diabolus vult sibi semper seruiri de immunditia. *Peccauerunt ei, & non filijs eius in sordibus.* Ideò filius prodigus seruiLuc. 16. uit in custodia porcorum. Vnde Ambros. *Seruit quicunque, vel nutu frangitur: vel delectatione irretitur: vel cupiditatibus ducitur: vel mœrore deijcitur* : Mala seruitus est vitiosa, damnosa, & onerosa. Habes de seruitute Ioann. 8. Roman. 6. 12. Petr. 2. Genes. 9 De maledictione Chanaam. Genes. 25.

de Re

de Rebecca, in cuius vtero duæ gentes fuerunt.

Gen.47. Prou.12.
1.Cor.7. Gen.31.
Prou.14. Eph.6.

De Simonia.

Simonia, à quibusdam appellatur muneralis ambitus. & est voluntas vendendi, vel emendi spiritualia. *Amb. li. de vita bata.*

Simoniacus Deum pro pecunia vendit.

De Ecclesia Catholica meretricem facit.

Latrones, & sacrilegos vicem Domini tenere constituit.

Primò, simoniacus Deum pro pecunia vendit. Ille Deum scilicet Christum in sacramento altaris vendit, dum gratiam Spiritus sancti vendit, pro pecunia celebrando. Quis non multùm indignaretur, si aliquis vellet eum vendere in foro, sicut iumentum suum? Quanta ergo contumelia Deo fit, quando vænalis exponitur ab iis, à quibus præcipuè debuit honorari?

Secundò, simonia procurat, vt Ecclesia, quæ est sponsa Christi, aliunde grauida sit, quam de vero sponso, quæ scilicet de Spiritu sancto concipere debet: sed simonia facit, quòd concipit de spiritu maligno, & Deum facit nutrire filios adulterinos, & filios proprios exhæredat à patrimonio Christi, constituens hæredes filios Diaboli. Eccles. *Omnis mulier relinquens virum suum, peccabit, statuens hæredes ex alieno matrimonio.* Eccl.18.

Tertiò, latrones, & sacrilegos facit tenere vicē Domini, quia sacramenta sunt illa, contra quæ latrocinium exercent. Absurdum est enim dicere eum, qui furatur calicem, vel capit fructus ecclesiæ, sacrilegum, vel furem esse: & nō eum, qui furatur totam Ecclesiam, cum omnibus, quæ ad eam pertinent. Ioan. *Qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Et ideò omnis simoniacus ipso iure est excommunicatus: & tales iura decernunt sine dispensatione promoueri ad ordines non posse.

De Societate mala.

SOcius propriè ille est, qui in re seria, & laborioſa alicuius pars est. & dicitur ſocius eò quòd ſecet, & diuidat laborem alterius. At in re turpi, & flagitioſa ſocietas contrahi non poteſt.

Societas mala, vitanda est omni ſolicitudine, & cautela: quia mala ſocietas ad

Peccatum trahit.

Viam Paradiſi impedit.

Infirmitatem inducit.

Primò, ad peccatum trahit. Non libenter iret aliquis cum latronibus, qui eum omnibus bonis ſpoliaret, & poſtmodum occiderent: ſic non debet ire cum malis, qui eum ad peccatum trahunt, virtutibus ſpoliant, & morte damnant. Exemplum de ſpinis, quarum vna trahit aliam. Prouer. *Fili mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis, &c.* Cor. *Nolite iugum ducere cum infidelibus: Quæ enim participatio lucis ad tenebras, aut quæ pars fidelis cum infidele?*

Prouer. 1. Cor. 6.

Secundò, viam Paradiſi impedit. Qui tendit ad Paradiſum, non debet comitari illos, qui ad inferna deſcendunt: quia non ſunt in via. Prouer. *Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum vita: Quia nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.* Vndè cum bonis ambula; Quia. *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit.*

Prouer. 4.

Pſal. 1.

Pſal. 1.

Tertio, infirmitatem inducit. Qui non vult eſſe leproſus, debet vitare conſortium leproſorum. Sana poma putridis ſociata, citius marceſcunt: ſic ſani cum infirmis citius infirmantur. Prou. *Amicus ſtultorum efficitur illis ſimilis.* Fermè tum modicum, totam maſſam corrumpit. *Sic* vnus peruerſus, totam ſocietatem. Pſal. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris.* Non eſt enim ſecura ouis iuxta lupum, nec ſtupa iuxta ignem, nec Gimen iuxta catum. ſic nec iuſtus iuxta peccatores: nec mulier iuxta amatorem. Eccle. *Sicut lupus cõmunicat agno aliquando: ſic peccator iuſto. & qui communicauerit cum ſuperbo, induet ſuperbiam.* Cor. *Corrũpunt bonos mores colloquia praua.* Item, non eſt tutum ægroto eſſe in aëre corrupto; quia ex hoc citò recidiuum pateretur.

Prouer. 13.

Pſal. 17.

Eccl. 13.

Sic

Sic non est tutum bonis esse in loco peccatorum: ex ho[c] enim ad peccatum inducuntur: & si sanati fuerint, frequenter recidiuum patiuntur. Gen. *Surgite, & egredimini de loco* Gen. 9.
isto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Ideò mala societas est in se vitiosa, Deo exosa, homini periculosa. Nullus potest esse in Græcia diu, vel in alia regione: quin de consuetudinibus, vel idiomate aliquid hauriat: Sic nec cum peccatoribus habitare; quin de moribus eorum aliquid retineat. Psal. *Commixti sunt inter gentes &c.* Si dicat aliquis, ma Psal. 105.
gnum temporale commodum habeo de consortio eorum: vel magnum damnum de recessu. Respon. si quis esset in domo succensa, vbi non esset nisi vna fenestra, per quam posset tantummodo nudus exire, nonne omnia vestimenta dimitteret, & exire festinaret? Sic quilibet potius dispendium suorum, & suæ carnis (quantuncunque potest) debet sustinere, quàm in consortio malorum remanere in periculo suo. Gen. *Ioseph, relicto pallio in manu mulieris, fugit.* Et Gen. 29.
homo de periculo maris libenter nudus euadit. Item dens putridus de ore cum dolore eiicitur: ne alios corrumpat: & ouis morbida de grege. & leprosus de consortio hominum. & pomum putridum de aceruo. Sic debent amoueri boni de consortio malorum: ne eos prauis actionibus, & locutionibus corrumpant. Salubriter exiuit Abraham de Chaldea, vbi erant homines corrupti idolatria. Gen. 11. *quousque in Hur Chaldeorum stetit.* Ge. 12. non legitur, quòd Dominus illis apparuerit. Iacob noluit ambulare cum malo fratre. Gen. 33. Mala societas Amon cum Ionadab intulit oppressionem Thamar. 2. Regu. 13. Rex Iuda fere fuit occisus cum Acab. 2. Reg. 22. Habes quoque

Prou. 1.	Eccl. 7.
Exo. 23.	2. Cor. 6.
Gen. 14.	Luc. 22.
2. Cor. 5.	

De Superbia.

SVperbia est (vt dicit Hugo) amor propriæ excellentiæ: sed multa mala facit homini. Nam homo per superbiam

Peccatis adimpletur sibi se associando,
Diabolo similis efficitur, se super alios extollendo.
Ex ea ruina procuratur, infima, & humilia despiciendo.
Virtutibus dispoliatur, ei omnia bona auferendo.

Primò, per superbiam homo repletur peccatis: quia superbia est quasi rex vitiorum. Eccle. *Initium omnis peccati superbia. qui tenebit eam, adimplebitur maledictis.* id est, vitiis. Eccl. 10.

Superbia enim postquam dominium habet in aliquo, non amittit eum de facili: sicut reges de facili non perdunt castra, quæ semel possederunt: sed potenter ea defendunt. Eccle. *Sinagoga non erit sanitas.* Chriso. *Tolle hoc vitium, vt non velint homines hominibus apparere, & sine labore cætera vitia resecantur.* Eccl. 3.

Quare Dauid appellat superbiam, fundamentum omnium peccatorum, cum ait. *Non veniat mihi pes superbiæ.* Patet, quia superbus contemnit Deum; & ita incidit in omnia alia peccata: & sic est radix omnis improbæ affectionis. Tria mala facit superbus, Deum offendit, seipsum extollit, proximum despicit verbis, & factis. Psal. 35.

Secundò, per superbiam similis efficitur homo Diabolo. A potestate Angelo homo similis efficitur: dum homo hominibus similis esse dedignatur, vt Pharisæus, qui dixit. *Non sum sicut cæteri hominum.* Ber. *Ergo sicut cæteri Damonii. Superbia enim semper vult dominari.* Non est naturale muribus dominari aliis muribus. Seneca. *Si videas murem dominari velle aliis muribus: nunquid risum teneas?* Sic & hominem aliis hominibus, sed animalibus. Greg. *Dictum est homini. Erit tremor vester super omnia animantia terræ.* Vnde dicit Greg. *Magna superbia est ab æqualibus velle timeri.* Sic dicitur, quòd onis (quantuncunque misera sit) si tintinabulum collo eius apponatur, omnes, quasi domina, præcedere satagit. Sic homo (quantuncunque imbecillis fuerit) si fiat prælatus, omnes præcedere se credit, & se omnibus meliorem: contra quem dicitur Eccle. *Rectorem te posuerunt, noli extolli. esto in illis, quasi vnus ex illis, non quasi Dominus.* Luc. 18. Eccl. 23.

Tertiò, per superbiam ruinæ occasio procuratur: quia superbia est causa ruinæ spiritualis; quia superbus vult altam domum ædificare sine fundamento humilitatis. &

ideò

ideò certus potest esse de ruina. Prou. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam.* Diabolus enim facit de quibusdam, sicut cornix, quæ eleuat nucem in altum, quam non potest frangere, & permittit eam cadere, vt frangatur: sic Diabolus procurat aliquem eleuari in dignitatem, quem non potest prosternere in humilitate: vt in altitudine eleuatus, superbiat, & cadat: & sic eum secum ad pœnam æternam trahat. Iob. *Elevasti me, & quasi super vētum ponens elisisti me validè.* Bern. *Paulatim ascendisti, sed non paulatim descendes: sed tanquam fulgur, & alter Satanas.* Item, sicut vas, quando debet confringi, eleuatur: sic superbi. Prou. *Ante ruinam exaltatur cor.* Psal. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.* Isa. *Ecclesiæ turres grauiori casu procumbunt: & altissimi montes crebris fulgoribus feriuntur. Alta arbor fortius agitatur, & rami eius citius in ruinam consinguntur.* Prou. 32. Iob 39. Isa.

Quartò, per superbiam anima bonis omnibus expoliatur. Vnde quidam deuotus.

Si tibi gratia, seu sapientia, formáque detur.
Destruit omnia, sola superbia, si comitetur.

Non est securum puluerem, vt paleam in altum deiicere: sic superbum in dignitate. Si vis cognoscere granum à palea, proiice in altum granum cum palea, granū descendet: sed palea ascendet. Sic superbi semper volunt ascendere, sed humiles descendere. Et nota, Quòd palea nō est super granum propter suum valorem, sed propter suam leuitatem: sic superbi super nos. Sed dicitur quòd Dominus paleam comburet igne inextinguibili: sed triticum congregabit in horreum suum, scilicet cœlum. Vnde, sicut homines custodiunt se à latronibus, ne spolient eos: sic debent cauere à superbia, quia insidiatur bonis operibus, vt pereant, vt dicit Aug. Item, ligna putrida, & quidam vermes, de nocte lucent: sed in die, non: sic superbi nunc lucent in tenebris huius mundi, sed in die iudicij, quando sol iustitiæ apparebit, quales sunt, apparebūt: quia tunc videbuntur in colore proprio. Prou. *Lucerna impiorum extinguetur, & extincta mirabitur.* Item, sicut monstruosum esset, si ex muliere buffo nasceretur: sic monstruosum est, cum ex gratia à Deo data aliquis superbit. talis de vita moritur, de sanitate ægrotat, de medicamento peioratur. Greg.

Qui de virtutibus se extollit: non gladio, sed medicamento, se interficit. De superbia Nabuchodonosor habes Dan.5. Nicanor veniens ad pugnandum contra Iudam vendidit Iudæis, antequam videret. 2. Mach. 8. de superbia Euæ. Gen. 3. Aman superbus volebat coram se genu flecti, & malè cessit. Hester. 3. & 5. habes.

De Superbia habes.

4. RReg. 19.	Tob. 4.
Iob 15.	Ierem. 48.
Prouerb. 11.	Esd. 16.
Apoc. 18.	

De Tactu impudico.

TActus à tango, venit. & omnis tactus, siue attactus, vel amplexus oscula, & consimilia, præsertim ex luxuriosis cogitationibus vbi est consensus plenarius, & deliberatus, sunt grauia delicta.

Tactus impudicus, tria mala facit; quia

Corpus contaminat.

Animam maculat,

Eam intoxicat.

Primò, corpus contaminat. Eccl. *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea.* Vnde super illud. *Qui fornicatur in corpus suũ, peccat.* Dicit Glo. cætera peccata animam maculant: fornicatio autem corpus, & animam contaminat.

Secundò, animam maculat, & corpus incendit. Nunquid homo potest abscondere ignem in sinu suo: vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas: vt non comburãtur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad vxorem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam. Ignem in sinu suo abscondit, qui de muliere cogitat: vel qui libenter ei loquitur; quia colloquiũ illius, quasi ignis, exardescit, vt dicitur Eccl. *super prunas ambulat, qui aspectus, & affectus suos in specie mulieris figet.* Heu multi ad has prunas se calefaciunt cum Petro, negantes Christum! Matth. Has prunas accendit Diabolus suggestionibus prauis. Iob. *Halitus eius prunas ardere facit.* Stultus & insanus debet reputari, qui ferrum calidum amplexatur, vel stringit ad se, vel ponit ad os suum, vt Moyses. Sic qui mulierem

Eccl. 20.

Matth. 26.

Iob 11.

amplexa

amplexatur,vel deosculatur:quia dicit Hie. *Gladius igneus est species mulieris.* Gladius dicitur, quia vulnerat: igneus, quia inflammat. Sicut ergo insanus reputaretur, qui in gladium ardentem sese proiiceret: sic qui in mulierem. Eccl. *Propter speciem mulieris multi perierunt, & fortissimi interfecti sunt ab ea:* vt Dauid,Salomon, Samson,& alij infiniti. Item ex duobus lapidibus frigidis, & duris exit ignis, si inter se collidantur.Et quid mirum,si ex tactu viri,& mulieris exeat ignis luxuriæ, qui in eis latet? Item, papilio iuxta candelam tantùm volitat, quòd tandem se comburit. Sic homo iuxta mulierem sedendo, & colloquendo. Vnde dicit Hieron. *Ostium tuum mulierum pedes nunquam transeant.* Sed si videris mulierem benè conuersantem, mente dilige,non corporali frequentia;quia non est securum fœno, vel stupæ esse iuxta ignem.Bern. *Cum muliere semper esse, & eam non cognoscere, magis est, quàm mortuos suscitare. Et si quod minus est,non potest:quomodo quod maius est, credam tibi?* Terra bona est in se. & aqua munda, & bona: tamen si simul misceantur, faciunt lutum, & se inuicem polluunt:sic est de homine,& muliere. Eccl.7.

Tertiò,animam intoxicat,& interficit. Stultus esset,qui serpentem venenosum tangeret,vnde mortem incurreret. Eccl. *Sicut boum iugum, quod mouetur,ita & mulier nequam: qui tenet illam,quasi qui apprehendit scorpionem, qui mollis est, cum tangitur,sed venenum cauda emittit.* Item,pisces,& aues in laqueos non scienter se proiiciunt. & homo miser in laqueum,& rete Diaboli se scienter proiicit, id est, mulierem amatiorem morte,quæ laqueus est venatorum,id est Dæmonum,& sagena corpus eius, vincula sunt manus illius:illos enim,quos tenet, ita fortiter ligat,quòd non possunt ab ea recedere. Iudith. *Non possum homines separari à mulieribus:nónne doletis?*

De Tepiditate.

TEpiditas prouocat iram Dei,& facit hominem impotentem: vnde aqua tepida vomitum prouocat.Apoc. *Quia tepidus es,incipiam te vomere de ore meo.* Tepidus de ore Dei euomitur, cùm in deteriora labi permittitur, vel im- Apoc.3.

pœnitens moritur. Item, fiduciam tentandi Diabolo præstat. De multis enim tentat tepidum, de quibus non auderet tentare feruentem. Ollæ enim feruenti muscæ non residunt. sic hominibus in amore Dei feruentibus, Diabolus non appropinquat. Et si aliquando accedunt, combusti, atque confusi descendunt. Item, reddunt hominem impotentem, & contractum, vt bona non faciat: vt patet in illis, qui, cum fortes sint corpore: tamen vix possunt vnam partem pœnitentiæ facere, quam facit vna vetula debilis: quod ex tepiditate sua accidit; eò quòd parum habet de cœlestibus desiderium. Ber. *Forsitan non possumus; quia multum nolumus.* Idem. *Si cupis, incipe, perfectè age. Si perfectionis aliquid attigisti, te ipsum in te ipso metire.*

De Vsurario.

VSura, accipitur pro omni eo, quod datur vltra sortem, in mutuo.

Vsurarius laborat stultitia multiplici.

Prima est; quia, cùm lucrari desiderat, non vult fœnerari cum magno lucro, & sine peccato: sed ibi fœneratur, vbi paruum est lucrum, & magnum peccatum. August. *cur miser homo fœneraris homini? fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis.*

Secunda stultitia est, quia ipse accipit pignus super pretiosiorem thesaurum, quem habeat, id est, super animam suam. Et ad magnam vsuram penè largius expendit seipsum, quàm expenderet super deterius pignus, quod ipse habeat. Vnde, similis est animalibus, emptis à carnificibus, quæ ad mortem impinguantur: pro quibus quicquid carnifex expenderit, super ipsa expendit. De hoc dicitur. Leu. *Congrega eos, tanquam gregem ad victimam, & sanctifica eos, tanquam ea, quæ solent immolari.* Leuit. 12.

Tertia est iniquitas magna, quia vendit quod commune est omnibus, scilicet tempus: & ideò à iusto iudice punitur temporis indigentia. *Quia viri sanguinum, & dolosi non dimidiabuntur dies sui.* Item; quia vendit requiem noctis & lucem diei: meritò vtroq; in futuro carebit. Ideò fatuus

est

est sacerdos qui pro eo cantat requiem; quia scriptum est. *Qui vendiderit aliquid, ad id, quod vendidit, non reuertetur.* Exech. 7.

Quarta est; quia vendit pauperi, quod in lege naturæ, scripturę, & euangelica debet ei. In lege naturę, debet homo homini supplere defectus, quam legem creaturæ inanimatæ videntur manifestè implere. Fluuius enim inueniens vacuitatem foueæ, non pertransibit, donec repleuerit. Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Item, lege Mosayca, siue scripturæ. Debet homo homini indigenti sine lucro pecuniam mutuare. Leuit. *Pecuniam tuam non dabis ad vsuram fratri tuo, & frugum superabundantiam non exiges.* Leuit. 21. Item, in lege euangelica præcipitur dare indigenti. Luc. *Date mutuum, nihil inde sperantes.* Luc. 6.

Quinta est; quia res, quæ non viuunt, vult parere, quod est contra naturam. vult enim nummos, qui non viuunt, singulis diebus, vel mensibus alios nummos parere, & frumentum in arca, vel iam consumptum, vult sibi parere aliud frumentum. Vult etiam pecuniam suam operari, dum ipse quiescit. In omni die, in omni hora operatur. Sicut ille qui colligebat ligna in sabbato, qui lapidatus est, vt dicitur. Num. Quid fiet de vsurario, qui omni die & omni festo facit suos operarios laborare? Num. 15.

Sexta est, quia non vult restituere aliena, vt à laqueo Diaboli, & pœna æterna liberetur: cum tamen aues, quando laqueum sentiunt, potius dimittunt pedem, vel alam, quàm non euadant. Eccles. *Quomodo capiuntur pisces hamo, &c.* Eccl. 9. Peior est Iuda, qui reddidit denarios, pro quibus vendiderat Christum: sunt peiores Iudeis: qui à Iudeis fratribus non accipiunt vsuram: & Inferno, qui reddidit, quod suum non erat, *in passione Christi*: Vnde comparatur vasi paruo fictili, quod denarios sigillatim recipit, sed non possunt inde trahi, nisi frangatur: sic vsurarius denarios congregatos reddit in morte; quia non permittitur portare secum. Auarus nihil rectum agit, nisi cùm moriatur. Similis est spongiæ, quæ aquam recipit, sed non emittit, nisi comprimatur: similis est buffoni, qui non patitur odorem vineæ, sed vineam exit, cum incipit florere: similis viperæ, quæ occiditur propter pullos.

Septima, cum mandatum dederit Deus homini quando peccauit. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Ipse plus, & melius vult comedere, quàm alij, & non laborare. Sed alij laborauerunt: & vsurarij in labores eorum non introierũt. Psal. 27. Psal. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur in purgatorio, sed cum dæmonibus in Inferno.* Psal. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Quippe cum nedum vsuram committant, sed etiam anatocismum, quæ est vsura vsurarum. Possem in hoc, & in aliis multò plura adducere, sed hæc modica sufficient Theologiæ tyroni. Tu interim vlteriora quære, quæ tuis studiis obuia erunt.

Vale.

Finis summæ de Vitiis.

TABVLA RERVM INSIGNIORVM,

Quæ in præsenti libro ordine Alphabetico continentur.

Abidon viuus absorptus. pag. 17
Abstinere contingit trifariam. 122
Abstinentia corporalis quatuor bona confert corpori. 128
Astinentia est filia temperantiæ. 121
Abstinentia laudabilis, quadruplex. 124
Abstinentia quid sit. 121
Abstinentiæ quinque palmites. 128
Abstinentia spiritualis quatuor bona confert animæ. ibid.
Abstinentia triplex. 122
Abundantia multa mala generat. 129
Abundare quid sit. ibid.
Ad abstinentiam quatuor inducunt. 117
Ad constantiam quatuor pertinent. 185
Ad nuptias solent tria hominum genera recipi. 328
Ad veram confessionem tria concurrunt. 177
Adulatio est morbus cancerosus. 424
Adulatio quatuor mala facit. ibid.
Adulationis sex comites. 425
Ad veram exultationem quomodo venitur. 226
Ad veram nobilitatem tria requiruntur. 284
Adulterium est furtum enorme. 420
Adulterium est velut absinthium. 420
Adulterium graue peccatum est, duplici ratione. 421
Adulter tria mala facit. ibid.
Aduocatus peccat tripliciter. 131

Aduocatus quid sit. ibid.
Adulatio quid sit. 424
Allegoria vsus est Dauid Psal. 41. 77
Allegoria quid sit. 77
Ambitiosi proprietas. 428
Ambitio quid sit. 425
Ambitio tria facit. 426
Ambulatio quadruplex. 139
Ambulare quid sit. 133
Amor Dei, & proximi sunt duæ alæ. 153
Amor Dei, & proximi ab vna radice. 150
Amor proprius est sicut lapis pretiosus. 148
Amor proprius est triplex. 148
Amor quid sit. 143
Anagogia quid sit. 83
Animæ dignitas ex triplici eius conditione oritur. 156
Anima multa sortitur nomina. ibid.
A quibus non inuenitur Deus. 337
Anthiteton quid sit. 77
Argutia digitorum in concione damnabilis. 97
Aspectus Dei septem effectus producit in nobis. 159
Aspectus malus multa mala inducit. 160

B

Baptismi effectus. 163
Baptismus quid sit. 161
Beatus quid sit. 164
Benedicendus Deus, & quare. 169
Benedicere quid sit. ibid.
Benignitas quid sit. 168

C

Charitas quid sit. 171
Charitas tres habet oculos. 147
Charitas triplex. 171
Catachresis quid sit. 77
Choreatrices multa mala faciunt. 429
Christus ad tria præcipuè venturus est. 327
Circa corpus Christi tria perpedenda. 204
Circa mortem quatuor sunt incerta. 270
Cogitationes sunt triplices. 173

Cogitare quid sit. ibid.
Collegium vnitatis. 399
Colores diuersi in concionibus apti. 72
de Concionatoris vita. 21
Concionatoris premunitio, ante concionem. 213
Concionatoris in perorando audacia. 25
Concionatoris præcipuum munus. 29
Concionator sine scientia, est caput sine cerebro. 106
Conditiones superbiæ. 505
A creaturis ad Creatorem ducimur. 57
Confessio esse debet cum quadruplici conditione. 179
Confessio quid. 177
Confessio quadruplex. 183
Confessio triplex. 178
Confirmare quid sit. 182
Confutatio quid. 92
Contemplationis octo præcipui effectus. 188
Contemplatio tres comites præexigit. ibid.
Contemplari quid. 187
Contritio comparatur torrenti. 198
Contritio est triplex. 192
Contritio quid sit. 189
Contritio tria facit. 191
Consideratio inferni vtilis. 476
Consolatio triplex. 185
Constantiam quinque interimunt. 186
Constantia quid sit. 185
Contemplationis motus triplex. 187
Conuersionis peccatoris vtilitas. 131
Cor hominis est veluti radix. 194
Cor quid sit. 193
Corrigere quid sit. 197
Corporum damnatorum mala conditio. 475
Custodire quid sit. 202

D

DEbemus timere Deum propter tria. 387
Decima quid sit. 207
Deformitas prædicatorum in pulpito. 96
Derisorum mala. 431

Derisio quid. 430
Detractoris comparatio. 435
Detractoris species. 432
Deus multis modis probat suos fideles. 329
Diabolus tentat hominem diuersimodè. 107
Diuersus finis libros legentium. 104
Diuersus finis scientiæ. ibidem
Diuersitas sequentium Dominum. 355
Diuinis nuntiis respondemus tripliciter. 402
Diuersa vocum genera. 98
Doctorum ordo perpetuus in Ecclesia. 17
Dolor in contritione est triplex. 190
Dolorum septem differentiæ. 209
Duplex affectus amoris. 155
Duplex beatitudo corporis, & animæ. 165
Duplex correctio. 197
Duplex forus Ecclesiæ. 224
Duplex modus curandi. 200
Duo gradus diuini amoris. 144

E

EBrietas mala. 455
Ebrietas quid. ibidem.
Ecclesiæ Ro. est scripturas approbare, vel improbare. 113
Efficacia diuini verbi 14
Effectus fidei. 231
Effectus gratiæ effusæ. 247
Effectus lachrymarum. 268
Effectus passionis Christi. 310
Effectus patientiæ. 304
Effectus perseuerantiæ. 322
Effectus, qui consequuntur in veritate confessionis. 412
Effectus solitudinis. 362
Effectus sperantis in Domino. 363
Effectus tentationis. 374
Eleemosina debet dari, & quomodo 214
Eleemosina quid. ibid.
Eleemosina tria bona facit. 218
Eloquentia necessaria est concionatori, si modò ea ad salutem vtatur. 26

Emphasis quid sit. 77
Epiphonema quid sit. 92
Epitheton quid. 76
Excommunicatio duplex. 223
Excommunicatio est sicut morsus canis. ibidem.
Excommunicatio quid. 222
Exemplum cuiusdam insignis Theologi. 49.& 96
Exempla habent vim maximam delectandi. 30
Exemplum quadruplex. 222
Exemplum quid. 118
Exercitatio maximam vim oratori suppeditat. 38
Exercitus peccatorum mortalium. 371
Exordium quid. 87
Exultatio quid sit. 226

F

Fides quid. 328
Fidelitas consistit in tribus. 131
Fidelitas quid. ibidem.
Fortitudinis duæ species. 304
Fortitudo triplex. 237
Fucosa eloquentia, est plaga disciplinæ Euangelicæ. 49.62

G

Gaudium duplex. 237
Gaudium gloriæ quale. 241
Gaudium quid. 237
Gladius quibus datur. 459
Gladius quotuplex. 457
Gladius vnde deducitur. ibidem
Gloria mundi consistit in multis. 244
Gloria quid. 242
Gloriandum in cruce Domini,& quare. 245
Gloria vana fugienda. 243
Gradatio quid. 77
Gratia triplex infusa, diffusa, effusa. 249
Gula quinque modis peccatur. 461
Gulaquid. ibidem.

H

Hyperbaton quid. 77
Hyperbole quid. ibidem.

Hypocrita quibus assimilatur. 464
Hypocrisis quid. 463
Homo eget triplici iustitia. 265
Homœosis quid. 77
Humilitas quid sit. 253
Humilitas vera est triplex, ibid.

I

IActantia fit tribus modis. 465
Iactantiæ mala. 465
Iactantia quid. 464
In Abraham notantur quatuor signa dilectionis. 148
Ignis purgatorius. 333
In Contritione duo necessaria. 192
In Custodia animæ quid aperiendum. 202
In Eleemosina tria considerantur. 216
Infernus quis. 472
Infirmitas quomodo sanatur. 468
Instabilitas quid. 477
Inuidia vermi comparatur. 472
Inutile est seruire peccato. 353
Inuocatio S. Spiritus in concione est necessaria. 24
Ira multa mala facit. 479
Ira quid sit. 479
Iuliani Imp. apostasia. 19
Iudicium extremum quid. 255
Iudicium temerarium quid. 259
Iustitia quotuplex. 262

L

LAchryma quid sit. 267
Lachrymæ triplices. 267
Luxuriæ octo filiæ. 481
Luxuria quid sit. 481

M

MAla societas tria mala facit. 359
Mala, quæ sequuntur pigritiam. 498
Mansuetudo quid. 268
Mansuetudo tria bona facit. ibidem
Matrimonij bonum triplex. 420
Memoria mortis ad multa valet. 272

Memoria mortis ad quid inducit hominem. 275
Mendacium quid. 484
Metaphora quid. 74
Metalepsis quid. 77
Metonymia quid. ibid.
Modus vincendi tentationes. 372
Mors quid sit. 369
Mortificatio carnis quid. 279
Multa inducunt hominem ad obedientiam. 288
Multa retrahunt à recidiuo. 344
Multiplici amore diligit homo seipsum. 151
Multipliciter vocat nos Dominus. 405
Munditia cordis. 276
Munditia cordis ad multa inducit. 276
Munditia cordis multis modis acquiritur. 278
Munerum acceptio in iudice mala. 261

N

NArratio quid. 91
Natham docuit Salomonem. 17
Negligentia quid. 487
Nihil tam facit ad auditorum perniciem, quàm fucata eloquentia. 27
Nobilitas est duplex. 284
Nobilitas quid. 284
Nobilitas quintuplex. 285
Non debemus alios iudicare, & quare. 260
Nullus prædicare præsumat, nisi mittatur. 18

O

OBedientia quid sit. 286
Ocium quid. 487
Odium quid. 487
Olei proprietates. 425
Omnis concio in tres potissimum partes distinguitur. 117
Onomatopæia quid. 77
Orationis impedimenta quæ. 292
Orare quid sit. 290
Ornatus superfluus duo mala facit. 295
Oza à Phœbus occiditur. 17

PAssio quid sit. 310
Patientia quid. 303
Paupertas quid, & quid pauperies. 306
Pax quid. 297
Peccatum multa mala facit. 494
Peccatum quid. 494
Pœna huius mundi differt à purgatoria in trib. 334
Pœnitentiæ effectus. 312
Periphrasis quid. 82
Perseuerantia quid. 322
Peruenitur ad gaudium, sed quomodo. 241
Per pœnitentiam quid consequatur homo. 317
Phormio ab Annibale derisus.
Pigritia quid. 498
Pythodea quid. 50
Potus triplex. 227
Prædicare est nomen auctoritatis. 18
Prædicare in sacris literis intelligitur sub nomine columbæ, canis, & tauri. 44
Prædicator profutura doceat. 61
Prædicare quid sit. 320
Præsumptio quid. 499
Probare quid sit. 329
Prodigalitas quid. 500
Prouidentia ad multa valet. 331
Prouidentia quid. 331
Purgatorium, & eius pœna. 332

Q

QVadruplex gloria. 280
Quadrupliciter homo odit vitam suam. 489
Quadruplici ratione amandus est Deus. 145
Qua ratione institutæ sunt decimæ. 208
Quatuor attrahunt auditores ad audiendas sacras conciones. 47
Quare mendacium est damnabile. 484
Quatuor auditorum genera. 101
Quatuor creaturarum genera. 151
Quatuor faciunt Dei amicum. 141

Quatuor faciunt hominem instabilem. 477
Quatuor hominum genera illudunt. 432
Quatuor inducunt nos ad Dei amorem. 143
Quatuor modis aspicit Deus. 158
Quatuor modis anima conteritur. 191
Quatuor signa fortitudinis. 237
Quatuor sunt necessaria aduocato. 132
Quæ faciunt hominem fortem. 255
Quinque concionatori perorandi audaciam præbent. 25
Quinque conditiones concionis. 33
Quinque conditiones orationis. 290
Qui autores præcipuè legendi. 112
Quibus assimilatur otiosus. 487
Quibus de causis pauperies amanda. 306
Quid considerandum. 174
Quid orator,& quid concionator. 40
Quid per odium generetur. 492
Quid timentibus Deus promittit. 385
Qui sunt digni exaudiri in cœlesti cnnsistorio. 294
Quare Deo debemus seruire. 350
Quomodo ambulandum. 134
Quomodo audiendum sit diuinum verbum. 387

R

Recidiuare quid. 344
Rectus & iustus quis. 263
Religiosus est mortuus mundo. 537
Repletio triplex. 339
Resurgere quid. 342

S

Sacramentalia Baptismi. 162
Sacra theologia quid sit. 107
Samuel docuit Dauidem. 17
Sanctificatio duplex. 360
Sapientia diabolica quid. 349
Sapientia quid. 546
Septem considerationes repellunt à nobis proprium amorem. 150
Septem contritionis considerationes. 192
Septem gloriæ Spirituales. 192

Seruire debemus Deo quatuor modis. 316
Seruiendum Deo multiplici ratione. 349
Seruire Deo quid. 349
Seruitus multiplex. 352
Seruus quis. 501
Sed conditiones circa modum correctionis. 199
Signa repletionis. 341
Silentium facit quatuor. 357
Silentium quid. 357
Simonia quid. 503
Synecdoche quid. 77
Societas quid. 503
Societas quid. 359
Solitudo non est de essentia perfectionis. 362
Sperare quid. 363
Superbia quid. 505

T

TActus impudicus tria mala facit. 509
Tactus quid. 508
Tempus congruum quærendi Deum. 335
Tempus est veluti thesaurus. 365
Tepidus quis. 509
Theophrastus à vetusta reprehensus. 53
Themata concionatoris. 71
Thesaurus multiplex. 375
Timendum iudicium propter multa. 255
Timenda mors propter tria. 269
Timoris Domini excellentia. 385
Timor quintuplex. 383
Tria habet vera contritio. 190
Tria in oratione notanda sunt. 290
Tria mouent hominem ad obediendum. 286
Tria regna vicerunt sancti per fidem. 228
Tria remedia ad repellendas malas cogitationes. 175
Tria remedia fugiendi adulterium. 422
Tria necessaria ad pafanda Themata. 63
Tria sunt causarum genera. 84
Tria sunt, quæ à nobis repellunt adulationem. 424
Tribulationis effectus. 377

Tres potissimum partes concionatoris. docere: delectare: & flectere. 29
Tres species imitationis. 71
Triduum peccatoris. 145
Triplex eleemosina. 217

V

VErba Domini Spiritus & vita sunt. 54
Verborum proprietas habet maximã claritatem. 52
Verbum vnde dicatur. 387
Veritas quid. 412
Vincula, quibus cor nostrum constringitur. 340
Virginitas propter multa commendatur. 408
Virginitas quid. 408
Vita contemplatiua assimilatur sepulchro. 188
Vitæ corporalis concomitantia. 395
Vita Euangelici præceptoris esse debet cœlum. 19
Vita hominis triplex. 395
Vita æterna quid. 415
Vitanda derisio triplici ratione. 432
Vnio duplex. 397
Voluntas quid. 405
Vocare Dei quid sit. 400
Vocatio fit quadrifariam. 400
Voluntas propria multa mala facit. 406
Vsurarius laborat multiplici stultitia. 510

FINIS.

INDEX MATERIARVM QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

DE Excellentia prędicationis diuini Verbi. 15
De vita, & morum Euangelici præceptoris excellentia. 19
Quòd cõcionator ante concionem se præmuniat. 23
Quæ concionatori perorandi audaciam præbent. 25
De præcipuo concionatoris munere. 29
Quòd concionator, si debet alios mouere, debet in seipso esse commotus. 31
Qualis futura sit diuini verbi prædicatio. 32
De tribus actibus Hierarchicis, à quibus vniuersæ concionis summa hauritur. 38
De differentia inter oratorem, & præceptorem Euangelicum. 40
Quibus nominibus concionator in sacris litteris recenseri consueuit. 43
De his, quæ habent vim attrahendi auditores. 47
De duplici vi dicendi. 50
Exemplum pro concitandis auditoribus. 53
De verborum delectu. 52
Quæ verba propria dicantur. 54
Metaphoræ in concione conuenienter adductæ non minuunt verborum proprietatem: sed aliquid *splendoris*, & plurimùm vtilitatis adiiciunt. 55
Quibus de caussis necessariæ sint metaphoræ. 56
Quibus regulis deprehenditur locutio metaphorica, vel figurata. 58
Philosophorum dicta sacris intexta concionibus vehementer auditores afficiunt. 60
De fuco in concione tollendo. 62
De themate. 64
Quæ concionatori conferunt ad paranda sibi diuersa themata. 65

De

De mixtione thematum, quæ auditoribus proponi possunt. 69
Imitationis exempla. 71
Quomodo thema dilatatur. 71
Coloribus rethoricis potest dilatari thema. 72
De Additione,& de articulo. 73
De Auersione,& de auersionis exemplo. 74
De Inflexione,& de licentia. 74
De occupatione,reprehensione,& de similitudine. 75
De Transitione. 76
Dilatari potest thema per schemata. 76
De Breuitate,& eius exemplo. 79
De Circumlocutione,& contentione. 80
De Digressione,atque eius exemplo. 80
De Exclamatione. 81
De Frequentatione. 82
De quadruplici sensu scripturarum. 83
Dilatari potest thema in quocunque genere causæ. 84
De Methodo docendi. 85
De Concionis partibus. 87
A quibus desumitur exordium in concione. 89
De Narratione. 91
De Epiphonemate. 92
De Confutatione. 92
De Probatione,Confirmatione,& Amplificatione. 93
De Epilogo. 94
De Corporis habitu. 95
De voce. 98
De Auditoribus. 100
De Modo studendi. 103
De Studio sacræ Theologiæ. 107
De libris, in quorum lectione potissimum versari debet concionator. 109
Concionator omnino se abstinere debet à libris improbata lectionis. 113
Præcipua Concionatoris cura est hæreses confutare, & pias mentes in veritate firmè stabilire. 114
Debet concionator ex probatis scriptoribus locos communes colligere,pro formandis sacris concionibus. 116

De quadruplici genere Concionum. 117
De Abstinentia. 121
De Abundantia. 129
De Aduocatis. 131
De Ambulatione. 133
De Amore Dei. 143
De Amore sui. 147
De Amore proximi. 150
De Amore inimicorum. 153
De Anima. 156
De Aspectu diuino. 158
De Baptismo. 161
De Beatitudine. 164
De Benignitate Dei. 168
De Benedicendo Deo. 169
De Charitate. 171
De Cogitationibus. 173
De Confessione. 177
De Confirmatione. 182
De Consolatione. 184
De Constantia. 185
De Contemplatione. 187
De Contritione. 189
De Corde. 193
De Correctione fraterna. 197
De Custodia. 202
De Corpore Christi. 204
De Decimis. 207
De Dolore. 209
De Eleemosina. 214
De Exemplo. 218
De Excommunicatione. 222
De Exultatione. 226
De Fide. 228
De Fidelitate. 231
De Fortitudine. 235
De Gaudio. 237
De Gloria. 242
De Gratia. 249

De

De Humilitate. 253
De Innocentia. 254
De iudicio generali. 255
De Iudicio. 259
De Iudicibus malis. 262
De Iustitia. 262
De Lachrymis. 267
De Mansuetudine. 268
De Morte. 269
De Munditia cordis. 276
De Mortificatione carnis. 279
De Multiloquio. 281
De Nobilitate. 284
De Obedientia. 286
De Oratione. 290
De Ornatu corporis. 295
De Pace. 297
De Patientia. 303
De Paupertate. 306
De Passione Christi. 310
De Pœnitentia. 312
De Prædicatione. 320
De Perseuerantia. 322
De Præparatione. 324
De Probatione. 329
De Prouidentia. 331
De Purgatorio. 332
Quibus quærendus est Deus. 334
De Religione. 337
De Repletione Spiritus sancti. 339
De Resurrectione generali. 342
De Recidiuatione. 344
De Sapientia. 346
De Seruitio Dei. 349
De Seruitio Diaboli. 352
De Sequentibus mundum. 358
De Silentio. 357
De Societate bona. 359
De Sanctificatione hominis. 360

De Solitudine. 362
De Spe. 363
De Tempore. 365
De Tentatione. 366
De Thesauro. 375
De Timore Domini. 383
De Verbo Dei. 387
De Veloci conuersione peccatoris. 391
De Vita præsenti. 395
De Vnitate spiritus. 397
De Vocatione. 400
De Voluntate bona. 404
De Voluntate propria. 406
De Virginitate. 408
De Veritate. 412
De Videndo Deum. 413
De Vita æterna. 415
De Adulterio. 420
De Adulatione. 422
De Ambitione. 425
De Choreatricibus. 429
De Derisoribus. 430
De Detractione. 432
De Ebrietate. 435
De Gladio. 437
De Gula. 461
De Hypocritis. 463
De Iactantia. 464
De Impatientia. 466
De Infirmitate spirituali. 467
De Inuidia. 471
De Inferno. 472
De Instabilitate. 478
De Ira 479
De Luxuria. 481
De Mendacio. 484
De Murmuratione. 486
De Negligentia. 487
De Ocio. ibid.

De Odio.	489
De Peccato.	494
De Pigritia.	498
De Præsumptione.	499
De Prodigalitate.	500
De Seruitio diaboli.	501
De Simonia.	503
De Societate mala.	503
De Superbia.	505
De Tactu impudico.	508
De Tepiditate.	509
De Vsurario.	510

Finis Tabulæ materiarum.

INDEX BREVIS, ET LOCVPLETISSIMVS EORVM, QVÆ DIVERSIS MAteriis applicari possunt, & ad claram resolutionem plurimum conducunt: quæ libenter adieci: ne minis oneroso volumine prægrauetur lector.

*Vide in præsenti libro de Beatitudine pag.*164. *& pag.*334. *Quibus quærendus est Deus.* Matth.21. & Rom.13.

DOminica prima Aduentus agitur de appropinquatione regni Dei, *vel* de aduentu in carne, vel aduentu gratiæ menti illabentis.

Est autem Regnum Dei pulchrę maiestatis. *Gloriam regni tui dicent.* Psalm.

Regum æternitatis. *Regnum tuum, regnum omnium seculorum.* Psalm.

Summæ claritatis. *Fulgebunt iusti, sicut sol in conspectu Dei.* Matth.13.

Excessiuæ suauitatis. *Beatus qui manducat panem in regno.* Luc.18.

Perfectæ sanctitatis. *Sinite paruulos venire ad me.* Matt.19.

Plenę veritatis. *Regnum meũ non est de hoc mundo.* Ioan.18.

Gratiosæ amœnitatis. *Per regnum Assueri.* Hest.1.

Speciosæ formositatis. *Accipient regnum decoris.* Sap.

Amorosæ intimitatis. *Regnum Dei intra vos est.* Luc.

Suauissimæ satietatis. *Ego dispono vobis regnum.* Luc.22.

Amoris, & charitatis. *Transtulit nos in regnum.* Col.1.

Opulentiæ,& vbertatis. *Beati pauperes spiritu.* Matth.

Lætitiæ,& alacritatis. *Venient ab oriente, & recumbent.*

Figuratur autem hoc regnum in sacris literis per regnum Dauid, quem vno desiderio, vno corde, vno opere omnes vnxere super vniuersum Israël regem. 2. Regum. 11.

Per

Per regnum Salomonis, quem omnes reges terræ desiderabant videre,& audire. 2. Paral. 9. per totum.

Per regnum Assueri, cuius regni sublimitas patet. Hest. per totum.

Per regnum Cyri regis Persarũ, cui Deus contulit omnia regna terræ,& præcepit ei ædificare domum Domino. 2. Paral. vltimo.

Per regnum Darij, qui fecit cœnam magnam. 3. Esd. 3.

Per regnum Iosiæ, qui abstulit omnes abominationes. 2. Paral. 38.

Per regnum Ezechiæ, qui intrauit ciuitatem, & induxit in medium eius aquam,& fodit ferro rupem,& ædificauit iaquæ puteum. 2. Paral. 30.

Per regnum Nabuchodonosor regis Babyloniæ, quietè existentis in domo sua,& florentis in palatio suo, qui quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat. Dan. 8.

Per regnum Balthasar, qui fecit grande conuiuiũ optimatibus suis, in quo vnusquisque secundùm suam bibebat ætatem. Dan. 2.

Per regnum Alexandri regis Macedoniæ, in cuius conspectu siluit terra, & diuisit regnum omnibus nobilibus, qui cum eo erant. 1. Mach. 1.

Per regnum Alexandri nobilis, qui misit Ionatæ purpuram,& coronam auream, ad tuendam & conseruandam amicitiam. 1. Mac. 10.

De diuinis nuncijs, vide in præsenti libro pag. 402. Luc. 21. & Rom. 15.

DOminica secunda Aduentus agitur de Angelo misso à patre æterno in mundum, ad præparandum viam Ecclesiæ, qui quidem Angelus, siue intelligatur Christus, siue Ioannes Baptista præcursor, figuratur in Scripturis Sanctis.

Per Angelum magniconsilij. Psal. 1.

Per Angelum faciei diuinæ. Psal. 63.

Per Angelum testamenti desideratum. Malach. 3.

Per Angelum euangelij æterni. Apoc. 19.

Per Angelum præcedentem castra Israel. Exod. 13.

Per Angelum illuminantem terram gloria sua. Apoc. 18.

Per An

Per Angelum habentem faciem vt sol, & in manu librum apertum. Apoc. 10.

Per Angelum ascendentem ab ortu solis, Apoc. 1.

Per Angelum canentem tuba. Apoc. 8.

Per Angelum Ierusalem ciuitaem nouam ostendentẽ, Apoc.

Per Angelum ligantem Draconem. Apoc. 28.

Per Angelum habentem forcipem seraphicum, & calculum igneum. Isa. 6.

Per Angelum habentem falcem acutam. Apoc. 28.

Per Angelum ante altaee aureum adolentem incensa. Apoc. 8.

De voce habes in præsenti libro pag. 98. Matth. 11. Col. 4.

DOminica tertia Aduentus agitur de voce clamantis in deserto, quæ significata est in scriptura.

Per vocem sanctitatis, & misericordię: quia prædicabat baptismum pœnitentiæ. *Vox Domini super aquas.* Psal.

Per vocem suauitatis, & lætitiæ: quia prædicabat aduentum Christi diu desideratum. *Fat me audire vocem tuam.* Cant. 1.

Per vocem liberalitatis: quia prædicabat annum benignitatis. Prouerb. 8.

Per vocem seueritatis & iustitiæ, quia prædicabat vltionis diem. Iob. *Tonat Deus* 28.

Per vocem amœnitatis, & gloriæ: quia prædicabat gaudia fœlicitatis æternæ. *Sonet vox tua in auribus meis.* Cantic. 2.

Per vocem suauitatis: quia prædicabat opera legis nouæ. *Sapientia clamat foris.* Prou. 8.

Per vocem securitatis, & constantiæ, quia prædicabat sanctitatem vitæ. *A voce tua.* Isa. 33.

Per vocem humilitatis, & patientiæ: *Vox dilecti mei pulsantis.* Cant. 2.

Per vocem desideriorum gloriæ: *In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.* Psal.

Vide in præsenti libro de incarnatione verbi, vel de gratia pag. & Ioan. 1. Phil. 4.

Domi

DOminica quarta de Aduentu agitur in Euangelio de visione Saluatoris nostri ab omni carne, quæ in sacris literis figuratur per visionem altam, quam habuit Adam in sopore. Gen. 2.
Per visionem mirabilem, quam habuit, Abraham in sopore. Gen. 3.
Per visionem dignam Isaac in stupore vehementi. Gen. 21.
Per visionem Iacob hierarchicam in scala cœlesti. Ge. 28.
Per visionem Moysi in rubo. Exod. 3.
Per visionem terræ promissæ. Num. 21.
Per visionem Samuelis gratificam in templo. 1. Reg. 3.
Per visionem præclaram ollæ succensæ. Iere. 1.
Per visionem apertam Ezechielis. Ezech. 1.
Per visionem pulchram aquarum redundantium à parte templi dextera. Ezech. 14.
Per visionem Salomonis fructuosam. 2. Par. 1.
Per visionem septennam. Ioan. in Apoc. per totum.
Aduentus Christi in carne, & in mente vtilitas potest figurari.
Per lucem primò huic mundo editam: quia ipse futurus erat lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ioan. 1.
Per solem vniuersaliter refulgentem. *Sol illuminans per omnia*. Eccl.
Per primum hominem à Deo formatum. *Tulit Deus hominem*. Gen. 2.
Per fluuium paradisum irrigantem. *Fluuius egrediebatur, &c.* Gen. 2.
Per fluenta plenissima in omnes redundantia Can. dicitur de anima sancta. *Oculi eius super riuos aquarum*. Can. 11.
Per lignum vitæ in medio Paradisi. Gen. 2.
Per hortum Voluptatis. Gen. 2.
Per fundamentum templi, 3. Reg. 1.
Per scalam Iacob. Gen. 28.
Vide de Humilitate. 253.
& Hebr. 1.
DE Natiuitate Christi, quæ in sacris Bibliis figurata fuit per ortum Seth religiosi. Gen. 8.
Per Abel, Ibi. Ioan. 1.

Per Pa

Per Paradisum delitiarum Gen.2.
Per solem lucentem in firmamento: quia natus est ad vniuersam illuminationem. Mal.3.

De Virginitate vide pag. 408.

DE B. Virgine, quæ in sacris literis figuratur per rosam præfulgidam, propter odorem summum vitæ. Ec.10. *Quasi plantatio rosæ in Hierico.*

Per vnam auream continentem mãna. *Sume vas nouum.* Exod. 16.

Per mensam auro circumtectam. *Facies mensam de lignis setyn.* Exod.21.

Per aureolam aromaticam, propter fragrantiam boni odoris. Can.

Per radicem supernaturaliter pullulantem. *Radix mea aperta est secus aquas.* Iob.22.

Per fontem supernaturaliter scaturientem. *Fons ascendebat de terra.* Gen.2.

Per fluuium supernaturaliter irrigantem. *Factus est mihi trames abundans, & fluuius, &c.* Eccl.28.

Per rubũ mirabiliter ardentẽ. *Videbat Moyses, &c.* Exo.3.

Per virgam mirabiliter virescentem. *Inuenit Moyses virgam germinasse in domo Leui.* Num.11.

Per vellum mirabiliter complutum in area, & rotatum. *Expresso vellere rore.* Iud.6.

Per nubem mirabiliter irrorantem. *Speciosa misericordia Dei: & sicut nubes.* Eccl.24.

Per iridem mirabiliter refulgentem. *Vide arcum, & benedic.* Eccl. 43.

Per stellam manè splendentẽ. *Ego sum radix.* Apoc. vlt.

Per montem præeminentẽ. *Erit mons domus domini.* Isa.2.

Per cellam pigmentariam. Can 4.

Per puteum aquarum viuentium. Ibidem.

Ioan. 21. BEatus Ioannes Euangelista significatur in scriptura,

Per Abel primogenita offerentem. Gen.4.

Per Ioseph super omnes fratres à patre dilectum. Gẽ.31.

Per Samuelem vestitũ Ephor, Deo ministrantẽ. 1.Re.3.

Per Iacob scalam videntem. Gen.31.

Per Beniamin in mentis excessu se leuantem. Psal.

Per aquilam ad præceptum Dei se leuantem. Iob.39.

S. Inno

S. Innocentes significantur per oliuas pullulantes.
Filij tui sicut nouellæ oliuarum. Psal.

Per paruulos natos Isaac Gen.24.

Per paruulos datos à Deo Iacob. Gen.221

CIrcuncisio Domini in scripturis figurata est per circuncisionẽ Abrahæ, qui futurus erat pater multarum gentium. Gen.14. *Luc.c.2.* *Tit. 2.*

Per circuncisionem Isaac, qui interpretatur risus, & gaudium. Gen.31.

Per circuncisionem spiritualem, quam prædixit Moyses. Deu.39.

In Epiphania Domini fuit figuratus Dominus mundo apparuisse in luce prima. Gen.1.

Per lucem puram. 3. Reg.23.

Per lucem nouam. Hester.10.

Per lucem mirificam. *Ibi.*

Per lucem magnam. Isa.9.

Per lucem matutinam. Iob.24.

Per lucem sempiternam. Isa.60.

Per lucem gratificam. & diffusam. Iob.36.

Per lucem plenam. Sap.1.

Per lucem lætam. *Lux orta est eis.* Psal.

Per lucem cœlicam. Iob.5.

Vide de diuino aspectu in præsenti libro pag. 158. Matt.2. Esa.60.

RVrsus illa apparitio figurata fuit per apparitionem gloriæ coram filiis Israël. Ex.16.

Per apparitionem gloriæ Dei Aarom, & filij eius coram populo. Leu.9.

Per apparitionem factam Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente. Exod.6.

Per apparitionem factam omnibus hominibus. *Apparuit gratia omnibus hominibus, &c.* Tit.2.

Per apparitionem factam omni multitudini filiorum Israël, Nu.14. & Leuit.9.

Per apparitionem Dei super tabernaculum. Nu.16.

Per apparitionem corã Effraim, Beniamin, & Manasse. Psal.

Apparuit quoque Dominus mundo : Sicut luminare in mundo. Gen. 1.
Sicut primus homo in Paradiso. Gen. 2.
Sicut auriga in curru huius sæculi. 4. Reg. 1.
Sicut operator in vinea Domini, Matt. 20.
Sicut pater familias in domo propria. Mat. 22.
Sicut miles in bello Dei.
Sicut dux in ciuitate summi regis. Isa. 31.
Sicut custos capti hominis. 3. Reg. 20.
Sicut pastor ouilis Domini. Ioan. 10.
Sicut Thesaurarius summi Imperatoris. Col. 2.
Sicut Paranimphus sponsæ. Luc. 1.
Sicut caput Ecclesiæ. Ioan. 1.
Sicut agricola in agro Domini. Zac. 11.
Sicut gubernator in nauicula. Luc. 5.
Rursus Christus datus est nobis, sicut Noë in arca. Gen. 6.
Sicut Iacob in custodia gregum. Gen. 30.
Sicut Ioseph super Ægiptum. Gen. 3.
Sicut Moyses in educendo populum. Exo. 14.
Sicut Calep in explorando terram. Num. 13.
Sicut Samuel iudicando populum. 1. Reg. 1.
Sicut Dauid in gubernando regnum. 2. Reg. 3.
Sicut Salomon ædificando templum. 3. Reg. 4.
Sicut Helias persequendo malos. 3. Reg. 18.
Sicut Helisæus vngendo reges. 4. Reg. 6.
Sicut Iosias in reformando cultum. Dei. 4. Reg. 22.
Sicut Esdras in reducendo populum Es. 1.
Sicut Neemias in ædificando ciuitatem. Nee. per totum.

De Sapientia. Vide in præsenti libro pag. 466. Luc. c. 2. Rom. c. 11.

DOminica infra octauam Epiphaniæ. Cum factus esset annorum 12.
Anni pueri Iesu figurantur in sacris per 12. fundamenta ciuitatis nouæ Hierusalem. Apo. 21.
Per 12. nomina filiorum Israël sculpta in lapidibus portata per Pontificem coram Deo. Exod. 28.

Per

Per.12.lapides pretiosos in Rationali positos.Ibi.
Per 12.lapides de medio Iordanis congregatos. Ioan.6.
Per 12. margaritas portarum Hierusalem cœlestis. Apoca.21.
Per 12. nomina scripta in portis Hierusalem supernæ. Apoc.Ibi.
Per 12.Angelos custodes murorum. Apoc.21.

Vide de Baptismo pag.161.Euang.Ioa.c.3.

IN Octaua Epiphaniæ de baptismo Christi, qui fuit figuratus per fontem patentem.Zac.13.
Per fontem scaturientem.Gen.2.
Per fontem crescentem.Hest.10.
Per fontem cristallinum.Apoc.vl.
Per fontem signatum.Cant.4.
Per fontem salientem.Ioan.4.
Per fontem irrigantem.Can.4.
Per fontem viuentem Nu.20.
Per fontem præsignantem.Gen.24.
Per fontem refocillantem.Ioan.4.

Vide de Charitate pag.171.item de Ebrietate. 455.Ioan.c.2.1.Rom.12.

DOminica secunda post Epiphaniam,agitur in euangelio de bono vino gratiæ, vel diuinæ sapientiæ,figuratur.
Per vinum Noë inebriatiuum.Gen.9.
Per vinum Ioseph satiatiuum.Gen.43.
Per vinum optatũ Iacob à patre instauratiuum.Gen.31.
Per vinum vitis Dei,& hominum lætificatiuum.Iud.9.
Per vinum Melchisedech præfiguratiuum.Gen.14.
Per vinum Samaritani sanatiuum.Luc.10.
Per vinum sapientiæ amœnissimum.Prou.9.
Per vinum sponsæ suauissimum.Cant.1.
Per vinum moderatè potatum.Ecclc.31.

DOminica tertia post Epiphaniam agitur de descensu Dei de monte,qui figuratur. *Matth.8. Rom.11.*

Per descensum Abrahæ in Ægyptum ad peregrinãdũ. Gen.12.

Per descensum Dei ad clamorem Sodomorum. Gen.18.

Per descensum Ioseph in foueam. Sap.10.

Per descensum Iacob, & filiorum eius. Exod.1.

Per descensum Ioachin summum pontificem de Hierusalem in Betuliam, Iud.3.

Per descensum dilecti in hortum sponsæ. Cant.11.

Per descensum à regalibus sedibus. Sap.18.

Per descensum Angeli de cœlo, cuius gloria terra illuminata fuit. Apoc.18.

Per descensum Angeli in piscinam ad commouendam aquam. Ioan.5.

Per descensum Angeli de cœlo in vestibus albis, & aspectu fulgentis. Mat.28.

Vide de Religione. pag.337. Matt. 8. Rom.13.

DOminica quarta post Epiphaniam agitur de Nauicula, siue de Religione fluctibus agitata, quæ significatur.

Per archam Noë ad multiplicationem aquarum eleuatam à terra. Gen.1.

Per rarem, in qua transeuntes mare, liberantur. Sap.13.

Per classem Salomonis portantem aurum, & argentum. 3.Reg.9.

Per nauem, in qua fiunt operationes in aquis, & mirabilia in profundo. Psal.

Per nauiculam Petri, quæ non potest submergi. Luc.5.

Per nauem Pauli. Act.26.

Per nauem, de qua Christus docet. Luc.5.

Per nauem, cuius via ignoratur in medio mari. Prouer.vlti.

Per nauem poma portantem. Iob.9.

De Verbo, & de verborum proprietate vide pag.51. item de verbo Dei.387. Matth.13. Colos.5.

DOminica quinta post Epiphaniam agitur in Euãge. de bono semine seminato in agro. quod significatur in scri

in scriptura sacra.
Per semen sanctitatis,& munditiæ.Isa.3.
Per semen veritatis,& iustitiæ.Os.4.
Per semen pietatis,& misericordiæ. Eccl.11.
Per semen benedictionis,& gratiæ.Isa.61.
Per semen æquitatis,& constantiæ.Matth.13.
Per semen abundantiæ. Cor.2.Cor.9.
Per semen perfectionis,& excellentiæ.Matth.4.
Per semen salutis,& gloriæ. Ioan.4.
Per semen prædicationis,& sanctæ doctrinæ.Isa.32.
Per semen euangelicæ operationis, & continentiæ. Eccl.11.
Per semen meditationis, & contemplationis Cælicæ. Gal.vltimo.

De Tribulationibus,& earum effectibus vide 387.
Matth.20. 1.Cor.9.& 10.

DOminica in Septuagesima:quo tempore supprimuntur in Ecclesia cantica lætitiæ: quæ repræsentant tempus tribulationis ab initio sæculi.& tempus pœnitentiæ, & tristitiæ in hoc mundo post lapsum primi hominis:figuratur hoc tempus per eiectionem Adæ de Paradiso in miseriam huius sæculi. Gen.3.
Per inundationem diluuij per totum mundum propter peccata. Gen.6.
Per diuisionem linguarum propter peccatum superbiæ. Gen.9.
Per peregrinationem Abrahæ in Ægypto.Exod.12.
Per peregrinationem,& persecutionem Isaac cum suis. Gen.26.
Per peregrinationem Iacob in Mesopotamia Syriæ. Gen.28.
Per venditionem,& carcerationem Ioseph.Gen.31.
Per vltionem maximam peccati vituli.Exod.32.
Per expulsionem Dauid de Regno.2.Reg.3.
Per translationem 10. tribuum in Assirios.3.Reg.11.
Per destructionem templi.1.Reg.2.
DOminica Sexagesimæ recitantur tribulationes, & pugna. figuratur autem illa pugna per pugnã Abrahæ contra ipsos reges. Gen.14. *Luc.8. 2.Cor.11. & 12.*

Per pugnam pastorum Isaac cõtra Palæstinos. Gen.26.
Per pugnam Israëlitarum contra Ægyptios.Exod.14.
Per pugnam filiorum Israël contra Moabitas. Num.22.
Per pugnam eorundem contra Madianitas.Num.31.
Per pugnam eorundem contra Chananeos.Num.21.
Per pugnam eorundem contra Philisteos.1.Reg.4.
Per pugnam Dauid, & quas vnus victoriam: alter verò prætestationem habuit. 1.Reg.1.
Per pugnam Mardochæi,& Aman.Hest.

*Vide de charitate.*171. *Luc.*18. 1.*Corinth.*13.

DOminica Quinquagesimæ recitantur præcipuæ laudes charitatis,quæ in scripturis figurantur.
Per tunicam pelliceam. Gen.31.
Per tunicam cum malis granatis,& tintinnabulis aureis. Exod.29.
Per tunicam talarem. 2.Reg.13.
Per tunicam nuptialem. Matth.22.
Per tunicam inconsutilem.Ioan.19.
Per pallium Heliæ.4.Reg.2.
Per tunicam Ioseph. Gen.38.
Per mel Ionathæ. 1.Reg.14.
Per oleum viduæ. 4.Reg.18.
Per vinum cor sponsæ. Cant.1.
Per balsamum non mixtum. Eccl.28.
Per sal Helisæi. 4.Reg.3.
Per spiraculum vitæ. Gen.1.
Per ventum ab austro flantem. Paral.3.
Per auram refrigerantem. Gen.3.
Per signaculum super cor sponsæ. Cant.8.
Per signum Dei viui. Apocal.1.
Per fluuium igneum. Dan.1.
Per fluuium amœnum. Gen.2.
Per fluuium maximum. Hest.10.
Per aquæductum de Paradiso. Eccl.24.
Per mannam in deserto. Exod.26.
Per lignum vitæ. Prouerb.3.
Per fontem Paradisi. Gen.2.

Per fontem hortorum. Cant. 4.
Per fontem delitiarum. Isa. 12.
Per murum igneum in circuitu ciuitatis. Zach. 4.

Vide de morte. pag. 269. Matth. 6. Ioël 2.

FEria quarta in capite ieiunij agitur de cinerum aspersione, quod significat abiectionem, & pœnitentiam, & præsertim corporum nostrorum incinerationem, quæ est pœna peccati. figuratur autem in scripturis.

Per puluerem, qui sumus, & in quem redibimus. Genesi 3.

Per puluerem, & cinerem, quē se esse testatur est Abraham. Gen. 18.

Per puluerem reuersum in terram suam. Eccl. 12.

Per puluerem in domo pulueris, quo conspergi debemus. Mich. 1.

Per fauillam, & cinerem, in quibus pœnitentiam agebat Iob. Iob vlt.

Per puluerem, quem scissis vestibus sparserunt amici Iob. Iob 2.

Per sessionem regis Niniuæ in cinere, & sacco. Ionæ 4.

Per illos quos opertos saccis misit Ezechias ad Isaiam. 4. Reg. 19.

Per illos octuaginta viros scissis vestibus euntes ad Godoliam. Hier. 41.

Per Achab scissa veste opertum cilicio ieiunantem, & dormientem in sacco. 3. Reg. 2.

Per saccum consutum super carnem Iob. & caput opertum cinere. Iob 16.

Per regem Dauid operto capite, & nudis pedibus incedentem, & lugentem. 2. Reg. 16. & 18.

Per Ieremiam flentem, & eiulantem. Tren. 1.

Per senes filiæ Syon sedentes in terra, & capita aspersa habentes cineribus. Tren. 2.

Per virgines Hierusalem abiicientes capita sua in terra. Tren. 2.

Per filiam populi Dei acciņctam cinere, & cilicio. Ierem. 6.

Vide de Abſtinentia,& eius laudibus pag.121. Matth.4. 2.Corinth.6.

DOminica prima Quadrageſimæ agitur de munditia Ieiunij quadragenarij:& figuratur.

Per quadragenarium ieiunium Moyſis colloquentis: cum Domino in monte.Exod.24.

Per quadragenarium ieiunium Heliæ euntis ad contemplationem.3.Reg.19.

Per quadragenariam manſionem filiorum Iſrael.Nu.13.

Per quadragenariam generationem Chriſti. Matth.1.

Per vniuerſale ieiunium filiorum Iſraël in die expiationis,Leuit.23.

Per generale ieiunium filiorum Iraël tempore afflictionis contra filios Beniamin.Iud.20.

Per ſolemne ieiuniũ Ioſaphat cũ toto regno.2.Para.20.

Per lachrymoſum prandium Eſdræ cum ſuis omnibus. 1.Eſd.8.

Per doloroſum ieiunium.Heſt.4.

Per ieiunium quotidianum.Iud.8.

Per ieiunium Danielis viri deſideriorum.Dan.9.

Per ieiunium Zachariæ.Zach.8.

Per ieiunium Triduanum Pauli Apoſtoli.Apocal.9.

De gloria habes pag.242. Matth.17. 1.Theſſ.4.

DOminica ſecunda in Quadrageſima agitur de monte transfigurationis, qui figuratur per montem immolationum.Gen.22.

Per montem ſalutationum.Gen.19.

Per montem contemplationum.Deut.33.

Per montem inflammationum. Exod.24.

Per montem diuinarum allocutionum.Exod.28.

Per montem conuiuiorum. Iſa.22.

Per montem refectionum pinguium. Pſal.

Per montem aromatum.Cant.2.

Per montem ædificationum ſpiritualium,Neem.8.

Per montem hæreditatis. Exod.15.

Per montem laudis,& commendationis. Iſa.2.

Habes

*Habes de passione Christi pag.*310. Luc.11. Eph.5.

DOminica tertia in Quadragesima agitur principaliter de oblatione, & hostia, qua Christus tradidit se in odorem suauitatis. & hæc hostia odorifera figuratur

Per odorem agri pleni. Gen.21.
Per odorem incensi. Eccl.1.
Per odorem balsami. Eccl.24.
Per odorem cinamomi. Eccl.24.
Per odorem vnguenti. Ioan.12.
Per odorem lilij. Eccl.39.
Per odorem vineæ. Cant.3.
Per odorem nardi. Cant.1.
Per odorem vestis. Cant.4.
Per odorem orationis. Apoc.5.
Per odorem Timiamatis. Exod.29.
Per odorem vnguenti sancti sanctorum. Exod.29.
Per odorem fructificationis. Eccl.4.
Per odorem fusum excelso principi. Eccl.
Per odorem suauissimum Domino. Exod.16.

*De vita æterna, vide pag.*415. Ioan.6. Esa.cap. finali. Gal.4.

DOminica quarta in Quadragesima agitur de Hierusalem, quæ sursum est. quæ est mater nostra. & figuratur per cœlum sedem Dei. Isa.vlt.

Per cælum sydereum. Eccl.43.
Per aquas super cœlos. Dan.3.
Per terram virentissimam. Ezech.
Per terram lacte & melle refertam. Deut.
Per terram riuorum, & fontium. Deut.ibid.
Per terram oliuarum, & ficuum. Deut.ibid.
Per terram frumenti, vini, & olei. Deut.33.
Per terram excelsam. Deut.32.
Per terram repromissam. Deut.9.
Per hortum voluptatis. Gen.2.
Per agrum fœcundissimum. Gen.21.
Per arborem vitæ. Gen.2.
Per montes aureos. 1.Mach.6.

Per lignum vitæ. Gen.2.
Per arcam Noe. Gen.6.
Per ramum Oliuæ. Gen.8.
Per arcam fœderis reconciliantem. Gen.9.
Per ligna sacrificij Abrahæ. Gen.22.
Per scalam Iacob. Gen.28.
Per baculum Iacob. Gen.32.
Per lectum ipsius. Gen.48.
Per virgam Ioseph. Gen.41.
Per virgam Aaron. Num.11.
Per sanguinem in postibus. Exod.12.
Per palum serpentis Æneï. Num.21.
Per lignum dulcorans aquas. Exod.16.
Per vectem exploratorum. Num.13.
Per clypeum Iosuæ. Ioan.5.
Per funem coccineum. Ios.2.
Per palmam Deboræ. Iud.4.
Per torcular Gedeonis. Iud.6.
Per plaustrum Philistiim. 1.Reg.4.
Per baculum Dauid. 1.Reg.18.
Per ostium templi. 1.Reg.3.
Per lanceam Saul. 1.Reg.18.
Per virgam Assueri. Hest.15.
Per signum Dei viui. Apoc.1.

Galat.6. Ruffinus. lib.1.c.3.

FIguræ verò Crucis correspondet quadrangularis figura arcæ fœderis. Exod.25.
Quadrangularis figura tabernaculi. Exod.26.
Quadrangularis figura propitiatorij. Exod.25.
Quadrangularis figura altaris. Exod.21.
Quadrangularis figura veli.
Quatuor operimenta in ipso tabernaculo. Exod.26.
Quatuor animalia, quæ recidit Ezech. Exod.1.
Quatuor facies rotarum. Ezech.
Quatuor animalia circa sedem agni. Apoc.6.
Quatuor latera ciuitatis nouæ. Apoc.21.
Quatuor flumina paradisi. Gen.2.
Quatuor fontes sanguinis, qui de Christo emanauerunt. Ioan.19.

Qua

Quatuor cornua, quæ ventilauere Iudam, Israel, & Hierusalem. 3. Reg. 1.
Quatuor fabri cornuti, qui ventilauere Iudam. Zac. 1.
Quatuor equorum genera in quatuor quadrigis. Zac. 6.
Sabbatum, in quo requieuit Christus in sepulchro figuratur.
Per sabbatum requietionis. Leuit. 23.
Per quietationem diei septimæ. Gen. 2.
Per soporem irruentem in Abraham, accumbente sole. Gen. 3.
Per dormitionem Iacob super lapidem post solis occasum. Gen. 38.
Per dormitionem prophetæ in pace in idipsum. Psal.
Per requiem carnis in spe. Psal.
Per magnum illum diem Sabbati. Luc. 19.
Per sabbatum, & sabbato. Isa. vlt.
Per dormitionem leenæ, quam suscitare nullus audet. Gen. 49.
Per Beniamin quiescentem in thalamo. Deut. 38.
Per Beniamin adolescentulum in mentis excessu. Psal.

De resurrectione vide pag. 389. Marc. 16. 1. Cor. 5.

DOminica Resurrectionis figuratur.
Per phase Hierosolymis diuinis laudibus plenum. 4. Regum. 33.
Per phase generalissimum. 3. Esd. 1.
Per phase iucundissimum. 2. Paral. 26.
Per phase copiosissimum nullum habens defectum. 3. Esdr. 7.
Per diem celebritatis, & gaudij. Hest. vlt.
Per diem æternæ propitiationis. Leuit. 23.
Per diem celeberrimum, atque sanctissimum, Leuit. ibidem.
Per diem magni sabbati. Ioan. 19.
Per hortum liliorum. Cant. 6.
Per paradisum voluptatis. Gen. 2.

Vide de diuina prouidentia. 33. Ioan. 20. 1. Ioan. 5.

Domini

Ioan. 20. 1. *Ioan.* 5. DOminica prima post Pascha agitur de apparitionibus factis discipulis, quæ figurantur.

Per apparitionem factam Abrahæ. Gen. 18.

Per apparitionem factã filis Israël in solitudine Exo. 16.

Per apparitionem arcus in nubibus lucentibus. Gen. 9.

Per apparitionem factam Samuëli in ministerio. 1. Regum 3.

Per apparitionem factam Iacob. Gen. 35.

Per apparitionem factam Prophetis Domini. Nu. 12.

Per apparitionem factam Gedeoni. Iud. 6.

Per apparitionem factam Danieli. Dan. 9. & 12.

Per apparitionem factam Baptistæ in Baptismo Christi. Ioan. 1.

Per apparitionem factam Zach. prophetæ. Luc. 1.

Per apparitionem factam tribus discipulis in monte. Matth. 11.

Per apparitionem factam *Ioanni Euangelistæ. Apocal.* per totum.

Per apparitionem principis pastorum. 1. Petr. 5.

Per apparitionem factam Angelis. 1. Tim. 4.

Per apparitionem factam toti humano generi. Tit. 2.

Per apparitionem factam Ecclesiæ Catholicæ. Tit. 2.

Luc. 10. *Coloss.* 4.

DOminica secunda, post resurrectionem fit principaliter sermo de Christo pastore: & significatur.

Per pastorem ouium Abel. Gen. 4.

Per pastorem ouium Abraham. Gen. 14.

Per pastorem ouium Iacob. Gen. 29.

Per pastorem ouium Moysen. Fxod. 3.

Per pastorem ouium Dauid. 1. Reg. 15.

Per pastorem requirentem oues. Ezech. 34.

Per pastorem, & episcopum animarum nostrarum. 1. Petri 2.

Per potentissimum pastorem. ibid.

Vide de Probatione. 329. Matth. 7. Philip. 4.

DOminica tertia post Resurrectionem agitur de multifaria Christi visione, & figuratur.

Per

Per visionem magnam Moysi. Exod.3.
Per visionem æternam.Gen.22.
Per visionis mortem. Gen.22.
Per visionis scalam. Gen.28.
Per visionem Iacob. Gen. 31.
Per visionem Ioseph. Gen.Ibi.
Per visionem Gedeonis.Iud.6.
Per visionem Samuelis.1.Reg.3.
Per visiones Danielis.Dan.per totum.

Ioan.16. Iacq.1.

DOminica quarta post Resurrectionem agitur de tristitia Apostolorum:& figuratur.
Per tristitiam Iacob super Ioseph.Gen.31.
Per tristitiam Ioseph super mortem patris Gen.vlt.
Per tristitiam super mortem Aaron ponit.Nu.20.
Per tristitiam vniuersi populi super mortem Samuelis prophetæ. 1.Reg.25.
Per tristitiam Neemiæ supe captiuitate populiDei,per tristitiam amicorum. Iob.3.

De Gaudio vide 237. Ioan.16. Iacq. 1.

DOminica quinta fit mentio de voce iucunditatis, & de multiplici gaudio:quod figuratur.
Per gaudium Sarræ ad promissionem filij.Gen.18.
Per gaudium Iudæorum in Aman deiectione,& Hester exaltatione. Hest. per totum.
Per gaudium Hebræorum in victoria Holofernis. Iudi. per totum.
Per gaudium Israël in celebratione fest.2.Esdr.vlt.
Per gaudium filiæ Syon. Zac.9.
Per gaudium lætitiæ cordis.Cant.3.
Per gaudium Mariæ de conceptu Christi. Luc.1.
Per gaudium Ioan. baptistæ in vtero.Luc.3.
Per gaudium Pauli in Domino semper. Ephes.3.
Per gaudium Ioannis in profectu fratrum. 2.Ioan.1.

Quomodo ascendendo de virtute in virtutem,debemus seruire Deo.vide pag.345.

Marc. 16. & Iob 1.

Ascensio Domini fuit præfigurata.
Per fontem ascendentem de terra. Gen.1.
Per fontem in vitam æternam salientem. Ioan.4.
Per ascensum Iudæ ad prædam. Gen. penult.
Per ascensum Domini, & filiorum Israël de Ægypto. Exod.12.
Per ascensum Moysi ad contemplandam terram. Numer.21.
Per ascensum Aaron in montem. Num.20.
Per ascensum Iosuæ ad montana. Ios.2.
Per ascensum Elcanæ ad Dominum in Sylo. 1.Reg.1.
Per ascensum in ciuitatem ad Samuëlem. 1.Reg.9.
Per ascensum gloriæ Dei de medio ciuitatis. Ezech.11.
Per ascensum cœli cœlorum ad orientem. Psal.
Per ascensum super nubem. Isa.19.
Per ascensum in montem ad orientem. Matth.14.
Per ascensum Heliæ in montem ad contemplationem. 3.Reg.19.
Per ascensum in Hierusalem ad diem festum. Luc.2.
Per salientem in montib. & transilientem colles. Can.2.
Per ascensum purpureum. Cant.3.
Per nubem ascendentem de mari. 3.Reg.19.
Per ascensum in templum Domini. Act.3.
Per ascensum Ionathæ. 1.Reg.14.
Per ascesum Heliæ per turbinem in cœlum coram Heliseo, & filiis prophetarum. 4.Reg.14.

De repletione Spiritus sancti. vide pag. 339.

Ioan.5. & 16. 1.Petr.4.

Dominica infra Octauam Ascensionis. Paraclitus in Euangelio promissus figuratur.
Per spiritum sanctitatis. Sap.9.
Per spiritum bonitatis. Sap.11.
Per spiritum æquitatis. Isa.4.
Per spiritum humilitatis. Dan.3.
Per spiritum veritatis. Ioan.14.
Per spiritum probitatis. Act.1.
Per spiritum pietatis. Rom.8.
Per spiritum suauitatis. Gal.4.

Per

Per ſpiritum auctoritatis. Iud. 16.
Per ſpiritum reuerentiæ, & timoris. Iſa. 11.
Per ſpiritum ſaluationis. Iſ. 61.
Per ſpiritum diuinæ laudis, & honoris 1. Reg. 16.
Per ſpiritum ornantem cœlos. Iob. 26.
Per ſpiritum oris Dei. Pſal. 32.
Per ſpiritum principalem. Pſal. 50.
Per ſpiritum flantem. Pſal. 111.
Per ſpiritum bonum ductorem. Pſal. 142.
Per ſpiritum replentem orbem terrarum. Sap. 1.
Per ſpiritum de cœlis miſſum, qui docet ſenſum Domini. Sap. 9.
Per ſpiritum dulcem, vt mel. Eccle 24.
Per ſpiritum velut torrens inundans. Iſ. 30.
per ſpiritum ducentem: Iſ. 63.
Per ſpiritum leuãtem inter Cœlum, & terram Ezech. 8.

Dies Pentecoſtes eſt gratiæ, & beneficiorum Dei, quæ naturæ humanæ collata ſunt, commemoratiuè, & figuratur.

Per aquam in nubibus Iob. 31.
Per aquam in fontibus dulcibus. Iſ. 12.
Per aquam in fluminibus deſiderabilibus. Eccle. 24.
per aquam in mari magno Iob. 36.
per mel dulciſſimum. Prou. 25.
per lac ſuauiſſimum. 1. Cor. 3.
per oleum effuſum. Cant. 1.
Per vinum meraciſſimum. Deut. 32.
Per balſamum non mixtum Eccl. 24.
Per pluuiam voluntariam. Pſal.
Specialiter autem figuratur gratia.
Per ventum vehementem. Pſal.
per ventum ab Auſtro flantem. Cant. 5.
Per auram refrigerantem. Gen. 3.
Per ſibilum auræ tenuis. 3. Reg. 19.
Per ſpiraculum vitæ. Gen. 1.
per ramum virentis oliuæ. Gen. 8.
per tunicam Ioſeph. Gen. 21.
per pallium Heliæ. 4 Reg 2.
Per oleum viduæ. 3. Reg. 18.

Per veſtem nuptialem. Matt. 21.
Per flatum Chriſti. Ioan. 20.
Per columbam baptiſmi. Matt. 3.
Per linguas igneas. Act. 2.
Specialius autem ſignificatur per ſtellas, & luminaria. Gen. 1.
Per ignem, & fulgura. Exod. 13.
Per metalla, & lapides Iob. 28.
Per aromata, & opes. Eccl. 1.
Per ſemina, & fructus. Gen. 26.
Per membra, & officia. 1. Cor. 12.
Gratia verò ſeptiformis figuratur per ſeptem ſtellas pleyades. Iob. 28.
Per ſeptem horas diuinæ laudis. Pſal. 118.
Per ſeptem columnas diuinæ ſapientiæ. Prouerb. 9.
Per ſeptem mulieres, virum vanum apprehendentes. Iſa. 4.
Per ſeptem lotiones Naaman in Iordano. 4. Reg. 5.
Per ſeptem cœlos ſuper lapidem viuum. Zac. 4.
Per ſeprem panes euangelicos, Matt. 8.
Per ſeptem ſportas fragmentorum. ibi.
Per ſeptem eccleſias. Apoc. 2.

Ioan. 14.

SAncta Trinitas ſignificata eſt in ſcripturis per ſex appa ritiones, quarũ prima facta eſt Abrahæ, in ſpecie trium angelorum ſub forma, & effigie trium virorum. Gen. 14.
Secunda facta eſt Moyſi in rubo, cum dictum ei. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Exod. 3.
Tertia facta eſt Danieli, quando vidit antiquum dierũ, & fluuium igneum rapidè egredientem. Dan. 1.
Quarta facta eſt Baptiſtæ in baptiſmo Chriſti, quando vidit Spiritum ſanctum deſcendentem in columbæ ſpecie. Ioan. 1.
Quinta tribus diſcipulis in monte, quando transfigurato Chriſto, viderunt Spiritum in columbæ ſpecie. Matt. 12
Significatur quoque in ſacris per nouem repræſentationes, quarum prima facta eſt ante legẽ, in lege, & ſub lege.
Secunda facta eſt tribus legibus, naturæ, ſcripturæ, & gratiæ.

Tertia

Tertia facta est tribus scripturis, Mosaica, prophetica, & euangelica.

Quarta tribus intelligentiis, scilicet literali, allegorica, & morali: nam anacogica pars est allegoriæ.

Quinta in tribus dignitatibus, quibus debetur vnctio regali, prophetali, & sacerdotali.

Sexta in tribus distinctionibus in veteri testamento per numerum filiorum Israël, per numerum pugnantium, per numerum leuitarum.

Septima in distinctione triformi Tabernaculi, templi, & ciuitatis.

Octaua in trina mersione baptismi. & inuocatione Trinitatis.

Nona in tribus Statibus, laicalis, clericalis, & religionis. Huc pertinet, quod ait Dauid. Psal. *Benedicat nos Deus in Bened. nos Deus.* Isa. 6. *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus noster.* Paulus Col. 1. *In ipso per ipsum, & cum ipso.* Isa. 40. *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo.*

Vide de Benignitate Dei. 16 S. Luc. 16. 1. Iac. 4.

DOminica prima post Pentecost. agitur in euangelio de misericordia Dei, quæ significata est.

In miseratione Adæ, & Euæ, quos sustinuit, & non damnauit. Gen. 3.

In condescensione ad Cain desperatum. Gen. 4.

In miseratione contra eorum superbiam, qui turrim ædificarunt. Gen. 11.

In miseratione filiorum Israël, quos quadraginta annos sustinuit. Exod. Leuit. Nume.

In miseratione filiorum Israël ad præceptum Moysis. Exod. 12.

In dissimulatione malorum hominum quotidie. Sap. 11.

Significata quoque est misericordia, & firmata exemplo hominum per Sem, & Iapheti, qui patrem suum Noe pallio cooperuerunt. Gen. 9.

Per Abraham cum Loth, quando eum reduxit de medio regum, qui eum cœperant, & omnia sua. Gen. 14.

Per Melchisedech sacerdotem, qui Abrahæ egresso à cæde regum obtulit panem, & vinum. Ibid.

Per Abraham, quando tres viros suscepit hospitio. Gen.19.

Per Abraham quando orabat pro misericordia Sodomorum.Gen.18.

Per Loth,quando duos Angelos in specie humana vidit,& eos hospitio suscepit.Gen.19.

Per Laban introducentem Iacob fugientem à facie Esau in domum suam.Gen.29.

Per miserationem Ioseph super Beniamin, & super fratres suos.Gen 43.

Per pietatem Iacob super Ioseph filium suum.Gen.46.

Per pietatem obstretricum circa infantes filiorũ Israël. Exod.1.

Per pietatem filiæ Pharaonis circa Moysen infantem. Exod.2.

Per pietatem Elchanæ erga Annam.1.Reg.1.

Luc.14.1.Ioa.3.

DOminica secunda post pentecostem:agitur in Euangelio de cœna vitæ æternæ:& figurantur.

Per grande conuiuiũ in die ablactationis Isaac Gen.21.

Per liberale conuiuium cum tribus Angelis.Gen.1.

Per conuiuium Loth,cum duobus Angelis.Gen.19.

Per conuiuium vindemiæ defœcatæ.Is.15.

Per mensam regni Salomonis.3.Reg.4.

Per comestionem fructus agrorum super excelsam terram.Deut.32.

Per butirum de armento.ibidem.

Per refectionem copiosam populi Israël sub Heliseo. 4 Reg.8.

Per conuiuium Assueri *magnificum.Hest.1.*

Per conuiuium filiorum *Israël* sub Esdra.8.

Per conuiuium Raguelis in nuptiis Sarræ.Iob.6.

Per cœnam magnam Darij regis.3.Esd.3.

Per cœnam nuptiarum agni.Apoc.19.

Per mensam Christi in regno suo.Luc.12.

Per cœnam Christi,& Apostolorum.Ioan.15.

Per cœnam Christianorum.1.Cor.11.

Per pascua amœna super montes Israël.Eze.34.

Per nuptias filij regis.Matt.22.

De decimis, & causa institutionis earum. vide pag. 207. Luc. 6. Rom. 8.

DOminica tertia agitur de decima dragma, & significatur

Per decimam, quam Abraham dedit Melchisedech pro se, & semine suo. Gen. 13.

Per decimarum oblationem. Num. 18.

Per decimam decimæ à ministris debitam. Ibi.

Per diuersas decimas simile. Num. 28.

Per decimam diem mensis 7. Num. 19.

Per decimam datam ex omnibus possessis.

Per decimam omnium oblatam ministris templi, vt possent vacare legi. 2. Paral. 31.

Per decimam Leui. Heb. 7.

De Verbo Dei, vt sup. pag. 387. Luc. 5. 1. Pet. 3.

DOminica quarta agitur de turbis irruentibus in Iesum, vt audirent verbum Dei. quod verbum significatur

Per cœli firmamentum. Gen. 1.

Per candelabrum aureum. Exod. 25.

Per terram germinantem. Gen. 1.

Per labium æneum. Exod. 30.

Per aquam irrigantem. Eccl. 24.

Per gladium acutum. Heb. 4.

Per hortum voluptatis. Gen. 2.

Per gladium aureum. 2. Mach. vlt.

Per agrum fœcundum. Gen. 27.

Per gladium spiritus. Eph. vlt.

Per fluentem plenum. Cant. 5.

Per regnum Cœlorum. Matth. 13.

Per cellam vinariam. Cant. 2.

Per mensam propositionis. Exod. 25.

Per cellam pigmentariam. Cant. 4.

Per ignem ardentem. Ierem. 23.

Per faculam accensam. Eccl. 28.

Per fluuium paradisum irrigantem. Gen. 2.

Per fluuium procedentem. Apocal. vlt.
Per puteum viuentis,& videntis. Gen. 26.
Per fontem Iacob. Ioan. 4.
Per sciphum Ioseph. Gen. 43.
Per fiscellam Moysis. Exod. 2.
Per rationale Aaron. Exod. 28.
Per maxillam Asini. Iud. 3.
Per Turrim Dauid. Cant. 4.
Per fontem hortorum. Cant. ibid.
Per puteum aquarum viuentium. ibid.
Per lechitum olei mulieris viduæ. 3. Reg. 18.
Per sedem agni. Apocal.
Per mare vitreum. 3. Reg. 7.
Per librum signatum. Apocal. 7.
Per calculum seraphicum. Isa. 6.
Per fundam Dauid. 1. Reg. 17.
Per sagittas acutas. Psal.
Per sagenam Euangelicam. Matth. 13.
Per speculum clarum. Sap. 7.
Per tubas argenteas. Num. 10.
Per retia. Luc. 5.
Per aratrum. Luc. 9.

De iustitia, vide pag. 262. Matth. 5. Rom. 5.

DOminica quinta agitur in Euangelio de iustitia, quæ debet abundare, quæ significata est
Per iustitiam Abel approbatam. Gen. 4.
Per iustitiam Zabulon, & Isachar victimarum. Deut. penult.
Per iustitiam abundantem, in qua est virtus maxima. Prouerb. 4.
Per iustitiam à facie malitiæ liberantem. Isa. 57.
Per iustitiam vitam præben. Prou. 12.
Per iustitiam ad vitam proficientem. Prou. 10.
Per iustitiam in principio se accusantem. Prouerb. 18.
Per iustitiam de angustia eruentem. Prou. 11.
Per iustitiam radicaliter proficientem. Prou. 12.

Per

Per iustitiam ciuitatem exaltare facientem. Prouerbio 11.
Per iustitiam viam hominis dirigentem. ibid.

DOminica sexta agitur de miraculo panum, qui significantur. *Marc.8. Rom.6.*
Per septem primos dies. Gen.1.
Per septem agnas Abrahæ. Gen.31.
Per septem vacas pingues. Gen.40.
Per septem dies azimorum. Leuit.23.
Per septem septimanas annorum. 1. Iubileum. Leuit.25.
Per septem lucernas candelabri aurei. Exod.25.
Per septem solemnitates legales. Leuit.23.
Per septem columnas domus sapientiæ. Prou.9.

DOminica septima agitur in euangelio de falsis prophetis, qui significantur per serpentem, & draconem. *Matth.7. Rom.8.*
Per colubrum, & cerastem.
Per aprum, & lupum.
Per equum tabidum.
Per bouem cornupetam.
Per simiam, & murem.
Per hircum, & vulpem.
Per egenum, & nudatum.
Per cultorem idolorum.
Per lignum tortuosum.

DOminica octaua agitur in Euangelio de filiis huius sæculi, qui figurantur per filios Sodomorum. Genesi 14. *Luc.6. 1. Cor.10.*
Per filios Amalechitarum. Exod.17.
Per filios Chananeorum. Gen.10.
Per filios Amorreorum. ibid.
Per filios Belial. 2. Reg.25.
Per filios noctis. 1. Timoth.5.
Filij autem lucis significantur
Per filios Seth. Gen.6.
Per filios Noë. ibid.
Per filios Heber. Gen.10.

Per filios Abrahæ. Gen.21.
Per filios Isaac. Gen.25.
Per filios Iacob. ibid.
Per filios Ioseph. Gen.48.
Per filios Aaron. Leuit.8.
Per filios Iob. Iob 1.
Per filios Mathathæ. 1.Mach 2.
Per filios veritatis. 2.Ioan.1.
per filios claritatis. Ephes.5.
Per filios castitatis. Leuit.15.
Per filios pietatis. Rom.8.
Per filios sanctitatis. Deut.18.
Per filios pacis. Luc.10.
Per filios æterni patris. Matth.5.
Per filios Beniamin. Iud.20.
Per filios Gedeon. Iud.7.
Per filios Israël. Exod.14.
Per filios Pauli. Gal.4.
Vide de lachrymis. 267. *Luc.* 19. 1.*Cor.*12.

DOminica nona post Pentecost. fit principaliter mentio in Euangelio de fletu Domini super Hierusalem, qui significatus est
Per fletum Iacob super Ioseph perditum. Gen.37.
Per fletum eiusdem super Beniamin. Gen.43.
Per fletum Esau super collum Iacob. Gen.21.
Per fletum Ioseph super fratres. Gen.85.
Per fletum eiusdem super Beniamin vterinum. Gen.41.
Per fletum sacerdotis, & leuitarum inter vestibulum, & altare. Ioël.1.
Per fletum Annæ pro sterilitate. 1.*Reg.*1.

De Humilitate. vide 253. *Item de superbia.* 505.
*Luc.*18. 1.*Corinth.*15.

DOminica decima agitur in Euangelio de superbia pharisæi, & publicani humilitate.
Figuratur autem superbia Pharisæi in Lucifero. Isa.4.
In Adam protoplasto. Gen.3.
In Cain maligno. Gen.4.

In

In Lamech primo bigamo. Gen.4.
In Nembroth robusto venatore, cuius regni principiũ Babilon. Gen.10.
In Esau. Gen 27.
In Laban. Gen.31.
In Pharaone,& seruis eius. Exod. per totum.
In Nabuchodonosor,& filio eius. Dan.4.
In Antiocho. 2.Mach.5.
In Iasone. 2.Mach.5.
In Menelao. 2.Mach.4.
In Nichanore. 1.Mach.vltim.
In Asolone. 2.Reg.12.
In Adonia. 3.Reg.1.
In Roboam filio Salomonis. 3.Reg.11.
Humilitas verò semper fuit remunerata ab initio mundi, vt patet
In Abel deuoto,& humili. Gen.4.
In Abraham obediente,& pacifico. Gen.12.
In Iacob simplice. Gen.25.
In Ioseph venundato. Gen.39.
In Samuele. 1.Reg. per totum.
In Mardocheo,& Hester. per totum.
In Tobia,& filiis eius. Tobiæ per totum.

DOminica vndecima post Pentecost. agitur de digitis Saluatoris immissis in auriculam surdi. est autem digitus significatus in scriptutis *Marc.7. 2.Cor.3.*

Per digitum Dei obuiantem Magis Pharaonis. Exode 8.

Per digitum Dei viui, quo scriptæ sunt tabulæ. Exod.30.

Per digitum pontificis tangentem sanguine cornu altaris. Leuit.9.

Per tres digitos, quibus appenditur moles terræ. Isa.40.

Per digitos plenos myrrha probatissima. Can.5.

Per digitos apprehendentes fusum. Prouerbiorum vltimo.

Per digitum scribentem in terra. Ioan.8.

Luc. 10. *Esa.* 55. DOminica duodecima agitur de descensu hominis ab Hierusalem in Iericó.qui descensus significatur.

Per descensum à dignitate excellentiæ in infirmitatem. Deut.28.

Per descensum à charitate sapientiæ in stoliditatem. Isa.5.

Per descensum à felicitate gloriæ in profundum Gehennæ. Ezech.32.

Lepræ nomine intelligitur peccatum. pag.494. Luc.17. Gal.5.

DOminica tertiadecima post pentecostem agitur de diuersitate leparum,& figuratur

Per lepram Mariæ sororis Moysis. Num.12.

Per lepram Naamam. 3.Reg.5.

Per lepram Giezi. 4.Reg.5.

Per lepram Ozie. 2.Paralip.26.

Per lepram in cute. Leuit.13.

Per lepram in domo. ibid.

Per lepram in caluitio. ibid.

De quærendo Deo. vide pag.33. Matth.6. Gal.5.& 6.

DOminica quartadecima agitur de regno Dei quærendo,& iustitia eius,& significatur

Per regnum Melchisedech sacerdotis Dei altissimi. Genes.14.

Per regnum Salomonis,viuente Dauid. 3.Reg.2.

Per regnum Abiæ. 3.Reg.3.

Per regnum Ionathan. 2.Paralip.27.

Per regnum Iosiæ. 4.Reg.22.

Per regnum Assueri. Hest.1.

Luc. 7. *Ephes.* 3. DOminica decimaquinta agitur de propheta magno, mundo dato, qui significatur

Per Abraham prophetam virum orationis. Gen.20.

Per Moysen, post quem non surrexit vltra propheta in Israël. Deut.vlt.

Per

Per prophetam in quo eduxit Deus Israël de Egypto. Os.11.
Per prophetam renouantem imperium. Eccl.46.
Per prophetam consecratum de ventre matris. Ecclesiast.49.

De amore vide 143. *Luc.*18. *Ephes.*4.

DOminica decimasexta igitur in Euangelio de amico ascendente superius, qui figuratur
Per amicum fidelem, cui nulla est comparatio. Eccl.6.
Per amicum fidelem, medicamentum vitæ. ibid.
Per amicum fidelem protectorem vitæ. ibid.
Per amicum omni tempore diligentem. Prou.17.
Per amicum vnanimem in proposito. Eccl.6.
Per amicum fidelem in Commisso. ibid.
Per amicum amabilem. Prou.19.
Per amicum antiquum, cui nouus non erit similis. Eccles. 9.
Per amicum, qui per pecuniam non est perdendus. Eccl. 7.
Per amicum venientem de via, cui dandi sunt panes, quos habet necessarios. Luc.11.
Per amicum Dauid, & Ionathæ. 1.Reg.

*De amore Dei. pag.*143. *Matt.*22. 1.*Cor.*1.

DOminica decimaseptima agitur de dilectione Dei ex toto corde, & figuratur per dilectionem cum fortitudine.
Per dilectionem cum odio culpæ.
Per dilectionem cum continuatione.
Per dilectionem cum visione. Sap.6.
Per dilectionem cum timore. Eccl.25.
Per dilectionem cum remuneratione. Iac.1.
Per dilectionem cum requisitione. Can.1.
Per dilectionem cum operatione. Ioan.19.
Per dilectionem cum dilectione. Prou.5.

De Ecclesia. vide 113. *Matth.*9. *Ephes.*4.

DOminica decimaoctaua post Pentecostem agitur in Euangelio de Christo ascendente in nauiculam, quæ figuratur

Per

Per ciuitatem regiam, & sanctam, siue diuinam. Tob. 13.
Per ciuitatem opulentam. Isa. 33.
Per ciuitatem nouam. Apoc. 21.
Per ciuitatem amœnam. Apoc. 22.
Per ciuitatem pulchram. Apoc. ibid.
Per ciuitatem famosam. Iud. 1.
Per ciuitatem solennitatis humanæ. Isa. 33.
Per ciuitatem cuius lucerna est agnus. Apoc.

De Ornatu, vide 295. Matth. 22. Ephes. 5.

DOminica decimanona in Euangelio agitur de veste nuptiali, quæ figuratur per tunicam, qua filij dilecti vestiuntur à patre. Gen. 37.

Per vestem ponderis, quam portabat Aaron. Exod. 29.
Per vestem, quam fecit Moyses Aaron fratri suo. ibid.
Per vestem inconsutilem. Ioan. 19.

DOminica vigesima agitur de regulo superiori, & de infirmitate figurata per infirmitatem ægrotantis filij viduæ. 3. Reg. 18.

Per infirmitatem filij Sunamitis. 4. Reg. 4.
Per infirmitatem filij Ieroboam, cum esset puer. 3. Reg. 14.
Per infirmitatem regis Ochoziæ regis Samariæ cadentis per cancellos cœnaculi. 4. Reg. 1.
Per infirmitatem Ioram regis Iudæ ægrotantis pessimo langore. 2 Part. 12.
Per infirmitatem Oziæ regis Iudæ, cui *mox orta est* lepra in fronte. 2. Paralip. 26.
Per infirmitatem Naaman. 4. Reg. 5.
Per infirmitatem Giezi pueri Helisæi. ibid.
Per infirmitatem Lazaris fratris Mariæ, & Marthæ. Ioan. 11.

De patientia. vide 303. Matth. 22. Ephes. 5.

DOminica vigesimaprima agitur de patientia, quam circa se debet habere debitor à debitore. & figuratur in

Abraham circa pastores Loth. Gen. 13.
In Dauid, qui patienter sustinebat maledictionem. 2. Reg. 16.
In Isaac, qui non modò fratrem suum Ismaël sustinebat, sed amabat. Gen. 25.
In Iacob, qui non solùm Esau persequentem, sed & Laban decipientem portabat. Gen. 31.
In Ioseph, qui venditionem, æmulationem, & incarcerationem fratrum patienter sustinuit Gen. 37.
In Samuële, qui annos quadraginta rexit filios Israel, & mores eorum portauit. 2. Reg per totum.
In Elia, qui persecutionem iniquam Achab, & Iezabelis potauit. 3. Reg. 18.
In Heliseo, qui persecutionem Benadab regis Syriæ, & Ioram Regis Israel volentium eum occidere & insidiantium, iugiter sustinuit. 4. Reg. 6.
In sanctis Machabeis, qui tam iniuste occidebantur. Mach. per totum.

Vide de vocatione. 400. Ioan. 4. Ephes. 6.

DOminica vigesimasecunda post Pentecostem agitur de via Dei, quam Christus magister noster docuit in veritate, & significatur.
Per viam Aquilæ in cœlo. Prou. pen.
Per viam colubri super petram. Prou. pen.
Per viam nauis in medio maris, Prou. pen.
Per viam viri in adolescentula. Prou. pen.
Per viam veritatis, & lucis, Iob. 38.
Per viam pacis. Luc. 1.
Per viam rectitudinis. Psal.
Per viam auctoritatis. Matth. 7.
Per viam bonitatis Ierem. 6.
Per viam æquitatis. Prou. 8.
Per viam sanctitatis. 1. Reg. 21.
Per viam pietatis. Exod. 7.
Per viam patientiæ irrefragabilis. Sap. 13.

Matth. 9. Cor. 1.

DOminica vigesimatertia post Pentecost. agitur de benedicta manu Christi; quam princeps super filiam suam petebat imponi, quæ significata est.

Per

Per manum confortantem. Exod. 3.
Per manum omnem langorem curantem. Luc 8.
Per manum benedicentem. Luc. vlt. & Matth. 19.
Per manum promouentem, siue exaltantem. Luc. 1.
Per manum eloquentiam conferentem. Ioan. 1.
Per manum iudicantem. Act. 13.
Per manum omnia in cœlo, & in terra disponentem. Ioan. 13.
Per manum omnia ordinantem. Isa. 40.
Per manum omnia dirigentem. Iob. 27.
Per manum iustos defendentem. Psal.

Matth. 18. Philip. 2.

DOminica vigesimaquarta post Pentecost. agitur in Euangelio de apparitione signi in Cœlo, quòd significatur.
Per signum sanguinis super postes filiorum Israel. Exo. duodecimo.
Per signum mandati dilectionis Dei. Deut. 5.
Per signum fœderis inter Deum, & terram. Gen. 9.
Per signum Thau liberans à morte. Ezec. 9.
Per signum amoris super cor sponsi. Cant. vlt.
Per signum in dextera manu Israel. Eccl. 49.
Per signum ab Isaia Achaz datum. Isa. 7.
Per signum populorum. Isa. 11.
Per signum Iudæis datum. Matth. 12.
Per signum Dei viui. Apoc. 7.
Per signum in Cœlo ostensum. Apocalip. decimosecundo.

Matth. 4.

BEatus Andreas significatus *est per viros virtutis.*
Per Enos deuotissimum, qui primò cœpit inuocare nomen Domini. Gen. 4.
Per Enoch religiosissimum, qui placuit Deo. Gen. 5.
Per Iudam famosissimum. Gen. 49.
Per Calep constantissimum. Num. 11.
Per Ionatham amabilem 2. Reg. 1.
Per Sadech Deo acceptissimum. 3. Reg. 1.
Rursus comparatus est B. Andreas rori albescenti niueo colore, propter castitatis amorem. Cant. 2.

Rosæ

Rosæ pulchertimæ, propter passionis ardorem. Eccl. 25.
Lilio redolenti, propter sanctitatis splendorem. Eccl. 39.
Rosæ mundissimæ, propter munditiæ pudorem. Can. 6.

Luc. 11.

BEatus Nicolaus significatus est in scriptura per viros probitatis.
Per Loth purissimum. Gen. 19.
Per Ioseph castissimum. Gen. 40.
Per Asser dilectissimum. Gen. 49.
Per Naason efficacissimum. Num. 7.
Per Salatiel in sanctitate præclarissimum. 1. Esd. 2.
Item comparatus est oliuæ pacem insinuanti. Gen. 9.
Oliuæ adornanti. Eccl. 24.
Oliuæ pingui. Rom. 11.
Oliuæ exuberanti. Psal. 50.
Oliuæ florenti. Iob. 16.
Oliuæ illuminanti. Exod. 27.

Matth. 5.

BEata Lucia virgo, & martyr significata est in scripturis per sanctas mulieres.
Per Rebech honestissimum. Gen. 24.
Per Deboram cordatissimam. Iud. 5.
Per Ruth virtuosissimam. Ruth. vlt.
Per Annam deuotissimam. 1. Reg. 1.
Per Abegail sapientissimam. 1. Reg. 25.
Per Susannam innocentissimam. Dan. 13.
Per Hester gratiosissimam. Hester per totum.

Ioan. 20.

BEatus Thomas Apostolus significatus est per viros strenuos.
Per Noë ante Arcæ ædificationem. Gen. 6.
Per Aioth sagacem, vtraque manu pro dextera vtentem. Iud. 3.
Per Banniam, qui interfecit duos leones. 3. Reg. 23.
Per Neemiam templi ædificatorem. Neem. per tot.

Matth. 5.

BEata Agnes virgo, & martyr significatur in scripturis. Per duodecim lapides pretiosos, qui sunt fundamenta cœlestis ciuitatis. Apoc. 21.

Per

Per Rebeccam puellam virginem pulcherrimã. Ge. 24.
Per Rachel decoram facie, & venustam aspectu. Ge. 29.
Per Abisach adolescentulam regalem. 3. Reg. 1.
Per Hester formosam incredibili pulchritudine. Hester. 2.
Per vxorem sponsi. Cant. 5.
Per florem candidissimum. Cant. 2.
Per florem electissimum. Hester. 4.
Per florem saluberrimum. Cant. 2.

Act. 9.

BEatus Paulus præcipuus Cœli miles figuratur in scripturis.
Per Ioseph castissimum. Gen. 43.
Per Nephtalim facundissimum Exod. 18.
Per Finees Zelantissimum, atque ardentissimum. Numer. 25.
Per Aioth sagacissimum. Iud. 3.
Item per gladium bis acutum. Apoc. 2.
Per sciphum Ioseph. Gen 43.
Per aurum pretiosum. Apoc. 2.
Per cœlum sydereum. Eccl. 43.
Per ignem cœlestem, & aquam de petra. Nu. 20.
Per pluuiam de Cœlo. Eccl. 25.

Matth. 5.

BEata Agata figuratur in scriptura.
Per lilium candidissimum. Can. 6.
Per lilium intentissimum. Ose. vlt.
Per lilium florentissimum. Isa. 35.
Potest quoque comparari Bersabeæ prouidissimæ. 3. Reg. 1.
Filiæ Pharaonis liberalissimæ. Exod. 2.
Mulieri Sunamitæ deuotissimæ. 4 Reg. 4.
Annæ prophetissæ. Luc. 2.

1. Petr. 1.

CAthedra Beati Petri figuratur.
Per promotionem Ioseph super vniuersam terram Ægypti. Gen. 41.
Per vnctionem Aaron in summum pontificem. Exod. vigesimonono.

Per

Per constitutionem Danielis super omnia opera regis Babyloniæ. Dan. 4.
Per vnctionem Salomonis in Gyon. 3. Reg. 3.
Per constitutionem Ieremiæ super gentes, & super regna. Ierem. 1.
Per sessionem Dauid in Cathedra sapientissimi inter tres. 2. Reg. 24.
Per Ezechiel speculatorem datum domni Israël. Ezec. 3.
Per Salomonem ædificantem templum. 3. Re. 6.
Per Zorobabel ædificatorem domus Domini. 4. Esd. 6.
Per Ioab principem exercitus Dauid. 1. Par. 27.
Huc quoque spectant auctoritates sacræ. *In cathedra seniorum laudent eum.* Psal.
In plateis parabant cathedram mihi. Iob. 29.
Tibi dabo claues regni cœlorum. Matt. 16.
Ipsum elegit ab omni viuenti. Eccl. 45.
Thronus eius sicut sol in conspectu meo. Psal.
Habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit. Apoc. 13.

BEatus Matthias Apostolus significatus est in scripturis. Act. 1.
Per Aaron morigeratissimum. Exod. 4.
Per Elyachin honestum. Iud. 4.
Per Ionatham patruum Dauid. 1. Para. 27.
Per Ioachin pontificem. Iud. penul.
Sanctus Gregorius doctor significatur
Per solem radiantem. Ecc. 42.
Per solem inflammantem. Ecc. 43.
Per solem recreantem. Ecc. 11.
Per solem in altissimis orientem. Ecc. 26.
Per solem manentem Ecc. 27.
Per solem descendentem. Is. 38.
Per solem mane rutilantem. Iud. 5.

BEatus Benedictus significatus est in scripturis Matt. 13.
Per Benedictum Domini. *Ingredere Benedicte Domini.* Gen. 24.
Per benedictum à Domino. Gen. 14.

Per benedictum in nomine Domini. Psal.
Per benedictum hominem. Ierem. 13.
Per benedictum filium. Iud. 12.
Per benedictum in filiis Deut. 33.
Per benedictum in ciuitate. Deu. 28.
Per benedictum in agro. Deut. 28.
Per benedictum egredientem. Deut. 28.
Per eum qui se elongat fugiendo. *Ecce elongaui fugiens.* Psal.

Luc. 1. BEata Virgo in sua Annunciatione significata est
Per nubem paruam. 3. Reg. 19.
Per nubem roridam. Is. 18.
Per nubem candidam. Apoc. 14.
Per nubem lucidam. Matt. 27.
Per nubem leuissimam. Is. 19.
Per nubem pluuiosam. Ecc. 25.
Per nubem delectam. Exod. vlt.
Per nubem aromaticam. Ezech. 8.
Per nubem clarissimam. Luc. 21.
Per nubem magnam. Ezech. 1.

Matth. 13. BEatus Ambrosius significatus est in scripturis.
Per aurum mundissimum. Ex. 25.
Per aurum electissimum. Gen. 2.
Per aurum desideratum. Psal.
Per aurum purgatissimum. Iob. 23.
Per aurum probatissimum. Apoc. 3.
Per aurum dulcissimum. Iob. 28.
Per aurum ponderosum. Ecc. 50.

Ioan. 15. BEati Apostoli Iacobus, & Philippus significantur in scripturis.
Per duas oliuas stantes ante Dominum. Apo. 11.
Per duo candelabra lucentia in conspectu Domini. Apoc. 11.
Per duos filios Ioseph. Gen. 48.
Per Zabulon, & Neptalim morti se vltro offerentes. Iud. 5.

Per duos

Per duos duces offerentes plaustrum. Num. 7.
Per duas oliuas ad dexteram tabernaculi. *Ruffinus. lib. 1. c. 7.*

Inuentio Sanctæ Crucis significatur in scripturis.

Per inuentionem thesauri absconditi in agro. Matt. 13.
Per inuentionem margaritæ pretiosæ. Mat. 13.
Per inuentionem vitæ. Prouerb. 8.
Per inuentionem sapientiæ. Prouerb. 3.
Per inuentionem auri optimi. Gen. 2.
Per inuentionem aquæ in solicitudine. Gen. 36.
Per inuentionem amici fidelis. Ecc. 6.
Per inuentionem gratiæ diuinæ. Ezec. 33.
Per inuentionem paradisi. Prouer. 11.
Per inuentionem amoris animæ propriæ. Cant. 3.

Festum Angelorum significatur.

Per stellas firmamenti ornamenta mundi. Ecc. 43.
Per stellas manentes in ordine suo, & cursu. Iud. 5.
Per stellas æternitatis corpora perpetua. Dan. 12.
Per stellas altissimas. Gen. 3.
Per stellas fulgentissimas. Barach.
Per stellas fulgentissimas. Eccl. 43.
Per stellas officiosissimas. Ier. 3.

BEatus Antonius Paduanus figuratur. *Matth. 13.*
Per Ioab principem militiæ. 2. Reg.
Per Ionatham filium Saul, amicum Dauid. 1. Reg. 18.
Per Ioas, qui præerat super apothecas olei. 1. Para. 27.
Per filium sapientem lætificantem patrem. Prouer. 10.
Per filium Elcanæ Dei ministrum. 1. Reg. 2.
Per filium similem patri. Ecc. 31.

BEatus Ioannes Baptista figuratus est in sua natiuitate *Luc. 1.*
Per lucem manè rutilantis auroræ. 2. Reg. 23.
Per lapidem Zaphirum. Exod. 34.
Per stellam mane splendentem. Ecc. 1.
Per stellam ardentem. Ecc. 38.
Per lunam plenam de nocte lucentem. Ecc. 50.

Per nubem rore plenam. Ecc. 25.
Per luciferum apparentem. Iob. 34.
Per fontem irrigantem. Gen. 2.
Per præconem annunciantem. Iere. 1.
Per cursorem præuenientem. Matt. 3.
Per lucernam lucentem, & ardentem. Ioan. 5.
Per ignem in altari semper ardentem, Leuit. 5.
Beata Maria Magdalena figurata est.
Per Mariam sororem Moysi leprosam. Ex. 25.
Per Raab meretricem, quæ saluauit exploratores. Ioseph. 2.
Per Deboram prophetissam. Iud. 6.
Per mulierem Sunamitem. 4. Reg 4.

Verùm fuit accensa flamma interni doloris, æterni amoris, diuini sermonis, compassiui mœroris, religiosi rigoris, æterni splendoris.

Matt. 20.

BEatus Iacobus maior significatus est
Per virum, cuius species q. gysoliti. Ezech. 1.
Per virum vestitum lineis habentem attramentum. Ezech. 9.
Per iuuenem sagittarium. Mich. 6.
Per piscatorem missum. Ierem. 16.
Per venatorem datum. Ierem. 16.
Per legatum Domini. Ab. 1.
Per militem bonum. 2. Tim. 2.
Per Ionatham armigerum. 2. Reg. 14.

Vincula B. Petri significantur per vincula brachiorum, & manuum Ioseph. Gen. 49.
Per vincula Samsonis rupta. Iud. 3.
Per vincula Ieremiæ. Ierem. 37.
Per vincula prophetæ disrupta. Psal.
Per vincula Ioachin regis. Iud. 2. Para. vlt.
Per vincula Manassæ regis Iudæ. 2. Paral. 33.

2. Cor. 9. Ioan. 12.

BEatus Laurentius martyr significatur in scripturis
Per Sadoch iuuenem egregiæ indolis. 1. Par. 12.
Per Samuelem vestitum ephot linea. 1. Reg. 3.
Per Ioseph iuuenem, facie decorum. Gen. pen.

Per Dauid adolescentem ruffum,& robustum.1.Reg.17.
Per Salomonem puerum ingeniosum, sortitũ animam bonam.Sap.8.
Per Ionatham virum prudentem,& iratum. 1.Paral.27.
Per virum inuentum sine macula. Eccl.31.
Per virum in sapientia commorantem. Eccl.14.
Per virum sapientem,& fortem.Prouerb.24.

BEatæ Claræ claritas significatur *Matt.5.*
Per claritatem solis. 1.Cor.15.
Per claritatem lunæ. 1.Cor.15.
Per claritatem stellarum. 1.Cor.15.
Per claritatem lucis meridianæ.Isa.18.
Per claritatem sapientiæ. Sap.6.
Per claritatem sanctimoniæ.Sap.4.
Per claritatem ciuitatis nouæ.Apoc.21.
Per claritatem Ierusalem. Tob.13.
Per claritatem famæ vniuersæ terræ. Iud.vlt.
Per claritatem ab Omnipotente emanantem.Sap.7.
Per claritatem gratiæ ad vniuersam gentem.Sap.8.
Per claritatem in ciuitate. 1.Mach.2.
Per claritatem Dei. Apocal.21.

Assumptio B. Mariæ virginis est significata.Luc.10.

PEr arcam eleuatam in sublime à terra. Gen.8.
Per nubem eleuatam in tabernaculo fœderis.Num.16.
Per aquilam volantem ad escam.Iob 9.
Per aquilam magnatum alarum. Ezech.17.
Per aquilam, cuius viam nescit homo euntem in Cœlum.Prouerb.vlt.
Per lucem auroræ manè absque nubibus rutilantem. 3.Reg.23.
Per auroram pulchrè incedentem. Cant.3.
Per gloriam Dei ascendentem de medio ciuitatis. Ezechiel.11.
Per cedrum exaltatam in Libano. Eccl.24.
Per oliuam speciosam in campis.Eccl.24.

Per myrrham electam suauitatẽ odoris dãtem. Eccl. 24.

Matth. 13. BEatus Bernardus Abbas significatus est in scripturis
Quasi oliua pullulans. Eccl. 50.
Quasi cupressus in altitudine se extollens. Eccl. 50.
Quasi flos campi. Cant. 2.
Quasi lilium conuallium. Can. 2.
Quasi lilia in transitu aquæ. Cant. 2.
Quasi flos rosarum. Eccl. 50.
Quasi thus ardens. Eccl. 50.
Quasi vas auri solidum. Eccl. 16.

Matt. 13. BEatus Augustinus significatus est
Per fluuium mundissimum. Gen. 2.
Per fluuium splendidissimum. Apoc. vlt.
Per fluuium parentem. Isa. 33.
Per fluuium copiosissimum. Eccl. 24.
Per fluuium igneum. Dan. 7.
Per illum, qui traxit sapientiam de occultis. Iob 28.

Isid. lib. de patrib. no. test. BEatus Matthæus Apostolus, & Euangelista significatur in scripturis
Per hominem inuenientem sapientiam. Prou. 3.
Per hominem sapientem vrbem liberantem. Eccl. 10.
Per hominem negociatorem bonas margaritas quærentem. Matth. 13.
Per hominem thesaurum absconditum in agro replentem. Matth. 13.
Per hominem peritum multos erudientem. Eccl 37.
Per hominem erudientem, sapientem. Eccl. 33.
Per hominem eruditum, & disciplinarum custodientem se. Eccl. 48.

Matth. 18. BEatus Michaël figuratur
Per Angelum confortantem Heliam, atque cibantem. 3. Reg. 19.
Per Angelum vnum de principibus. Dan. 9.
Per Angelum præpositum Ecclesiæ fidelium. Dan. 11.

Per Angelum ſtantem ſuper Ieruſalem, euaginato gladio. 2. Reg. vlt.
Per Angelum ante faciem Eccleſiæ miſſum. Mal. 30.
Per Angelum tuba canentem. Apocal. 8.
Per Angelum ſtantem ante altare aureum, cum thuribulo aureo. Apoc. 8.
Per Angelum oſtẽdentem fluuium aquæ viuæ. Apoc. 22.
Per Angelum ligantem draconem. Apoc. 20.
Per Angelum exeuntem de altari, habentem poteſtatem ſuper ignem, & aquam. Apoc. 18.
Per Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui. Apocal. 2.

BEatus Hieronymus ſignificatus eſt *Matth. 13.*
Per ferrum ferro exacutum. Prou. 27.
Per lapidem adamantinum. Ezech. 3.
Per ſilicem fortiſſimum. Ezech. 31.
Per aurum, & multitudinem gemmarum. Prou. 19.
Per linguam eruditam. Iſa. 50.
Per linguam expeditam. Pſal.
Per linguam ornatiſſimam. Prou. 3.

BEatus Franciſcus ſignificatus eſt *Matth. 13.*
Per Enoch ambulantem coram Deo. Gen. 5.
Per Noë perfectum, & iuſtum. Eccl. 44.
Per Abraham patrem multarum gentium. Gen.
Per Iacob, cui diuiſit Deus partem in Tribub. duodecim. Ibid.
Per dilectum Deo, & hominibus Moyſen. Eccl. 42.
Per Salomonem pacificum. Eccl. 42.
Per Iſaiam ſpiritu magno radiantem. Iſa. per totum.

BEatus Lucas Euangeliſta fuit ſignificatus *Luc. 10.*
Per medicum ab altiſſimo datum. Eccl. 38.
Per medicum, cuius opera ſunt neceſſaria. Eccl. 38.
Per medicum curantem Babyloniam. Ierem. 51.
Per medicum curantem Tobiam. Tob. 12.
Per medicum ſanantem Ezechiam. Iſa. 38.
Per medicum ſanantem aquas mortiferas. 4. Reg. 2.

Simon & Iudas significati sunt in scripturis. Ioan.15.

Per bellatores scuta portantes.1.Paral.5.
Per fortissimos,& egregios pugnatores. 1.Paral.5.
Per euntes ad pugnam.1.Paral.5.
Per lapides grandes in fundamento templi.1.Paral.5.

Omnes Sancti,quos simul celebrat S. mater Ecclesia, significantur

Per omnes electos Dei. Tob.13.
Per homines, quorum generatio non derelinquetur. Psal.
Per homines quos dedit Dominus Christo. Isa.8.
Per pauperes fiducialiter,quiescentes. Ezech.38.
Per fundamenta æterna super petram solidam. Eccl.26.

1.*Tim.6.* *Matth.13.* BEatus Martinus Dei episcopus electus. significatur nobis
Per iuuenem sortitum animam bonam.Sap.8.
Per iuuenem bonæ indolis. 1.Paral.12.
Per iuuenem acutum in iudicio. Sap.7.
Per filium sapientem congregantem in messe. Prouerbio 10.
Per virum,cui est sapientia.Prouerb.10.

Matth.5. BEata Catherina significatur in scripturis
Per filiam regis speciosissimam elegantis formæ 2. Reg.13.
Per formosam valde incredibili pulchritudine. *Hest.2.*
Per adolescentulam speciosam *in omnibus finibus* Israël.3.Reg.1.
Per mulierem speciosam, & prudentissimam valde. 1. Reg.25.

Ioan.15. *Duodecim Apostoli figurati sunt in scripturis per duodecim duces.*

Per duodecim filios Iacob.Gen.penult.
Per 12. fontes aquarum. Exod.25.

Per

Per 12. lapides pretiosus in rationali Aaron. Exod. 28.
Per 12. principes multitudinis. Num. 3.
Per 12. viros tollentes de medio Iordanis lapides. Ios. 4.
Per 12. boues, super quos stabat mare. 3. Reg. 7.
Per 12. fundamenta muri ciuitatis nouæ. Apoc. 21.
Per 12. portas ciuitatis Ierusalem. Apoc. 21.
Per 12. acceptabula argentea. Num. 7.
Per 12. panes. Leu. 28.

Martyres figurati in veteri testamento. Ioan. 12.

Per Zachariam, qui propter veritatem lapidatus est.
Per Isaiam propter iustitiam.
Per Ieremiam propter Zelum Dei.
Per Danielem innocentem immissum in lacu leonum.
Per virum sanctum Eleazarum.
Per quinque filios Mathathiæ.
Per Iosue, & filios Israël.
Per exploratores.
Per illos, qui iuerunt ad hauriendam aquam de cisterna Bethleem.

Confessores significantur in scripturis. Matth. 13.

Per filios prophetarum in casulis habitantes secus fluenta Iordanis. 4. Reg. 7.
Per Heliam, & Heliseum degentes in speluncis. 3. Reg. 9.
Per Moysen orantem in monte. Exod. 16.
Per Abraham, & Isaac. Iud. 8.
Per omnes, qui placuere Deo, angustias passos. Iud. 8.

Domus ecclesiæ, quæ Deo dicatur, in scripturis figuratur. Luc. 19.

Per domum maiestatis diuinæ. Isa. 61.
Per domum Domini præparatam in vertice montium. Isa. 2.
Per domum Dei Iacob. Isa. 2.
Per domum habitationis gloriæ Dei. Psalm.
Per domum Domini ædificatam. 3. Reg. 6.
Per domum à sapientia sibi ædificatam. Prou. 9.
Per domum ædificatam supra firmam petram. Matth. 8.
Per domum ædificatam ex lapidibus dolatis, & septis. 3. Reg. 6.

Per domum, in qua non est auditus sonus cum ædificaretur. 3.Reg.6.
Per domum Dei, in qua intrat iustus cum reuerentia, & adorat cum timore. Psalm.
Per domum Iusti, quæ est plurima fortitudo. Prou.10.
Per domum Dei in Sylo. 1.Reg.1.
Per domum Dei magnam, in qua auditus est sonus suauitate plenus. Eccl.50.
Per domum Dei suffultam, & corroboratam. Eccl.50.
Per domum Dei, in qua ambulatur vnanimiter. Psalm.
Per domum Dei, quam lætanter intrare debemus. Psalm.
Per domum, quæ non habet amaritudinem, sed lætitiam, & gaudium. Sap.8.

Pontifex autem cum suis Card. figuratur

Per Aaron, & filios singulariter electos à Domino. Leuit.8.
Per Moysen, & septuaginta seniores. Num.11.
Per Salomonem, & 12. præfectos. 2.Reg.3.
Per Iacob vigilem, & ouium custodem. Gen.34.
Per Ioseph prouidentem prouinciæ. Gen.41.
Per moysen deducentem populum. Exod.16.
Per Samuel iudicantem populum. 1.Reg.7.
Per Dauid gubernantem regnum. 2.Reg.
Per Salomonem ædificantem templum. 3.Reg.5.
Per Heliam persequentem malos. 3.Reg.18.
Per Heliseum vngentem reges. 4.Reg.
Per pastorem ouilis Domini. Ezech.34.
Per Caput Ecclesiæ. Ierem.1.

Prædicator verbi Dei significatur

Per Lucem. 2.Reg.23.
Per firmamentum Gen.1.
Per stellam. Eccl.50.
Per Solem. Eccl.50.
Per lucernam ardentem. Ioan.1.
Per faculam ignis. Eccl.48.
Per nubem pluuiæ. Eccl.35.
Per maleatorem. Genes.4.

Per ſpeculatorem. Ezech.3.
Per fontem hortorum. Cant.4.
Per præconem. Dan.3.
Per vocem. Ioan.3.
Per ſal terræ. Matth.5.
Per lucem mundi. Matth.5.
Per equum. Iob.39.
Per labia. Cant.5.
Per ſagittarium. Gen.27.

Nota, quòd ſtatus contemplationis, & actionis ſignificantur

Per cœlum, & terram. Gen.1.
Per aquas ſuper cœlos. Gen.1.
Per luminare maius, & minus. Gen.1.
Per ſolem, & lunam. Ierem.1.
Per Rachel, & Lyam. Gen.30.
Per aſcendentes, & deſcendentes in ſcala Iacob. Geneſ.28.
Per Ioſeph, & Beniamin. Gen.42.
Per Moyſen, & Aaron. Gen.24.
Per irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Iud.1.
Per Mariam, & Martam. Luc.10.
Per Regnum, & Sacerdotium. 1.Pet.1.

Feſta tranſlationum omnium corporum in Eccleſia figuratur

Per tranſlationem Enoch de hac terra in Paradiſum. Gen 5.
Per tranſlationem oſſium Ioſeph de Ægypto in terram promiſſionis. Gen.vlt.
Per tranſlationem oſſium duodecim prophetarum de loco ſuo. Eccl.46.
Per aſcenſum Caleph in excelſum terræ locum. Eccl.46.
Per tranſlationem Arcæ, & tabernaculi. 3.Reg.8.
Per tranſlationem vaſorum. Iſa.39.

Sacra Theologia ſiguratur.

Per ſapientiam Dei præcedentem omnia. Eccl.1.
Per fontem ſapientiæ. Eccl.1.
Per ſapientiam, quæ filiis ſuis vitam inſpirat. Eccl.4.

Per

Per scientiam animæ, quæ vbi non est bonum, non est. Sap. 13.
Per sapientiam vitæ æternæ. Ioan.5.
Per sapientiam, quæ de sursum descendit. Iac.4.
Per sapientiam absconditam in mystetio. 1.Cor.2.
Per sapientiam absconditã ab oculis omnium viuentium. Iob 28.
Per sapientiam effundentem flumina. Eccl.24.
Per sapientiam omnia innouantem, & in animas sanctas se transfundentem. Eccl.24.
Per sapientiam primogenitam ante omnem creaturam. Ibidem.
Per sapientiam in plenitudine sanctorum inhabitantem, Ibidem.

FINIS.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA PAN



Drz. 1985

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT

DOM KSIĄŻKI DOM

28381

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
13896



